UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S. Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, Seu Libri, De Theologicis Disciplinis

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

urn:nbn:de:hbz:466:1-83656

Visual Library

Th. 889a

C. IX. 8

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA HISTORICO-DOGMATICO-SCHOLASTICA,

SEU LIBRI, DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:

OPUS

CALCULO DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANE PRÆSTANTISSIMUM,

IN OCTO TOMOS DIVISUM

JUNCTO AD QUODVIS CAPUT SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS. AC IN FINE CUJUSVIS TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO:

TOMUS III.

QUI
COMPLECTITUR DISSERTATIONES
DE ORIGINALI PECCATO, DE HÆRESIBUS
ADVERSUS LIBERUM ARBITRIUM, ET GRATIAM,
ATQUE DE IPSA GRATIA
REPARATORIS.

Editio prima in Germania multum auctior atque correctior.
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Pedeponti, Vulgô Stadt am Hoff,
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolæ.
Typis, Maximiliani Simonis Pingizer, Typogr. Aug. An. 1749.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. JOANNIS LAURENTII BERTI,
Ord. Eremit. S. Augustini,

THEOLOGIA
HISTORICO-
DOGMATICO-SCHOLASTICA,
SEU LIBRI,
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS:
OPUS
CURANTE DOCTISSIMORUM VIRORUM
SANCTI BENIGNI INSTITUTUM,
IN QUO TOMUS DIVUS
JUXTA AD QUODVIS QUAERI SUMMARIO MATERIARUM
NEC NON NUMERIS MARGINALIBUS AC INDICE CA-
PITUM TOMI INDICE LOCUPLETISSIMO
TOMUS III.
CUI:
COMPLECTITUR DISSERTATIONES
DE ORIGINALI PECCATO, DE GRATIA,
ADVERSUS LIBERUM ARBITRIUM ET GRATIAM,
ATQUE DE IPSA GRATIA
SALVATORIS.
Editio prima Romana, emendatior, auctior, et correctior.
CUM FLORENTIA SUPERIORUM
Tridenti, Vindob. Gratz. aut Prag.
Sumptibus JOANNIS GASTL, Bibliopolae.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS TERTIUS,

In quo Originalis peccati ex primo Homine in posteros demonstratur transfusio.

ADAMI culpa, de qua postremo libro disserui, non solum imitatione ac exemplo, verum etiam propagatione peccati universum genus humanum infecit; nam præter paterni sceleris documentum, cui tanta vis inest, ut ad illud soleant prognati vitam, moresque componere, ob perturbatum dominium rationis, atque inseminatam labem concupiscentiæ, ipsa filiorum generatio originali sorde polluitur. Imo, quum gignendis liberis operam non dederint Protoparentes ante lapsum, nec fuerint aliqui homines eorum inobedientiæ spectatores, imago autem, & recordatio antiquæ felicitatis, quam in tot, ac tantas calamitates commutavit Adæ transgressio, in nobis tristitiam potius, & ægritudinem pariat, quam peccandi libidinem; non esset veteris delicti ad mentem revocatio tam deploranda, nisi ad nos nequitiæ turpitudinem, ac meritum pœnæ vitiata origo transmitteret. Quoniam itaque in iniquitate concepti sumus, atque in nobis etiam per lavacrum regenerationis expiatis remanet ad agonem languor animi, & lacertosa cupiditas; opus est, ut de Originalis peccati transfusione, & qualitate instituamus Theologicam concertationem. Consueverunt quidem Scholastici hoc facere, ubi de peccatis, & de virtutibus disputatur: sed nos huic disceptationi initia tertii Voluminis deputamus, propterea quod pertractaturi sumus in quarto de iis virtutum, aut vitiorum officiis, quæ usu tantum libertatis propriæ exercentur; ac præterea præsens de Transfusione peccati disceptatio magnam habet cum præcedenti connexionem, necnon ad intelligentiam eorum, quæ posthac dicturi sumus de Gratia, & de libero arbitrio, apprime est necessaria.

CAPUT I.

Peccatum Originale ab Adam in posteros ejus transfundi, ex sacris literis demonstratur.

SUMMARIUM.

1. Errores Hæreticorum enumerantur.
2. Transfusio peccati originalis probatur ex veteri testamento. 1mo.
3. Refertur responsio prima Adversariorum.
4. Refutatur prima responsio Adversariorum.
5. Responsio 2da. Adversariorum declaratur & solvitur.
6. Objectio 3tia. Adversariorum & responsio ad illam.
7. Probatio 2da. Conclusionis ex veteri testamento.
8. Probatio 3tia. ex eodem.
9. Affertur argumentum Pelagianorum.
10. Responsio prima ad illud.
11. Responsio 2da. ad illud.
12. Probatur conclusio ex novo testamento 1mo.
13. Opinio contraria Phereponi Hæretici.
14. Refutatur.
15. Ac stabilitur Conclusio.
16. Probatur conclusio ex Novo Testamento 2do.
17. Probatur 3tiò ex eodem.
18. Refutatur opinio Pelagianorum.
19. 20. & 21. Adducuntur, & solvuntur objectiones Adversariorum.

1. Errores Hæreticorum enumerantur.

NEMINEM ob prævaricationem Adæ nasci infectum peccato, & damnationi obnoxium primum commenti sunt gregales Carpocratis secundo Ecclesiæ sæculo ineunte, ut scribit in III. Strom. Clem. Alexandrinus. Deinde in eumdem errorem, in libris saltem Periarchon, lapsus est Origenes Adamantius, qui Pelagianismi ova fovit; quamquam is gratiam baptismatis fateretur ad abluenda peccata in superiori vita, prius quam anima dilaberetur in carnis ergastulum, perpetrata. Idem opinatus est Pelagius asserens, Adamum posteris obfuisse non transfusione, sed exemplo delicti, adeo versipellis ut sufuratus sit in Synodo Diospolitana à quatuordecim Episcopis absolutionem. Legendus S. Pater de Peccato Origin. cap. 13. & 15. & lib. 1. contra Julianum cap. 5. Manifestius hanc evomuerunt blasphemiam Cœlestius, & Julianus; qui quinam fuerint, & quantum pro hæresi Pelagiana pertinacissimi operis contulerint videbimus libro proximo. Patrocinatus est iis Theodorus Mopsuestenus, ut referunt Marius Mercator in Commonitorio, & Norisius de Hæresi Pelagiana lib. 1. cap. IX. Armenii, Albenses, Beguini in eodem luto pedibus constiterunt. Erasmus quoque male apud plurimos audiit, quod Catholicis studuerit eripere apertissimum Pauli testimonium in Epist. ad Rom. cap. v. 12. Ipse tamen post interpretationem suam, de qua infra, *Ego*, inquit, *demonstrans hunc locum ad revincendos Pelagianos non esse satis efficacem relego disputantem ad alia loca hoc certiora. Hoc non est eripere telum Ecclesiæ, sed indicare tela certiora pro parum certo: nec est aperire ruinam hostibus, sed admonere, ne hic urgeamus hostem ubi possit elabi.* Belle quidem, & præclare nimium: ast certiora illa tela non profert. Attamen hominem cæteris vehementer suspectum neque absolvo, neque condemno. Falsam Erasmi expositionem secutus est Joannes Clericus Animadv. ad Epist. Augustini 157. olim 89. Mitto Socinianos, qui ad aliorum hæresum colluvionem etiam Pelagianam asciscunt.

2. Transfusio peccati originalis probatur ex veteri testamento 1mo.

PROPOSITIO 1. Transfusio Originalis peccati ex veteri Testamento primum evincitur.

Eligam ex multis, quæ produci possent, tria loca duntaxat. Sit primus ex cap. XVII. Genes. v. 14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Ubi non sola mors temporalis præscribitur, sed æterna potissimum; quoniam sicut ea verba Gen. XXV. 17. *Et appositus est ad populum suum*, & 1. Machabæorum cap. 2. 69. *Appositus est ad patres suos*, vitam significant sempiternam; ita hæc, *Delebitur anima illius de populo suo*, demonstrant maxime mortem animæ, & damnationem. Atque alia, *Quia pactum meum irritum fecit*, non solum pactum & fœdus cum Abrahamo initum designant, cujus violatio non est tenello puero imputanda, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum introivit in mundum. Quapropter Augustinus de Peccato Originali cap. XXX. num. 35. *Quid enim mali, quæso* (inquit) *parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente, & eum non circumcidente ipse damnetur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, cum de justis quando moriebantur, tunc potius diceretur, Et appositus est ad*

ad populum suum, vel, Appositus est ad Patres suos, quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separet à populo suo, si populus ejus ipse est populus Dei, &c. Et in III. contra Julianum cap. XVIII. num. 34. *Isaac* (inquit) *quantum ad propria peccata quid meruerat, etiamsi ex adulteris nasceretur, innocens natus, quid meruerat ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret? Noli evagari per multa obscura, perplexa, superflua; ad hoc unum apertum, simplex, necessariumque respondе.* Legatur & de Peccatorum meritis libro 2. cap. XI. num. 24. necnon XVI. de Civit. Dei cap. 27. Ex quibus ita argumentamur: Puer, qui nondum instituto baptismate non circumcidebatur, erat exclusus à cœtu Sanctorum, atque à sempiterna beatitudine, propterea quod divinum mandatum irritum fecerat. At puer ille octo dierum non dissipavit testamentum Domini de imperata circumcisione, neque capax erat actualis peccati. Ergo irritum fecerat mandatum de ligni prohibitione, & originalis peccati reus erat.

3. Refertur Responsio 1ma. Adversariorum.

Quoniam multi hoc argumentum aut nullum, aut infirmissimum putant, in eo aliquantisper commorabor. Sunt qui dicunt verba Geneseos XVII. non pertinere ad pueros, sed ad solos adultos, qui circumcisionem negligerent; & male additum *die octava*, quomodo citat persæpe Augustinus. Ita Grotius. Gerardus Vossius lib. II. Hist. Pelag. p. 1. thesi 2. observat in Hebræo esse זָכָר *Zacár*, quod *virum* notat; quare locus accipiendus est de adultis, non de infantibus. Adde τὸ *die octava* tam in Hebraico, quam in Vulgatæ textu desiderari. Male ergo, inquiunt, hæc verba detorquentur ad pueros.

4. Refutatur prima responsio Adversariorum.

Hæc facili negotio eliduntur. Nam verba illa *die octava*, inveniuntur in textu græco, in quo legitur τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ: eamdemque cum Augustino lectionem sequuntur. Ambrosius Epist. 77. Origenes lib. 2. in Epist. ad Romanos circa finem cap. 3. aliique veteres. Nec refert quod in Hebræo, & Vulgatæ nostræ textu minime reperiantur; cum subintelligi constet ex versu 12. præcedenti, *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra.* Itaque proximo cap. 14. etsi non habeantur ea verba *octava die*, illic subintelliguntur, maxime quod legimus indefinitè, *Masculus*, &c. Quare Græca lectio falsa non est, sed addit commodam verborum interpretationem. Observatum à me in Polyglottis Anglis tom. I. p. 65. in vetustissimo textu Samaritano haberi: *Præputium autem masculi, cujus non circumcisa fuerit caro præputii sui in die octavo, istius exterminabitur anima de populis suis: fœdus meum fregit.* Hujus etiam lectionis adminiculo verus sensus eruitur, refutatur Grotius, & argumento Augustini novum robur accedit. Falsissimum quoque est זָכָר *Zachar* significare tantummodo marem grandævum; invenimus quippe ipsum vocabulum in Codice Hebræo Exodi XIII. 12. Levit. 12. 2. Esaiæ LXVI. 7. & Jerem. XX. 15. de puero nuperrime nato: qui cum ad Patris memoriam servandam nascatur, non minus, ac adultus, appellatur זָכָר. Textum Geneseos de puero infante etiam Hebræi interpretantur, præsertim Aben-Esra apud Cartwrightum.

5. Responsio Adversariorum declaratur & refutatur.

Respondent alii, inter quos etiam L'Herminier Tom. 6. p. 29. ea verba *pactum meum irritum fecit*, non ad legem Adamo datam esse referenda, sed ad pactum circumcisionis, ob cujus neglectum signaculum Angelus in diversorio voluit occidere Moysen Exodi IV. 24. unde Sephora illico filii præputium circumcidit.

Verum hoc etiam admisso Augustiniana argumentatio in suo robore perseverat. Vidit enim subterfugium istud perspicax S. Patris ingenium: atque ita ex adverso ratiocinium instituit lib. 16. de Civ. Dei cap. 27. *Si enim dixisset quia hoc testamentum meum dissipavit, nonnisi de ista circumcisione intelligi cogeret. Nunc vero quoniam non expressit cujusmodi testamentum parvulus dissipaverit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cujus dissipatio pertinere possit ad parvulum. Si autem quisquam hoc nonnisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei qui non est circumcisus dissipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est nulla in se negligentia sita juste interire incircumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati.*

6. Objectio 3tia. Adversariorum

Tertio inquiunt illa verba, *Delebitur anima illius de populo suo*, vel corporalem mortem designare, vel temporalem hæreditatem, vel fortem filiorum

& Responsio ad illam.

Israel. Sed neque hæc vim Augustinianæ argumentationis eludunt. Primo quoniam *apponi ad populum suum* hebraica phrasi demonstrat hæreditatem Sanctorum. Igitur hac antitheſi *deleri de populo suo* significatur hujus hæreditatis privatio. Deinde quia in Hebraico, Chaldæo, & Samaritano textu habetur plurali numero *de populis suis*; quibus verbis haud obscure ostenditur, ut animadvertit etiam Drusius, puerum incircumcisum à cœtu Sanctorum esse excludendum. Insuper sive de temporali, sive de æterna morte, aut alia pœna, quæcunque ea demum sit, verba illa sumantur; urget semper Augustinianum argumentum, *Quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret?* Postremo S. P. lib. 11. contra Julianum cap. 6. n. 18. etiam auctoritate Joannis Chrysostomi, & Beatissimi Martyris Cypriani demonstrat circumcisionem in signum præceptam esse baptismatis, & in remedium Originalis peccati. Quod & affirmat S. Basilius Orat. XIII. quæ est hortatio ad Baptismum, & Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. XI. Innoc. etiam IIII. in cap. *Majores*. Quamobrem ut non baptizati nunc delentur de libro viventium, ita olim non circumcisi. At de Institutione Circumcisionis alibi. Sufficiat modo demonstrasse argumentum Augustini non adversari universæ Patrum traditioni in eo, quod ad Circumcisionis mandatum attinet, ut scribit Nicolaus L'Hermier.

7. Probatio secunda conclusionis ex veteri testamento.

Alter textus est Jobi XIV. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Hæc verba explicat Olympiodorus pag. 274. Catenæ Græcorum Patrum: *Quorsum plura de homine dicenda sunt, quandoquidem ipsa hominis generatio sine illuvie, & peccato non existat? Unde fit ut infantes ad eluendam sordem, quam ex Adami transgressione contraxerunt, baptizentur.* Notanda est etiam Versio LXX. quæ habet: τίς γὰρ καθαρὸς ἔσαι ἀπὸ ῥύπε; ἀλλ' ἐδεὶς, ἐὰν κὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς: videlicet, *Quis enim mundus erit à sorde? Nec unus, si & una dies vita ejus in terra.* Hanc sequitur Augustinus lib. XX. de C. D. cap. 26. Omnes ergo de immundo semine concipiuntur, nec est homo immunis à sorde, etiamsi nunc vivere incœperit. Futilis est interpretatio Fratrum Polonorum, qui Jobi textum accipiunt de sordibus & immunditiis pannorum: has enim in thermis eluunt mulierculæ cinere, aut smegmate, neque sordes istæ contrahuntur immundo semine dum proles concipitur. Loquitur autem Job, ut liquet, de sorde, quam omnes contrahunt, & quæ à nemine, nisi à Deo, potest ablui.

8. Probatio tertia ex eodem.

Tertius locus erit Psalm. L. v. 7. ubi Regius vates inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quæ verba intelligi nequeunt de illicito parentum Davidis complexu; siquidem ut Augustinus scribit in hunc Psalmum 10. *Nunquid David de adulterio natus erat de Jesse viro justo, & conjuge ipsius? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Multo minus cum Socinianis id acceperis de peccatis à Davide propria voluntate, postquam regnum obtinuit, patratis: nam Uriæ interfectio, & alieni tori violatio nullam habent connexionem cum Davidis conceptione, nisi quatenus materno ex utero traxit fomitem peccati; quod pariter est vitiatæ originis argumentum. Respondebant Pelagiani plurali illo numero *in iniquitatibus*, & *in peccatis*, aperte actualia peccata monstrari, cum Originale unicum asseratur. Ast Augustinus cap. 46. Enchirid. num. 13, ita cavillationem istam exsufflat: *Neque hic dixit in iniquitate vel peccato, cum & hoc recte dici possit: sed iniquitates & peccata dicere maluit; quia & in illo uno, quod & in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo mutaretur & converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata.* Hæc plura peccata sunt ab Augustino explicata præcedenti cap. 45. sunt autem superbia, sacrilegium, homicidium, fornicatio, furtum, & avaritia. Vide lib. præcedentis cap. XII. prop. 1. Ad refellendam novorum Pelagianorum audaciam addo in Hebraico textu legi: וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃ חֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea.* Ubi *iniquitas & peccatum* singulari numero effertur, quemadmodum in Versione Chaldaica, Syriaca, & Arabica.

Objectio refellitur.

9. Affertur Argumentum Pelagianorum.

Unum est, quod ex veteri testamento Pelagianorum defensor Julianus opposuit. Ezechielis XVIII. v. 20. habetur: *Anima, quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem*

tem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum. At si esset peccatum aliquod originale, filius portaret iniquitatem patris, & impietas impii esset etiam super posteros. Nullum est ergo peccatum istud originale.

10. Responsio prima ad illud.

Resp. 1. Nego minorem: Propheta enim promittit gratiam novi testamenti, in quo regnerati majorum suorum pœnis non afficiuntur, ut olim in lege veteri, quando Deus visitabat iniquitatem patrum in filios usque in tertiam, & quartam generationem, sicut legitur Exodi xx. 5. & Jerem. xxxii. 18. unde in Israel invaluit proverbium illud: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*, eodem cap. Ezech. v. 2. Deus itaque promittit hanc parabolam ulterius non futuram in proverbium in Israel, quoniam regenerati debita parentibus pœna minime constringuntur, sed personalium malefactorum supplicio mulctantur. *Hæc per Ezechielem Prophetam promissio est novi testamenti, quam non intelligis, ubi Deus regneratos à generatis, si jam in majoribus ætatibus sunt, secundum propria facta discernit:* ait S. Pater lib. III. Operis Imperf. contra Jul. cap. 38. Et proverbium illud nulla ratione de Originali peccato, sed de solis actualibus apud Israelitas vigebat, cum hi tamen Originale peccatum concordissime agnoscerent, & illud appellarent, auctore Aben-Esra, *Figmentum malum, cordisque præputium.* Primo enim Adæ peccatum non solum visitat vindex Dei justitia usque in quartum generationem, sed in generationes mille; nec solius Sethi vel Enos, sed nostrûm quoque dentes obstupuerunt ob protoparentis comestionem. Deinde liquet ex præcedenti versu 18. loqui Ezechielem de parentum peccatis personalibus, quæ ad quædam genera simul cum virtutibus oppositis reducit in suis Commentariis Hieronymus; ut sunt idololatria, hæresis, adulterium, aliaque à Propheta ibidem enumerata.

11. Responsio secunda ad illud.

Secundo respondetur dist. eamdem minorem: Filius portaret iniquitatem Patris, nisi ei fuisset remissum originale peccatum, aut actualia patraret, concedo: Si peccatum illi remissum foret, & justitiam operaretur, & custodiret omnia præcepta Domini, nego. Versu proximo 59. declarat Propheta, quod Filius non portabit iniquitatem Patris, si legem impleverit, aut si impius est, egerit pœnitentiam; & loquitur de Israelitis, quibus per circumcisionem peccatum originale deletum erat. Quo ergo jure hoc testimonio abuti possumus adversus originalis peccati transfusionem, dum sermo instituitur de actuali, & ad filios Israel à priori illo peccato solutos?

Propositio II. Eadem Catholica veritas confirmatur novi Testamenti locupletissima auctoritate.

12. Probatur conclusio ex novo testamento primo.

Tria pariter ex novo Testamento producam præ cæteris argumenta. Quorum esto primum. Apostolus ad Rom. v. 12. scribit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et in 1. ad Corinth. cap. xv. 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Vindicavi à falsis hæreticorum interpretamentis utrumque locum præcedenti libro cap. 1. & cap. XIII, Addam modo, perperam à Pelagianis ita explicari, quasi omnes moriantur animâ, propterea quod imitentur prævaricatorem Adamum. Primo quoniam ostendi agi utrobique de morte corporis, cum Apostolus peccatum à morte distinguat, & priori loco v. 14. affirmet ob Adæ delictum mortem regnasse etiam in parvulos, qui Adam imitari non possunt; in altero autem de resurrectione corporum verba faciat. Deinde non per hominem, sed per Angelum primo, posthac per Evam peccatum pervasit; *si de imitatione* tantummodo disceptetur. Præterea instituit Apostolus comparationem inter Adam, & Christum: & illum peccati auctorem declarat, istum gratiæ; illum mortis, istum resurrectionis. At Christus gratiæ & resurrectionis causa est non per imitationem duntaxat: sed per veram propriamque participationem virtutis suæ in his qui justificantur, & in omnibus qui resurrecturi sunt. Adam ergo erit vere proprieque causa mortis & peccati in singulis qui moriuntur. Legendus omnino Augustinus Ep. 157. olim 89. lib. 1. de Peccat. meritis cap. 10. 11. de Nuptiis cap. 27. lib. 11. Operis Imperf. contra Julianum n. 16. &c.

13. Opinio contraria Phereponi Hæretici.

Joannes Phereponus Animadv. ad Epist. Augustinianam 157. §. 1. & ad Epist. 176. §. 2. ausus est scribere Augustinum locum Pauli ad Rom. v. confidentius explicavisse, & sese demonstrasse Apostoli proletarium Interpretem. Proletarium dicit Plautina phrasi, id est plebejum, ac pauperrimum. Etenim,

Etenim, inquit, hunc locum Pauli pertinere ad adultos tantum, qui peccatum Adami imitantur, ostenderunt dudum viri doctissimi. Sed & hujus censoriæ notæ causam profert ex Græco textu, in quo habetur ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, nimirum, *eo quod omnes peccaverunt.* Etenim ἐφ' ᾧ est *quia* vel *eo quod;* non *in quo*, ut 2. ad Corinth. v. 4. & ad Philippenses III. 12. Hæc ex Erasmo, qui Comment. in hunc locum scribit ἐπὶ jungi paterno casui, quoties idem est ac *super*, ut ἐπὶ τῆς γῆς, *super terram*, ἐπὶ πάντων *super omnia*: item cum tempus indicat, aut dictionem, ut ἐπὶ Καίσαρος Ὀκταβίᾳ, *Imperante Cæsare Octavio.* Jungi autem dativo cum potestatem significat, ut ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *auctoritate, vel nomine Regis;* aut cum indicat causam vel eminentiam, ut ἐπὶ θανάτῳ, *spe mortis*; denique cum *supra*, ut ἐπὶ στύλῳ *super columnam.* At cum dativo ad significandum *In* nusquam reperitur. Ex Erasmo tam Phereponus in Augustinum excanduit. De loco altero ex 1. ad Corinth. xv. 22. ait nihil ad rem facere. Vult enim Paulus, quod sicut unus Adamus mortem induxit in mundum, omnibus, qui eum imitantur, morientibus; ita quoque Christus beatam resurrectionem allaturus sit omnibus, qui ei parebunt. Nullus hic sermo de peccato infantium, qui conditione naturæ, quia ex hominibus mortalibus nati sunt, non quasi supplicio de iis sumpto moriuntur. Hæc Phereponus.

14. Refutatur. Novi hæreticorum, præsertim Joannis Clerici, ingenium, omnes, vel saltem plurimos, atque inter hos Augustinum, circa sacrarum literarum expositionem Interpretes Catholicos vellicantium quod tantam operam non dederint literis hebraicis, græcisque quantam Novatores impendunt. Jure ergo vindicabo Augustinum adversus Phereponum testimonio & auctoritate eorum, qui hoc etiam literarum studio floruerunt, maxime Protestantium: nam Catholici uno ore probant S. P. Augustini doctrinam, eique pollice utroque subscribunt. Ergo Gerardus Vossius de Hæresi Pelag. lib. 2. p. 1. thesi 2. observat in testimonio Pauli considerandam particulam *Per*, quæ causam efficientem significat. Tum voculas Ἐφ' ᾧ, *in quo*, quæ posteros in Adam peccasse docent: vel si eas *quia*, sive *propter quod* transferre mavis, adæquatam mortis causam, quæque in infantibus quoque locum habet, ostendunt. Ita hunc locum explicare ait memoratus Vossius præter Augustinum, Scriptorem Homiliæ de Adamo & Eva, quæ tribuitur Chrysostomo, Theodoretum in Psalm. 1. Prosperum de Vita contemplativa lib. III. cap. II. Sedulium in cap. IX. ad Rom. Faustum quoque de lib. arbitrio lib. 1. cap. 11. Carthaginense Concilium & Arausicanum II. utrumque Canone 11. Grotius in Epistolam ad Rom. Ἐφ' ᾧ, inquit, *in quo*, hic est *per quem*: quomodo ἐπὶ cum dativo sumitur Luc. v. 5. Act. III. 16. 1. Corinth. VIII. 11. Heb. IX. 17. Chrysostomus hoc loco: *Illo labente, & ii, qui de ligno non comederunt, per eum omnes mortales facti sunt. In quo* vertunt, & effectricem peccati causam his voculis significari demonstrant Clarius, Zegerus, & Jacobus Capellus, quorum Comment. habentur volumine Sacrorum Criticorum septimo. Idem præstat Brianus Waltonus in Polyglottis: in quibus observanda est versio Arabica: *Mors pervasit in omnes homines, cum omnes jam peccaverint.* Tum Æthiopica, de qua præcedenti libro cap. 1. Utraque enim commonstrat mortem in singulos pervasisse, etiam in infantes, ob primum & antiquum Adæ peccatum. Smidius Bibliorum suorum pag. 1000. ita exponit verba Pauli: *In quo omnes homines peccaverunt, nempe in uno illo homine Adamo.* Et observat ἐπὶ ursurpari pro ἐν Matth. 18. 5. ad Rom. IV. 18. ad Philipp. I. 3. Affert & Scriptorum Græcorum exempla Pyndari præsertim, & Hesiodi: cujus est pervulgatum adagium, Μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, *Modus in omnibus rebus optimus est.* Postremo Theodorus Beza (arbitror enim istos sufficere) in notis ad novum Testamentum pagina editionis Cantabrig. 405. hæc ad rem nostram. *In quo homine ἐφ' ᾧ, id est, ἐν ᾧ, videlicet uno illo homine, ut humani generis stirpe. Fuit enim omnino afferenda ratio, cur ab uno homine peccatum & mors in omnes homines pervaserit: nec alia afferri potest ratio: quod tamen perspicuitatis causa exprimere non dubitavi. Novum autem non est, ut ἐπὶ pro ἐν accipiatur, quamvis repugnante Erasmo, ut Marc. 2. 4. ad Hebræos* IX. 17. *& passim apud idoneos etiam auctores. Et cum ἁμαρτία Græcis sit fœminini generis, non potest stare eorum sententia, qui relativum* quo *volunt referri ad peccatum. Erasmus* quatenus, *vel per* hoc quod, *ut mordicus teneat errorem, quem semel ex Origene arripuit, hæc nimirum ad incitationis peccata pertinere: nempe, ut simili quoque ratione (quod recte prorsus damnavit Augustinus adversus Pelagianos) in*

altera

altera collationis parte ſtatuatur, nos per Chriſtum ſola quoque imitatione, non autem per ipſius ſpiritum ἀναγεννήσει incipere bene velle, & bene facere. Sic enim ſtatuendum eſſet ut ſibi conſtaret antitheſis. En quid ſit à ſcopo aberrare, & errorem pertinacius tueri. Hactenus Theodorus Beza.

15. Ac ſtabilitur concluſio.

Infertur ex dictis primo, quam temere & impudenter Phereponus appellat Auguſtinum *proletarium* interpretem, dum Auguſtinianam expoſitionem probant plenis calculis Concilia, Patres, & Theologi etiam Reformati linguarum peritia doctiſſimi. Secundo colligitur celeberrimos Theologos, quos contra Auguſtinum ſtare autumat, eſſe ſolum Eraſmum, & perpaucos Pelagii, Arminii, & Socini gregarios. Sequitur tertio Eraſmum aperte revinci ſacris, profanisque teſtimoniis apertiſſimis, in quibus particula ἐπὶ cum dativo uſurpatur pro *In*, & effectricem cauſam ſignificat. Imo ejusdem ſignificationis eſt in duobus locis, quæ opponit Phereponus, id eſt in 2. ad Corinth. v. 4. & ad Philipp. III. 12. nam ea verba ἐφ' ᾧ, *eo quod*, in primo loco cauſam indicant, ob quam in corpore ingemiſcimus: in altero voculæ ipſæ ἐφ' ᾧ, *In quo* demonſtrant in Chriſto Jeſu electionis noſtræ cauſam eſſe. Rurſus conſequitur nihil efficere aut Eraſmum, aut Phereponum, etſi gratis concedatur particulam ἐπὶ ad Romanos v. idem eſſe, ac, *eo quod*, vel *quatenus*. Indicat enim in hac ſignificatione omnes homines mori, *eo quod* peccaverunt. At complures ex morientibus, ut ſunt infantes, non peccaverunt actualiter: Ergo originaliter. De verbis Apoſtoli in 1. ad Corinth. cap. XV. vide quæ diximus præcedenti libro cap. XIII.

16. Probatur concluſio ex novo teſtamento adò.

Alterum argumentum ſumitur ex iis locis, in quibus oſtenditur Chriſtum Dominum univerſos Adæ poſteros redemiſſe, & pro omnibus mortuum eſſe: quod affirmat Apoſtolus ipſomet quinto ad Romanos capite verſ. 9. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: & 2. ad Corinth. v. verſ. 14. *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* In qua univerſali ſententia etiam parvulos comprehendi nemo non videt. *Nega* (ita Auguſtinus Julianum premit lib. VI. cap. IV. num. 8. & cap. IX. n. 24.) *nega Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt de contagio peccatorum. Si autem & pro ipſis mortuus eſt: Ergo & ipſi mortui ſunt.* Et infra: *Si nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui. Si non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis. Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixiſti, Chriſtum etiam pro parvulis mortuum. Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde, ſi non inde: aut propter quam mortem parvulorum mortuus eſt, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis?* Enimvero perſpicuum eſt Apoſtolum *mortuorum* nomine nequaquam intelligere illos, qui de corpore exierunt, ſed qui in delictis mortui ſunt, ut Auguſtinus demonſtrat memorato cap. 4. num. 8. ex contextu ad Col. 2. 13. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis, conviviſicavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adverſum nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*: atque citato cap. 9. num. 27. ex Epiſt. ad Hebræos cap. 2. 14. ubi Chriſtus dicitur mortuus, ut per *mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt Diabolum.* Vide & Operis Imperf. lib. II. num. 175. & lib. III. num. 138.

17. Probatur 3tio. ex eodem.

Erit tertium argumentum depromptum ex neceſſitate baptiſmatis: de quo Joan. III. 3. legitur: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Baptizantur itaque parvuli, ut poſſint ad regnum Dei pertinere. At nemo baptizatur niſi in remiſſionem peccatorum. Habent ergo & parvuli peccatum aliquod per Sacramentum regenerationis delendum. Atque majorem propoſitionem admittunt Pelagiani tam aperto Evangelii teſtimonio coacti, diſtinguentes inter regnum cœlorum & vitam æternam, ut mox dicam, doloſa ac pertinaci vafritie. Neminem vero tingi baptiſmate niſi ut moriatur peccato, Auguſtinus hac manifeſtiſſima argumentatione demonſtrat. Scribit Apoſtolus ad Rom. VI. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Dicendo, *Quicunque*, non utique parvulos facit exceptos. Ergo & parvuli baptizantur in Chriſti morte. Baptizari autem in Chriſti morte nihil eſt aliud, quam mori peccato, ut proximo verſu 11. Paulus affirmat. *Si ergo* (attende Auguſtini illationem lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 7. & cap. 4. num. 10.) *Si ergo peccato non moriuntur parvuli, proculdubio in Chriſti morte non baptizantur. Si in Chriſti morte non baptizantur, non in Chriſto baptizantur.*

Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. In Christo autem baptizantur, peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæso te, nisi quod originale traxerunt?

18. Refutatur opinio Pelagianorum.

Male autem à Pelagianis distingui Regnum cœlorum à vita æterna S. Pater pluribus argumentis demonstrat, quorum præcipua hæc sunt. Principio Marc. XVI. 16. apertissima est Salvatoris sententia: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*: At qui condemnatur non est particeps æternæ vitæ: Ergo nequit æternam vitam consequi quisquis baptizatus non est. Insuper Matth. XXV. 34. Christus dicturus est electis: *Possidete paratum vobis regnum*: proximo autem versu 46. legitur, *Ibunt justi ad vitam æternam*: Regnum itaque & vita æterna idem omnino est. Præterea quis vitam æternam, nisi prorsus desipiat, cogitare potest extra societatem Christi, qui est vita animæ, ac incommutabilis veritas? Pertractat Augustinus hæc tria argumenta lib. III. de Peccatorum meritis cap. 3. num. 6. & 7. Quartum addit lib. III. de Origine Animæ cap. XI. num. 17. Joannes enim memorato loco expresse ait non baptizatos excludi à regno Dei. At regnum Dei non illud accipiendum est, in quo Deus potestatem exercet, hoc enim modo regnum Dei etiam ad inferos extenditur. Est itaque regnum Dei prorsus idem, ac vita æterna. Rursus lib. VI. contra Jul. cap. 19. num. 59. ostendit ideo secundam nativitatem esse institutam, quia nativitas prima est damnata: & consequenter pueros non renatos in priori damnatione manere. Postremo lib. III. ejusdem Operis cap. 3. num. 8. quænam absurda ex fictitia illa distinctione profluant, hisce verbis declarat: *Non eos dicitis non debere baptizari, sed pro magnitudine sapientiæ vestræ res mirabiles dicitis. In Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur: redimuntur, sed non liberantur; lavantur sed non abluuntur; exorcizantur & exsufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc inopinata mysteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum mirabiliora quam Stoicorum Philosophorum. Ut enim hæc dicatis, timetis audire, Si salvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quid in eis servitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant sub diaboli potestate, qui propria iniquitate non erant rei, nisi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum?* Huc etiam spectant argumenta, quibus probat magnum supplicium esse excludere à regno cœlorum innocentem Dei imaginem, de quibus plura in Supplemento superioris libri cap. 2.

Refutantur Objecta.

19. Objectio 1ma. rejicitur.

Ob. 1. Ex eadem epistola Pauli ad Rom. unde prior argumentatio petita est, cap. 5. vers. 15. constat, gratiam Christi in plures abundare, quam Adami delictum: *Multo magis gratia Dei* (inquit Apostolus) *& donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Gratia, & donum in gratia, præcipuum saltem, quod est vivificatio per Christum, non pertransit in omnes. Ergo multo minus in omnes pervasit Adæ delictum. Præterea eodem versu legitur: *Unius delicto multi mortui sunt*: & vers. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituuntur multi*: Si multi: non ergo omnes. Item eodem capite versu 18. habetur: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; & in 1. ad Corinth. XV. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Atqui non omnes in Christo vivificantur, non omnes justificationem vitæ participiant: Igitur neque omnes in Adam moriuntur, neque ob ejus prævaricationem obnoxii sunt damnationi.

Resp. ad primum, Gratiam Dei multo magis abundare, quam delictum, propterea quod peccatum Adæ nobis temporalem mortem promeruit, & gratia non solum corporis resurrectionem, sed etiam vitam perennem ac felicissimam confert: nec solum originale peccatum diluit, verum etiam actualia, & quæ homo propria voluntate perpetrat: insuper non solum sufficientis gratiæ adjutorium nobis propter Christi merita datur, sed etiam efficax & eo, quod perdidit primus homo, longe præstantius, ac tale, quod prædestinatos reddit perseverantes. En ergo gratia superabundans delicto. Hæc est responsio Augustini scribentis lib. II. Op. Imperf. num. 85. *Quid est multo magis abundavit? nisi quia omnes, qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum*

sine

sine fine victuri sunt? Et post pauca. *Multo magis abundavit, dixit, non in magis multos, id est, non in plures. Quis enim non videt plures esse in genere humano, in quos non abundavit? Ut ex pluribus ostenderetur quid universæ Massæ justo judicio deberetur, nisi ubi vellet spiritus spiraret, & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religiosum faceret.* Legito & librum II. de nuptiis cap. 27. num. 46. Atque hæc responsio liquet ex proximo vers. 16. in quo Apostolus explicans majorem gratiæ efficaciam, *Nam judicium;* inquit, *ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Quare ea verba, *multo magis gratia Dei abundavit in plures,* ad copiam ubertatemque donorum, non ad numerum filiorum Adæ quorum plurimis gratia confertur, sunt referenda: quod & versio Arabica exprimit apertissime: est enim, *Abundavit vehementer per gratiam, quæ unius hominis est Jesu Christi, uberrimam in quam plurimos.* Et quidem τὸ *in plures* non demonstrare comparationem personarum etiam ostenditur collatione Versionum: habet enim Græca, εἰς τοὺς πολλούς, *in multos:* atque ita etiam Syriaca, & Aethiopica.

Ad secundum respondendum est, *multos* qui moriuntur ob Adæ delictum esse omnes; nam præcedenti versu 12. jam Apostolus scripserat, *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Sunt ergo illi *multi* isti *omnes.* Etenim etsi aliquando multorum nomine non omnes intelliguntur; *tamen ubi dicuntur omnes, vereque sunt omnes, recte dicuntur & multi,* lib. II. Op. Imperf. num. 145. & lib. VI. num. 8. Non enim filii Adæ, in quos mors pervasit, omnes simul tam exigui sunt numeri, ut multi dici non possint, quo modo quinque digiti unius manus sunt omnes, nec tamen multi, & quatuor Evangelia omnia sane, at non multa sunt: capilli autem omnes promiscue omnes, multique dicuntur. Quæ exempla profert ipsemet Augustinus. Eadem ratione Gen. XVII. 5. dicitur Abraham *Pater multarum gentium,* quæ cap. XXII. 18. appellantur *omnes gentes terræ.* Usurpatur etiam vocabulum primum pro altero Luc. VII. 47. Matth. 20. 28. aliisque in locis compluribus. *Multos* ergo scripsit Apostolus, ne quis crederet Adæ peccatum perpaucis obfuisse.

Tertium facile ex dictis diluitur; vers. enim 18. in particula *sicut,* & in altera *per* causa damnationis in Adam, & causa vivificationis in Christo significatur; fitque comparatio inter primum hominem, qui fuit *typus* secundi Adam, & ipsum humani generis Redemptorem, non inter mortuos & vivos, inter damnatos ac prædestinatos, inter quos nulla reperitur æqualitas. Sensus est ergo, quem S. Pater tradidit lib. 2. de Nuptiis & Conc. c. 27. his verbis: *Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, & omnes ad justificationem per Christum; cum utique non omnes eos qui moriuntur in Adam transferat Christus ad vitam: sed omnes dixit atque omnes, quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam. Sicut dicimus de literarum Magistro, si in civitate solus est, Omnes iste hic literas docet, non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab ipso.* Vide etiam quæ diximus cap. XIII. præcedentis libri disputantes de morte, & resurrectione corporum adversus Socinum.

Rursus objiciunt Pelagiani; Carnalis generatio est simul ab Adamo, & Eva. Si ergo per carnalem generationem contraheretur peccatum, & per istud in omnes homines mors pervaderet; non diceret Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors:* sed potius *per hominem simul ac mulierem.* Igitur peccatum generatione non contrahitur, sed magis imitatione. 20. Objectio 2da. declaratur.

Hujus argumentationis falsa est minor. *Ideo enim dictum est, per unum hominem, non per duos, quia non à fœmina concipiente, & pariente, sed à viro seminante est generationis exordium: aut quia jam non sunt duo, quando per coitum una fit caro.* Ita S. P. lib. 2. Op. Imperf. num. 83. In cujus responsionis confirmationem proferri potest alterum testimonium Apostoli ad Hebr. XI. 12. ubi de posteris Abraham ait, *Ab uno orti sunt,* quamquam & à Sara traherent originem. Enimvero peccatum & mortem à muliere in nos derivari alibi divinæ literæ contestantur, dicente Davide Psalm. L. 7. *In peccatis concepit me mater mea,* & Eccl. XXV. 33. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

Objiciunt ulterius. At idem Apostolus ad Rom. IV. 15. inquit: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio;* & in 2. ad Corinth. V. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo in parvulis non est prævaricatio, cum nulla sit lex; nec erit supplicium, ali- 21. Objectio 3tia. solvitur.

aliquod, cum in proprio corpore nihil gesserint.

Respondet S. Pater Epistola ad Hilarium 157. num. 15. in parvulis esse prævaricationem legis, quæ in paradiso data est; eadem enim lege prævaricata nascitur homo ex Adam cum lege peccati, & mortis. Ad postremum ex 2. ad Corinth. idem Augustinus lib. VI. contra Jul. cap. 10. n. 29. tria respondet. Primo sic adversus Pelagianos argumentationem contorquet: *Utrum & ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, aut non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, nisi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora gestantium, sive credunt, sive non credunt?* Deinde ait hunc locum accipiendum esse principaliter de adultis: *Propria enim corporis sui dixit, quod ad unumquemque in seipso jam viventem pertinet.* Inquit demum posse parvulum ante tribunal Christi non baptizatum reportare malum, id est damnari, licet nihil actualis culpæ patraverit; quomodo fatentibus Pelagianis baptizatus, etsi nihil boni operis gesserit, maximum bonum, scilicet, regnum cœlorum à Domino consequetur. *Vide ergo*, ait S. Pater, *quam importune nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit cum peccavit in altero.*

CAPUT II.

Patrum quoque traditione, & Sacrorum Conciliorum auctoritate commonstrari originale peccatum.

SUMMARIUM.

1. Refertur opinio Pelagianorum.
2. Commonstratur originale peccatum auctoritate Patrum græcorum.
3. Præcipue auctoritate S. Chrysostomi.
4. Quidam S. Patrem interpretantes refutantur.
5. Probatur originale peccatum auctoritate scriptorum latinorum.
6. 7. Probatur definitionibus Ecclesiasticis.
8. 9. 10. 11. 12. 13. Referuntur variæ objectiones, & solvuntur.

1. Refertur Opinio Pelagianorum.

Conflictam ab Augustino, atque priscorum ætate inauditam originalis reatus transfusionem objiciebant Pelagiani, qui his verbis S. Patrem audebant lacessere: *Confitearis ergo necesse est originale, quod finxeras, interiisse peccatum.* Quibus in 2. de Nuptiis cap. XII. Augustinus respondet: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus hæreticus.* De ista ergo antiquorum fide modo videndum est.

2. Commonstratur originale peccatum authoritate Patrum Græcorum.

Propositio I. Ex scriptis priorum Patrum depromi possunt pro originali peccato luculentissima testimonia.

In primis S. Ignatius in Epist. ad Trallianos hoc peccatum appellat παλαιαν δυσσέβειαν, *impietatem ac prævaricationem antiquam.* Sequitur Dionysius Areopagita, qui expresse *exitialem mortem esse ab Adæ peccato* scribit cap. III. Eccl. Hierarchiæ, sed qui hujusmodi opus Areopagitæ abjudicant, etiam negant illius Auctorem esse antiquiorem Augustino. Proximus est Justinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone scribit humanum genus *per Adam in mortem, seductionemque serpentis concidisse,* atque inter primum & secundum Adam hanc constituit antithesim, *ut sicut unius inobedientia causa est damnationis omnibus, qui corporaliter ab eo descendunt; ita Christi obedientia confert vitam iis, qui per ipsum spiritualiter regenerantur.* Accedit Tatianus, qui in Orat. contra Gentes ait, *Nos propter priscorum hominum inobedientiam Spiritum Dei, perfectam justitiam, sanctitatemque amisisse.* Irenæi Lugdunensis Episcopi illustria verba produxit Augustinus in 1. contra Julianum libro, cap. III. num. 5. Iste ait: *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus à terra omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos.* Sunt hæc verba lib. IV. adv. hæreses cap. 5. Addit S. Pater alia non minus illustria ex libro V. cap. 19. longe plura depromi possunt ex lib. III. cap. 20. lib. V. cap. 14. 17. & 21. quæ in libris de Hæresi Pelagiana collegit Gerardus Vossius,

Vossius, & in suo Thesauro Jodocus Coccius. De Origene, etsi permulta possunt afferri, ut fecerunt laudatus Coccius, L'Herminier, Boucat, aliique, nulla nos angimur cura, utpote quem prælusisse Pelagianis persuasum habeamus: imo quæ citantur ex Origenis Commentariis in Epistolam ad Romanos, ubi de Originali peccato edisserit enucleatius, aliaque loca plurima, adscribenda censemus paraphrastæ ejus Rufino. Atque Homiliæ in Leviticum, unde plura promuntur, num Origenianæ sint, controvertitur. Nos tamen contra Cocum, & Hottingerum Origenianas fatemur, aut saltem incerti Scriptoris, nam stylus demonstrat non esse S. Cyrilli, ut hi, aliique Remonstrantes, opinantur. Gregorii Nazianzeni perspicuas apertissimasque sententias affert S. P. Augustinus eodem libro cap. v. num. 5. Quibus addo quæ Nazianzenus scribit Orat. 11. in Pascha, *Nos ab initio per peccatum lapsi sumus* atque Oratione ad Arianos XXV. *Omnes, qui Adamo participavimus, atque à serpente in fraudem inducti sumus per peccatum mortui ac per cœlestem Adamum saluti restituti, atque à ligno vitæ unde exciderамus, per ignominiæ lignum reducti sumus.* Basilii ex prima Homilia de Jejunio insignem locum vide ibi apud Augustinum num. 18. Sunt alia æque illustria cap. 4. Const. Monastic. Hom. in XL. Martyres, & in sermone de Paradiso, ubi hæc eleganter: *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Nam quotiescunque florem hunc video, peccati mei admoneor, per quod terra, ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est.* Athanasii Orat. 2. contra Arianos hæc sunt verba. *Lapso Adamo in omnes homines peccatum dimanavit.*

3. Præcipue auctoritate S. Chrysostomi.

Agendum paulo accuratius de S. Jo. Chrysostomo, quem Julianus adversus Augustinum produxit, aliique nonnulli temere erroris Pelagianorum insimularunt. Qua in re abstinebo à recitandis fragmentis ex Homilia de Adamo & Eva, ad quam nos advocant eruditi Theologi plures, Zumel præsertim & Alvarez, cum sint, qui existimant illam centonem esse ex Latinorum Scriptorum posterioris ætatis sententiis consutum. Ergo S. Pater Augustinus libro 1. contra Jul. cap. 6. n. 24. & seq. citat hæc Chrysostomi ad Olympiam: *Quando enim Adam peccavit illud grave peccatum, & omne genus humanum in commune damnavit; de mœrore pœnas luebat, &c.* Item hæc ex hom. x. ad Rom. *Cum dixerit tibi Judæus, quomodo unius virtute mundus salvatus est? Possis & dicere, quomodo & uno inobediente Adam mundus damnatus est?* Profert & alia plura ex Hom. de Resurrect. Lazari, ex Hom. 9 in Gen. ex Hom. ad Neoph. &c.

4. Quidam S. Patrem hunc interpretantes refutantur.

Quoniam vero Erasmus, Stapulensis, Dallæus, aliique contendunt velle quidem Chrysostomum peccato Adæ corpora nostra reddita esse *mortalia*; sed animam nihil inde detrimenti sensisse, nisi in iis, qui primi hominis inobedientiam voluntate ac libertate propria imitantur; hunc errorem allatis Sancti Doctoris sententiis præstat refellere. Docet Chrysostomus Hom. XI. in cap. 6. ad Rom. non solam mortem in nos ob Adæ prævaricationem pervadere, sed etiam pravorum affectuum illuviem, ad quam comprimendam, dum Christus advertit, majora nobis auxilia collata sunt. Μετὰ, inquit, τὸν θάνατον καὶ πολὺς παθῶν εἰσῆλθεν ἐισμός. Διόπερ ὐδὲ σφόδρα κᾶφον ἦν πρὸς τὸν ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς δρόμον. ἅτε γὰρ πνεῦμα παρὴν τὸ βοηθὲν, ἅτε βάπτισμα τὸ νεκρῶσαι δυνάμενον. *Una cum morte magnum etiam affectuum veluti examen introierat. Itaque corpus non valde agile erat ad cursum, qui ad virtutem fertur: neque enim spiritus aderat, qui opem deferret; neque baptisma, quod mortificare posset.* Addit corpore facto mortali etiam animam ob ingressum illud passionum examen, nisi opitulante Christi auxilio, ruere in præceps, ἅσπες τις ἵππος δυσήνεος, *ac esset equus indomitus.* Repetit eadem hom. XII. & XIII. ubi scribit: *Una cum morte & affectuum turba introiit. Cum enim corpus mortale effectum est, tum denique necessario ad mistt & concupiscentiam, & iracundiam & dolorem, cætera omnia, quæ magnæ admodum constantiæ, ac sapientiæ indigebant, ne inundantis æstus vis ac tempestas rationem in nobis obrueret, in peccati voraginem demersam:* Μετὰ γὰρ τοῦ θανάτε, φυσὶ, καὶ ὁ τῶν παθῶν ἐπεισῆλθεν ὄχλος. ὅτε γὰρ θνητὸν ἐγένετο τὸ σῶμα, ἐδέξατο καὶ ἐπιθυμίαν ἀναγκαίως λοιπὸν, &c. Manifestum est ergo peccatum non solum corpori, sed etiam animæ juxta Chrysostomum obtuisse neque Erasmum Sancti Doctoris mentem satis fuisse assecutum. Atque de Græcis Patribus satis.

5. Probatur originale peccatum auctoritate Scriptorum latinorum.

Ad Scriptores Latinos accedendum est, quorum ducit agmen Tertullianus. Is in libro de Anima cap. LX. *Omnis anima* (inquit) *usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda, quamdiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam suam ex carnis societate.* Et in 1. adversus Marcionem: *Homo damnator in mortem ob unius arbuscu-*

læ delibationem, & exinde prosiliunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem noverunt. Et de testimonio animæ cap. 3. *Per quem* (Satanam) *homo à primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Cypriani ex Epistola ad Fidum illustre testimonium adfert S. Pater in lib. 1. contra Julianum, in IV. ad Bonifacium contra 2. Epist. Pelag. cap. 8. & Hieronym. lib. III. adversus Pelagianos: *Infans, qui recens est natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* Reticii Augustodunensis Episcopi, qui floruit sub Constantino Magno, Olympii Hispani, qui vixit tempore Arcadii & Honorii, necnon Hilarii Pictavensis collegit apertissima testimonia S. P. Augustinus eodem libro contra Julianum. Multa congessit & Ambrosii, veluti quod habet lib. 1. de Pœnit. cap. 2. *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Optatus Milevitanus lib. IV. contra Parmenianum, *Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi ac separari.* Hieronymus denique in cap. 2. Michææ: *Unusquisque nostrum*, inquit, *cum Adam de Paradiso cecidit, & in hujus mundi captivitate versatur*: atque in cap. 4. Jonæ; *Major ætas incipit, & usque ad minorem pervenit, Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus, & innumerabiles anni vitæ illius. Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis, & putredo, & ii, qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii?* Affert hæc verba cum debita Hieronymi laude S. P. Augustinus lib. III. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 6. Igitur non Augustinus finxit originale peccatum, sed istud ad ipsa fidei pertinet fundamenta; plenissimaque traditione firmatur: quod perspexit Aurelius Prudentius in Apotheosi:

Hæc prima est natura animæ, sic condita simplex.
Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ,
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde.

Eorum autem, qui Augustini tempora subsecuti sunt, necesse non est sententias congerere; quum nemo de illorum consensione hæsitare possit, neque soleant hæretici istorum nobis auctoritatem opponere.

PROPOSITIO II. Ejusdem Originalis peccati transfusio demonstratur Ecclesiasticis definitionibus.

Probatur D. definitionibus Ecclesiasticis.

Accedunt traditioni PP. decreta summorum Pontificum, necnon Sanctorum Conciliorum. Extant Innocentii adversus Pelagianos literæ, quas Cœlestiani incassum tentarunt eludere. Zosimi, qui Bonifacio successit. Rescriptum ad Africanum Concilium commemorant Cælestinus in Epist. ad Gallos, Augustinus ad Optatum, & cap. x. adv. Collatorem Beatus Prosper. Bonifacium Augustini contra Pelagianos responsa probasse auctor est idem Prosper capite laudati Operis primo & quadragesimo. Cœlestinus originis vitium, & naturam culpa obstrictam agnoscit in Epist. ad Nestorium, in altera ad Clerum Constantinopolitanum, & in ea, quam scripsit ad Gallos: de qua Vincentius Lirinensis cap. Commonitorii ultimo, Prosper 42. & 43. adversus Collatorem, & Photius in Biblioth. cap. 43. Xysti III. successoris Cœlestini hæc sunt verba lapidi octangulari in Basilica ad Baptisterium inscripta:

Mergere peccator sacro purgande fluento:
Quem veterem accipiet, profe-
ret unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.

Vide Baron. Tom. 1. pag. 440. Leonis Magni apertissima sententia est, nasci unumquemque hominem originali vulnere sauciatum, & nisi baptizetur, reum in peccato Adæ teneri, Epist. 86. ad Nicetam, serm. II. &. VI. in Nativitatem Domini cap. IV. Eadem est definitio Gelasii in Epistola, ad Piceni Episcopos, & Magni Gregorii lib. IV. Moral. cap. 2. nec non Epist. XIV. lib. V. ad Narsem Comitem, & LIII. lib. VII. ad Secundinum.

7. Probatur ulterius iisdem.

Damnavit negantes Originale peccatum Diospolitana, seu Palestina Synodus quatuordecim Episcoporum, quorum nomina habes apud Augustinum in 1. contra Julianum: quamquam Hieronymus

mus Epist. LXXIX. vocat hanc Synodum *miserabilem*, quoniam etsi non erravit in doctrina, erravit *in homine*, & Pelagium hæresiarcham absolvit. Videatur Augustinus de Peccator. mer. lib. II. cap. VIII. & IX. Habita est hæc Synodus anno 415. Posthac Concilium Carthaginense habitum opera Orosii, Theodosio VII. & Palladio Coss. id est anno 416. Tum Concilium Milevitanum eodem anno, ad quod convenerunt Episcopi LX. Meminit hujus Concilii Augustinus Epist. 94. ad Hilarium, nunc 178. Deinde in Concilio Africæ plenario celebrato an. 418. Coss. Honorio XII. & Theodosio VIII. dictum anathema iis, qui dicunt parvulos *nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur*, Can. 2. Plura de hoc Africano Concilio Cardinalis Norisius Hist. Pelag. lib. I. cap. 13. ex libris Augustini, aliisque vetustissimis monumentis. Etiam Ephesinum Oecumenicum coactum contra Nestorium anno 431. can. IV. doctrinam Cœlestii proscripsit. Idem præstitit Synodus Arausicana Canone 2. quam celebratam tradunt Decio juniore Consule, id est anno IOVIII. Quare Cæsarius Arelatensis, qui ei præfuit, non vivebat. ut putavit Trithemius, anno IOCLXX. neque, ut visum Bellarmino, pervenit tantum ad an. CCCCXCIX. sed floruit post 10. Consecravit catholicam contra Pelagianos veritatem Sacrosancta Tridentina Synodus sessione v. Comprobatur ergo, quod demonstrandum erat, peccatum originale Ecclesiasticis quoque definitionibus.

Ad ea quæ opponuntur responsio.

8. Objectio 1. solvitur.

Oppones 1. Justinus Martyr Quæst. ad Orthodoxos LXXXVIII. docet petitam è Jobo sententiam, *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*, ad parvulos non pertinere. Ita enim hunc locum interpretatur, ut non de vita naturali sermo sit, sed de morali, quæ peragitur πράξεις ἐκ προαιρέσιος, *operibus liberis & cum deliberatione factis.* Sunt ergo parvuli ante usum rationis, & priusquam hoc genus vitæ agere incipiant, expertes cujusque sordis.

Resp. 1. Harum Quæstionum Scriptorem, cum meminerit Irenæi, Origenis, & Manichæorum, qui annis 130. post Justinum exorti sunt, proferatque interdum vocabula τριάδος, πρωσώπε, ὑποςάσιος, aliaque ad refellendos Antitrinitarios hæreticos usu Ecclesiastico inducta, fuisse sanctissimo præclarissimoque Martyre posteriorem. Deinde respondendum est, Auctorem hunc quemadmodum vitam intelligit statum liberæ operationis, ita sordes appellare, quæ contrahuntur ἐκ προαιρέσιος, ἢ ἐλευθερίας, *ex proposito, & libertate.* Peccatum enim Originale aperte agnoscit quæstione CII. ubi inter Adam & Christum eamdem statuit ἀντίθεσιν, quam tradit Beatissimus Justinus in Dialogo cum Tryphone.

9. Objectio 2. declaratur.

Secundo objiciunt perdifficilem Clementis Alex. locum. Is enim Encratitas conjugia damnantes hac ipsa de causa, quod nefas sit dare operam generationi, quâ sordida ac polluta natura traducitur, originarium cujus vitium ex allato Jobi testimonio, & ex quinquagesimi Psalmi versu septimo satis comprobari sentiebant, Clemens eos, ac ejusdem furfuris hominem Julium Cassianum exagitans, negat primo in tertio Stromatum libro parvulos Adæ prævaricatione inquinari, dicens: *Ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Deinde verba Davidis, *In peccatis concepit me mater mea*, ad solam Evam spectare his verbis declarat: *Et quando dixit David: In peccatis conceptus sum, dicit prophetice quidem matrem suam, sed Eva mater fuit viventium: & si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum.* Ut ergo Clemens fœdos Encratitarum errori obviam eat, non solum peccatum negat quod contrahitur generatione, verum etiam conterit, elevatque auctoritatem scripturarum, quibus potissimum demonstratur.

Non illam ego adhibebo responsionem, qua lib. 4. de Amiss. Grat. cap. 9. utitur Bellarminus, Clementem scilicet ex sententia Encratitarum ista proferre. Quisquis enim oculis non conturbatis Clementem viderit, facile dignoscet, non esse hæc Julii Cassiani objectamina, sed hæc impugnantis responsio; quomodo ejusdem hæretici sunt consequentia verba: *Generationem esse malam, non illam corporis modo, sed etiam illam animæ, propter quam est & corpus.* Neque respondebo cum Edmundus Simonnet, si hæc verba Clementis sunt, vix, ac ne vix quidem cum aliquali verisimilitudine dici posse, hoc loco peccati originalis non impugnari existentiam. Etenim quo argumento ducti dubitare possumus hæc non scripsisse Clementem Alexandrinum, cum nullus vetustissimus codex, nullaque peranti-

perantiqui Scriptoris auctoritas, nulla demum ratio hæsitationem istam confirmet? Sed nec respondemus Clementem hoc tantum velle, quod infantes non cadant sub execrationem Adæ ex vi generationis, quæ mala sit suapte natura; cum labes generationi insit per accidens, & ex eo quod natura per generationem propagata jam sit ob primorum parentum prævaricationem vitiata. Quamquam hæc responsio satis illustretur à Nicolao L'Herminier, & secundo præsertim testimonio possit aptari. Quid ergo? Dicemus cum Gerardo Vossio Clementem Alexandrinum non satis percepisse originale peccatum? Id vero nunquam. Tatianus, à quo Encratitæ, post obitum Justini, cujus fuerat auditor, in hæresim Valentini, Saturnini & Marcionis prolapsus est, Auctore S. Irenæo libro 1. capite, è distinctione Massueti, XXXVIII. Itaque non solum asserebat matrimonium esse corruptionem & stuprum; sed istud quoque, unde tam nefarium dogma tanquam ex impuro fonte manabat, connubia à principio malo fuisse instituta, nec aliud esse, quam seminarium ac fomentum turpissimarum libidinum, quarum usu anima in uno corpore fornicata, ac divisa à spiritu vitæ transfunderetur in aliud corpus continuis sordibus inquinanda. Hæc enim & Saturnini, & Marcionis, & Valentini, & Gnosticorum cæterorum esse dogmata Irenæus, Epiphanius, Tertullianus, ac Veteres plerique consentiunt, Nego itaque Julium Cassianum, ac Tatianos reliquos à nuptiis abhoruisse ob originale peccatum, quale nos propugnamus, quod scilicet inhæret animæ creatæ de novo à Deo, atque ex consortio carnis pollutæ contrahitur. Quare priorum verborum sensus est: *Ubi fornicatus est infans?* Hujus nempe parvuli anima, priusquam in hoc intruderetur ergastulum, quonam in corpore sese obscœna libidine commaculaverat? Incidit quidem in execrationem Adæ: ast, num ob anteacta flagitia? Minime: non enim aliquid antequam huc devolveretur, boni, malive perfecit, quomodo ab Gnosticorum physiologia fuistis edocti. Non est corporis generatio, nec creatio animæ mala, quod sit instituta à diabolo, redeantque mortui ad carnis contubernium, ut repetitis sordibus obsolescant. Hanc insaniam Tatianus vester ex Marcionitarum gurgite ebibit. Ait quidem David: se à matre in peccatis conceptum: sed hæc ad Evam referenda sunt, à cujus utero labes primigenia diffunditur, non ad damnatas nuptias proximæ matris suæ, non ad superioris vitæ sceleratissimam consuetudinem. Conceptus est quidem in peccato; sed ante conceptionem ipse in peccato non fuit. Hæc mea de verborum Clementis sententia est; nec obscura, si dogmata Tatianorum inspiciantur. Cæterum Clemens 1. lib. Pædagogi cap. 6. & sub finem IV. Strom. diserte agnoscit animarum regenerationem *ex matrice aquæ*, sive lavacro baptismatis, ideoque & originale peccatum.

10. Objectio 3. rejicitur.

Præterea opponunt verba S. Joannis Chrysostomi: qui hom. ad Neophytos, *Hac de causa* (inquit) *& infantes baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato; nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Christi.* Idem Hom. X. in Epistolam ad Rom. cap. 5. ait: *Videtur quæstionem non parvam habere quod dictum est, (ob unius inobedientiam peccatores multos esse constitutos) sed & si quis accurate attenderit, & hoc quoque perfacile solvetur. Quænam igitur quæstio fuerit? Illo enim peccante ac mortali affecto, & qui ex eo orti sint, eos tales esse nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id vero quam obsecro, congruentiam, & consequentiam habet. . . . Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores significat? Mihi videtur tantundem significare, quantum illud supplicio obnoxii, ac mortis rei, quod Adam mortuo omnes sunt mortales effecti.* Videtur ergo non male Erasmus interpretatus Chrysostomum, quod is putaverit solam mortem, non culpam in nos hæreditario jure transire? Quid? Hom. 17. in 1. ad Corinth. scribit, *nos minime ob Adæ delictum perire:* Hom. XXXIX. in eamdem Epistolam addit, *non omnes in Adam morte peccati mortuos esse.* Et Hom. XXIV. in Epist. ad Ephes. nobis ob Adæ peccatum esse corruptibile corpus: at animam labefactari & suo modo corrumpi peccato, quod post lavacrum regenerationis committitur.

Respondet ad 1. S. P. Augustinus in 1. contra Jul. cap. VII. n. 22. loqui Chrysostomum de peccatis actualibus: habetur enim in græco διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα: *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. Vides certe*, ait S. Pater, *non ab eo dictum esse parvulos non coinquinatos esse peccato, sive peccatis: sed non habere peccata: intellige propria, & nulla erit contentio. At, inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholi-*

tholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur? Quæ postrema verba aliorum Patrum, qui nondum grassante Pelagiana peste floruerunt, debent sententiis minus expressis aptari. Habent præterea versiones aliquæ, Basileensis anno 1520. & Parisiensis an. 1556. pag. 614. *Hac de causa & jam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato.* Atque hæc videtur mihi valde probabilis. Cum enim quidam unicum agnoscerent effectum baptismi, videlicet peccatorum remissionem, S. Joannes Chrysostomus decem connumerat, ac statim singulos in puerulis sacro baptismi lavacro regeneratis locum habere demonstrat. Sunt autem hæc affecta baptismatis liberari à peccato, donari sanctitate, justum reddi, adoptari in Dei filium, jus ad hæreditatem narcisci, const tui Christi fratrem, cohæredem, membrum, templum, & organum Spiritus Sancti. *Vides*, inquit, *quod sint baptismi largitates? Multis quidem videtur cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa & jam infantulos baptizamus* (en quomodo iterum enumeratos omnes effectus recenset) *ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut spiritus habitatio fiant.* Ut ergo baptismus in parvulis omnes memoratos effectus producat, debet in iis primario efficere remissionem peccatorum, ideoque legendum est, *ut non sint coinquinati peccato.* Dixi autem *probabiliter;* nam Augustinus ad Græcos codices tunc temporis, ut arbitror, non depravatos confugit, exscripsitque verba Chrysostomi, ut supra producta sunt.

II. Objectio 4. explicatur.

Illud vero quod sequitur, etsi perdifficile videtur, hoc tantum innuit, neminem peccatorem constitui per actualem Adæ inobedientiam, quasi peccatum originale sit ipsamet primi parentis transgressio: non enim parvuli actualiter & proprie, sed originaliter peccatores nascuntur, ut Augustinus ait xvi. de C. D. cap. 27. Sed minime Chrysostomus negat originalem maculam propter eamdem inobedientiam in omnes pervadere: quin hoc ipso loco singulos Adami posteros supplicio obnoxios, & mortis reos esse declarat. Neque miseros, ac morituros duntaxat: sed supplicio plectendos, mortisque reos; ut quisque etiam in ipsis culpam & pœnæ causam dignoscat. Quis enim reus mortis, supplicioque obnoxius dici potest, si nullum omnino reatum habeat? Atque eò magis sunt manifesta, quod sequenti Hom. xi. declarat Chrysostomus simul cum morte corporis in animam pugnas inter carnem & spiritum, & pravorum affectuum examen introisse, ut contra Erasmum, Fabrum, & Dallæum demonstravimus.

At cætera facillima sunt. Nam præterquam quod de baptizatis proferuntur, in Hom. xvii. super Epist. ad Corinth. ait nos ab ipso peccati Adæ supplicio non damnum accepisse, sed lucrum; quandoquidem mortalitas, quæ etiam post baptismum remanet, non est causa peccati, imo possumus peccata solvere, *Cum corpus sit humile, demissum, & dissolvatur.* Quamobrem, ut non accusamus frænum, sed aurigam; ita non corpus debemus reprehendere, dum in præcipitia dilabimur, sed perversam & lubricam voluntatem. Abel enim, etsi corpore mortalis, salvus factus est; & Diabolus contra, quamquam incorporeus, in gehennam detrusus. Eô itaque tendit oratio, ut indomiti equi habenas, carnis scilicet, regere studeamus non causando infirmitatem, quam traximus ex Adam, corruptibilis corporis, sed illud tanquam injecto fræno, admotisque calcaribus gubernando. Quæ satis commode dicta sunt, maxime ab Oratore populum alloquente, qualem Chrysostomum consideremus oportet. Homilia xxxix. negat omnes mori in Adam ea morte, quam evitarunt Abraham, Job, aliique justi, morte nimirum perpetua: profert enim horum Sanctorum exemplum. Ad ultimum solet responderi loqui Chrysostomum de baptizatis, in quibus est anima incorrupta, dummodo actualis peccati macula non contrahatur. Verum habetur in Græco φθαρτὸν ἡμῖν τὸ σῶμα ἐστὶν, ἀλλ' ἄφθαρτος ἡ ψυχή. μὴ δὲ ἢ αὐτὴν φθείρωμεν. τοῦτο ἡ ἁμαρτία εἰσήγαγε ἡ πρότερα. ἡ δὲ μετὰ ταῦτα τὴν ψυχὴν φθεῖραι δύναται. *Corruptibile nobis est corpus: sed incorruptibilis anima. Ne itaque & ipsam corrumpamus. Hoc primum peccatum fecit. Quod est autem post lavacrum potest pariter animam corrumpere.* Hoc ergo testimonio probatur, non evertitur originale peccatum: ut optime adnotatum est in editione Parisiensi an. 1556. pag. 1006. Confer & Commelianam pag. 1197.

12. Objectio 5. refutatur.

Objicies quarto aliorum Græcorum Patrum testimonia, Gregorii Nysseni, qui infantes matura morte abreptos omnis malitiæ expertes esse declarat, nec definire audet, num in judicio uni-

universali ante tribunal Judicis debeant comparere. Item magni Basilii docentis non esse malam perversamque naturam, quæ seminali propagatione generatur, Theodoreti demum, qui lib. v. hæret. fab. cap. 18. docet parvulos baptizari, etiamsi peccatum nondum gustaverint.

At 1. respondetur agere Nyssenum de infantibus baptizatis, de quibus anceps est, num debeant in extrema die judicari; quoniam si Evangelica historia nude legatur, videtur proprie judicium pertinere ad adultos, qui actualia opera exercuerunt. Quorum tamen sortem parvulos baptizatos possessuros diserte affirmat, licet impari quadam cum adultis retributione, cum non sint illi ob personalia merita coronandi. Nam *in peccatum humanam naturam lapsam* ob Adæ prævaricationem, idque certissima traditione tenendum, scribit Nyssenus in libro de vita Moysis. At Basilius, de quo supra, scribit *adversus Manichæos putantes, atque affirmantes de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo coæternam, habere originem corpora, & esse etiam ipsa immutabilia mala*: ut Augustinus ait in 1. contra Jul. cap. v. num. 17. Theodoretus vero scribit adversus Messalianos, qui dicebant per baptismum deleri actualia peccata, originale autem solummodo per orationem. Quare juremerito negat parvulos ablui baptismate in remissionem peccatorum, id est, actualium: nam hæc satis insinuantur ipsis Theodoreti verbis *peccatum nondum gustaverunt*. Agnoscit autem originale peccatum expressissimis verbis in Epitome divinorum decretorum cap. xi.

13. Objectio & tollitur.

Postremo adversus Catholicum dogma pugnant Latinorum auctoritate. Inter quos antiquissimus omnium, post Victorem & Apollonium, qui deperierunt, Tertullianus in libro de Baptismate, *Quid festinat*, inquit, *innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Atque de resurrect. carnis cap. 47. in Adæ prævaricationem refert quidem mortem corporis, at non animarum reatum. Hilarius etiam Comment. in Epist. Pauli, qui tribuuntur Ambrosio, scribit: *Est & alia mors secunda in gehenna; quam non peccato Adæ patimur:* quo loco non dari peccatum originale probare conatus est Michael Servetus, ut notat Sixtus Senensis lib. vi. Bibl. sanctæ annot. 236. Et denique Optatus Milevitanus lib. vii. n. 1. ait, *non pertinuisse ad Seth filium Adæ patris admissum.*

His ex ordine responsuri primum ad ea, quæ supra ex Tertulliano producta sunt, adversarios provocamus. Deinde dicimus infantulos innocentes appellari, quod nihil boni vel mali actualiter perpetraverint, quemadmodum de Jacob & Esau scribit Apostolus ad Rom. ix. 11. De Resurrect. autem carnis iccirco Tertullianus solam corporis mortem commemorat, quia disputat adversus Marcionem, qui mortuos resurrecturos esse negabat. Quem refellit ex eo, quod sicut omnes, ut Apostolus scribit, moriuntur ob culpam Adæ, ita omnes resurgent per Christum, *quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, &c.* in 1. ad Corinth. xv. 21. Hilarii plura Augustinus contra Julianum recitat lib. 1. cap. 3. n. 9. ut quod habet in Exposit. Psalmi centesimi duodevigesimi, ad illa fere extrema verba, *Vivet anima mea, & laudabit te*, ubi ait: *Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum.* Quibus recitatis, *Sentisne* (inquit S. P.) *quid audias? quærisne quid dicas? Hunc virum tanta in Episcopis Catholicis laude præclarum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est: criminari.* Hilarus auctor Comment. in Epist. Pauli non est Pictavensis, nec Arelatensis, cum ipse ad Timot. prim. iii. asserat scribere sub Damaso. Fuit autem Pictavensis antiquior, & Arelatensis Damaso junior. Quare erit iste, ut dudum Lovanienses Theologi observarunt, Hilarius Diaconus, qui schismati Luciferi Calaritani adhæsit, dictus à Hieronymo, circa finem Dialogi adversus Luciferianos, *Deucalion orbis.* Atque hujus extat pro originali peccato illustre testimonium in Augustini quarto ad Bonifacium libro, cap. iv. *Manifestum in Adam omnes peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato.* Hæc Hilarius, quem opponit Servetus. Verbis autem in contrarium allatis tantummodo sentire videtur originale peccatum non puniri ignis æterni cruciatibus: quod & plures Catholicorum defendunt.

Optati Milevitani non esse septimum librum olim dubitatum est, quod non sit in editione Germanica Cochlæi, & Hieronymus asserat nonnisi sex libros ab eo scriptos; ime ipse Optatus lib. 1. sex tantum librorum argumenta proponat.

ponat. Stylus tamen, & plura Mſs. illius genuinum opus demonſtrant, unde ab eodem Auctore creditur ſex prioribus ſuperadditus. Non tamen probamus judicium Voſſii, & Caſauboni; quorum alter ſcribit Optato non ſatis originale peccatum perſpectum fuiſſe: iſte vero ait vereri ſe, ne imprudenti & incauto hæc exciderint, quæ ſeverioris examinis acrimoniam ægre ſuſtineant. Nam conſtat Optatum de actuali peccato verba feciſſe, utpote qui ſermonem inſtituit de Traditoribus. Atque in libro quarto præclare de Originali peccato ſcripſerat, quod propter illud *omnis homo qui naſcitur, quamvis de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit.* Eſt ergo Patrum cum Græcorum, tum Latinorum concordiſſima traditio, quod primus homo, ut Proſper inquit. in Carm. de Ingratis cap. XXVII.

Corruit, & cuncti ſimul in genitore cadente
Corruimus.

CAPUT III.

Ex hujus quoque vitæ miſeriis Originale demonſtrari peccatum.

SUMMARIUM.

1. Sententia S. Auguſtini.
2. Concluſio.
3. & 4. Probatur duobus modis.
5. Confirmatur concluſio.
6. uſque ad 14. Variæ objectiones ſolvuntur.

1. Sententia S. Auguſtini.

FAMILIARE fuit Auguſtino ex morte, aliisque cruciatibus quibus infantes plectuntur, originale peccatum adſtruere: quod argumenti genus ne omnibus quidem Catholicis probatur, cum plures putent protuiſſe Deum abſoluto dominii ſui jure hominem innocentem morti, certisque calamitatibus adjudicare. Vim tamen habere illas Auguſtinianas rationes fide ſuppoſita, & facta hypotheſi, quod Deus hominem rectum ac ſanctum condiderit, vix aliquis denegat. Videamus ergo quale pondus in ſe vere habeant, & num poſſint à Pelagianis eludi.

2. Concluſio.

PROPOSITIO: Sive ſuppoſita fide, ſive abſolute loquendo ex miſeriis, quas modo patimur, probari poteſt originale peccatum.

Demonſtrata eſt prima pars ſuperiori libro cap. XIII. ubi oſtendimus mortem, ignorantiam, & concupiſcentiam non eſſe conditionem naturæ, ſed pœnam peccati. Confirmatur nunc 2. Canone Arauſicano, *Injuſtitiam Deo dare convincitur, qui mortem, quæ eſt pœna peccati, ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad nos tranſiſſe dicit.* Idem docent PP. Africani in Sardiniam exules in lib. de Incarnat. & Grat. cap. 14. Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Piceni, Proſper contra Collatorem cap. 20. Scriptor Hypognoſticon initio 2. libri, Anſelmus lib. 2. de Incarnat. cap. 2. & de Concept. Virg. & Peccato Origin. cap. 13. & alii apud Noriſium in Vind. cap. III. §. 3.

3. Probatur.

Probatur ſecunda pars. Vel enim nos ſtatum *puræ naturæ*, non quidem abſolute, & conſiderata potentia Dei, ſed ex pura puta decentia, & ſpectata Dei providentia, atque animæ ſpiritualis natura credimus eſſe impoſſibilem; aut conſentire volumus iis, qui poſſibilem eſſe propugnant. Si arrideat ſententia prior, liquet defectus tam corporales, quam ſpirituales, etſi ex neceſſitate materiæ conſequi videantur, *conſiderata Divina providentia, & dignitate ſuperioris partis humanæ naturæ*, pœnam eſſe peccati, ut alibi dictum eſt cum Angelico Doctore Thoma in IV. contra Gentiles cap. 53. Atque huc ſpectant verba Auguſtini ita Julianum refellentis in Opere poſtremo n. 81. libri 1. *Propter quid ergo affliguntur parvuli, ſi nullum habent omnino peccatum? An omnipotens & juſtus Deus injuſtas pœnas à tot innocentibus prohibere non potuit?* Et n. 235. *Judicium hoc utique in parvulis injuſtum eſſet, ſi peccatum originale non eſſet.* Vide & lib. IV. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 4. lib. IV. contra Jul. cap. 16. lib. II. Op. Imperf. cap. 119. lib. VI. cap. 9. 27. & 36.

4. Probatur alio modo.

Si vero magis placeat illorum ſententia, qui ſtatuunt *naturæ puræ* poſſibilitatem; ſunt adhuc Auguſtini argumenta ducta ex hujus vitæ miſeriis firmiſſima ac validiſſima, & perperam quispiam niteretur illa elevare. Dato enim quod nullo ſupernaturali beneficio rationalem creaturam Deus exornaſſet, num

num credendum est illam condidisse tot prementibus calamitatibus ac miseriis obnoxiam? Id quidem est mea sententia falsissimum. Principio in eo statu aut non adesset concupiscentia antevertens rationem, aut certe non adeo pugnax & lacertosa, quam nunc Adæ posteri experiuntur captivantem in lege peccati, & turpissima quæque inhiantem. Tantam enim libidinem neque pecora sentiunt, neque asini. Errat autem qui putat potuisse Deum, cujus erga hominem singularis est providentia, hunc creare deterioris, quam bruta sint, conditionis. Optime ergo ex concupiscentia hac acerrima & bellicosa, locis nuper laudatis, evincit magnus Augustinus nasci homines sub lege peccati: & sunt Augustiniana argumenta etiam non suppositâ elevatione hominis ad finem supernaturalem, quantum ad præsentes calamitates attinet, invictissima. Idem de ignorantia dicendum est. Cum enim creaturæ omnes in finem suum providentissime dirigantur; in eo sane statu, in quo nulla adesset macula originalis, saltem homo perciperet quid sibi foret agendum, & non esset ratio talibus tenebris obvoluta, quibus modo obcæcata plura ignorat ad se pertinentia, & sæpenumero errat invita. Ex hac itaque tam spissa ac tenebricosa ignorantia infectam esse humanam naturam satis evidenter concluditur. Quid vero de vexatione dæmonum, à quibus interdum ab ortu suo abripiuntur infantes, & multimodis excruciantur? Annon recte Augustinus in ultimo Opere lib. 1. cap. 88. scribit adversus Julianum? *Quando parvulum spiritus vexat immundus, animamque ejus & corpus affligit, sensus sanitatemque pervertit, nonne universa ejus, quam Deus instituit, natura turbatur? nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum negantes originale peccatum.*

5. **Confirmatur conclusio.** Demus præterea potuisse mortem, cæterasque corporales miserias absque culpa à supremo Domino immitti, quod nimis ægre fateor, si ad immortalis animæ naturam, hominisque præstantiam animum mentemque converto: est nihilosecius homini mors tam horribilis, & quam frequenter immatura, sæva, teterrima; ut pœnam esse peccati natura ipsa proclamet. Inter animalium fœtus estne ullus, qui ululatibus, fletibusque vix in lucem editus conqueratur, quemadmodum muliebris partus? *Dispendia ergo, quæ nascentes flendo testantur,* (ait de parvulis Augustinus eodem libro n. 113.) *dicito, quo merito sub justissimo & omnipotentissimo judice eis, si nullum peccatum attrahant, irrogentur.* Hæc etiam Gentiles philosophi naturali mentis acumine percepere runt. Nascentes quippe homines contemplati, videntes ex una parte nobilissimum omnium animal tot miseriis & ærumnis premi, ex alia autem sacris literis destituti, aut ipsam naturam tanquam novercam damnarunt, quod sit in homines magis, quam in bestias iniquior; aut opinati sunt obpeccata superioris vitæ rationalem animam his calamitatibus subjici. Atque horum quoque Philosophorum placita demonstrant, optime ipsa naturali ratione probari impositum jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris; quemadmodum S. Pater acute demonstrat sub finem libri quarti contra Julianum. Itaque ex præsentibus animæ, corporisque cruciatibus constat omnes homines peccati vinculo adstringi, quoniam vel non potuit servata lege providentiæ ac justitiæ Deus hominem condere miserum ac moriturum: aut, si potuit, nunquam creasset subjectum morti adeo nobis adversæ atque infestæ, neque tam gravi & ærumnoso jugo prostratum.

Refelluntur Oppositiones

6. **Objectio 1.** Contra hanc propositionem facit primo quod legimus de cæco nato cap. IX. Joannis 2. *Neque hic peccavit, nec parentes ejus:* quemadmodum ergo cæcitas, ita calamitates reliquæ absque ullo peccato immitti possunt hominibus. Deinde nonne Christus, qui peccatum non fecit, neque maculam virginali ex utero traxit, ignominiosæ mortis supplicio affectus est? Immaculata item Virgo, quam sine labe originali conceptam totus fere Orbis veneratur, communi morte decessisse creditur, variosque cruciatus pertulisse. Non est ergo mors corruptæ peccato originis argumentum.

7. **Solvitur.** Levissima hæc sunt. Ac ad primum quidem de cæco nato responsum dedimus præcedenti libro cap. 4. Prop. 1. ad 3. Potest & retorqueri argumentum verbis Augustini in 111. contra Jul. cap. 6. *Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui & in animo & in corpore cum tanto vitiorum varietate nascuntur, hoc dici potest, quod Dominus ait de illo, qui cæcus est natus, non propter peccatum ipsius, vel parentum id esse factum, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec sanantur omnino, sed cum eisdem vitiis, sive in qualibet*

libet ætate, sive in ipsa moriuntur infantia &c. Ad alterum idem Augustinus resp. de Peccat. meritis lib. 1. cap. 37. *Dicet aliquis si hæc natura pura non est, sed vitiosa primordia, quia talis non est creatus Adam: cur Christus longe excellentior, & certe sine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate atque ætate procreatus apparuit? Huic propositioni respondemus: Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato est creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati. Christus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudine carnis peccati.* Neque enim pœnæ rationem habet, quod Salvator, ut chirographum nostrum affigeret cruci, nulla necessitate, sed electione voluntatis suæ propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, pati dignatus est. De Virgine matre Romanorum Pontificum decretis inhærens, & repetens de originali labe, quod Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 36. scripsit de actualibus noxis, *Propter honorem Domini nostri nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem;* dico, licet pie credatur à peccato originis præservata, genitam tamen esse ex carne vitiata & corrupta, ex qua mors corporalis consequitur; quamquam anima ex hujus carnis consortio non fuerit singulari privilegio inquinata.

8. Objectio 2. solvitur.

Sunt autem bene multa, quæ adversus peccati Originalis transfusionem ex ratione humana objiciuntur. Primum est, quod Diabolus foret conditor hominum: Neque enim à Deo bono potest produci contaminata natura. Sapit ego cum Manichæis quisquis nascentium originem putat esse vitiatam. Nec satisfit hujusmodi argumentationi dicendo Deum utique bonam rectamque naturam instituisse, sed corrupta primi prævaricatione parentis, peccatum carnis propagine contrahi. Anima enim rationalis non propagatur, sed à Creatore corpori tabifico infectoque inseritur. Erit ergo ipsemet Deus hujus causa peccati. Referenda sunt enim in ipsam causam efficientem quæ alicui rei ab origine primaque institutione conveniunt. Præterquam quod eccur Deus rationalem animam corpori unit, si scit inde illam diaboli ancillam captivamque evasuram, & lege peccati adstringendam? At huic argumento cap. IV. superioris libri satisfactum est. Verissima est responsio, originale peccatum non esse ex institutione Creatoris, sed ex prævaricatione primi parentis; laudandam esse adversus Manichæos hominis creationem, sed commendandam etiam adversus Pelagianos Salvatoris gratiam ac redemptionem. Melius quippe Dei causa agitur, *cum & Creator & Salvator agnoscitur, quam cum defensa velut sana, viribusque integra creatura, opitulatio Salvatoris inanitur:* Inquit Augustinus de Nat. & Grat. cap. 42. Vide & lib. IV. ad Bonifac. c. 3. Diximus etiam necessarium non esse, ut ad perdifficilem de animarum origine quæstionem confugiamus. Etsi creentur singulæ à Deo, trahunt originalem maculam ex carne, *sicut aqua in vitiato vase corrumpitur.* Eapropter non est Deus causa peccati, quoniam *non ex creatione Dei est vitium, quod voluntario motu natura collegit: sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exequitur;* inquit Epist. VII. Sanctus Gelasius. Dispositio autem corpore non debet Deus animorum creationem suspendere, quoniam, ut scribit Prosper ad IV. ob. Vincentii, *Prævaricatio hominum dispositæ à sæculis creationis ordinem turbare non potuit.*

9. Objectio 3. annullatur.

Deinde objiciebat Julianus lib. 1. ultimi contra Augustinum Operis n. 59. & lib. 11. n. 24. damnari in sententia Catholicorum nuptias, neque à Deo institutas fuisse; si aliquid unde damnábiles generantur secum habeant, & illarum usu corrupta propagetur natura. Addebat lib. V. num. 2. parabolam Evangelicam Matth. VII. 17. à fructu arborem bonam aut malam dignosci; & consequenter malam esse suapte natura generationem, concubitumque virilem, ex quo fructus carpitur adeo noxius.

Et huic argumento cap. XIII. proximi libri obviam itum est. Nego itaque nuptias esse damnandas, cum non ad libidinem & peccatum fuerint institutæ, sed ad generationem, quâ humana propagetur natura, inquinata sane & corrupta, sed non causâ nuptiarum, cum labes originaria in prævaricationem primi hominis sit referenda. *Nuptiæ* (inquit S. P. lib. 2. de Nupt. cap. 26. num. 42.) *institutæ sunt causa generandi, non peccandi: propter quod illa est à Domino benedictio nuptiarum: Crescite, & multiplicamini & replete terram. Peccatum autem quod inde à nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum, quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt nuptiæ,* Et Fulgentius in 1. de Verit. Præd. *Deus humana*

manæ naturæ fœcunditatis donum contulit; libidinis vero malum non est creatura Dei, sed pœna peccati. Proinde de immunditia nuptiarum mundus homo non nascitur, quia interveniente libidine seminatur. Quam libidinem nuptialis honestas utique non amat, sed in nuptiis mortalis propagationis necessitas tolerat. Non sunt ergo damnandæ nuptiæ, quarum finis bonus est, humanæ videlicet naturæ conservatio & propagatio. Imo magnum afferunt ac laudabile bonum, bonum scilicet usum concupiscentiæ malæ, qua abutuntur adulteri, & curam ordinate filios procreandi. Quare laudandæ ac celebrandæ sunt, ut S. Pater demonstrat memorato loco, & lib. v. contra Jul. cap. 18. nec non libri 1. Op. Imperf. n. 65. & lib. v. c. 23. Cumque causa originalis peccati sit Adæ transgressio, nuptiarum vero fructus procreatio filiorum; erit mala Adami voluntas, non bona connubiorum institutio, malæ arbori comparanda. *Nihil proinde valet ad istam quæstionem similitudo illa Evangelica: quia non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur à nascente, & expiatur in renascente: sed voluntarium peccatum hominis primi originalis est, causa peccati;* inquit magnus Augustinus laudato cap. 26. de Nuptiis lib. 2. num. 43.

10. Objectio 4. rejicitur. Ulterius argumentantur Pelagiani. Parentes baptizati peccatum originale non habent: Non ergo istud traducunt in posteros. Quo enim pacto fieri potest, ut illud probentur tradere parentes, quo carere creduntur? Ita Julianus lib. VI. apud Augustinum cap. 7. num. 18.

Resp. In baptizatis soluto reatu concupiscentiæ, quæ vinctos detinebat, ipsam ad agonem remanere; & per baptismum evacuari carnem pecati, *non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur & non sit: sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato:* Ita Augustinus de Peccat. meritis lib. 1. cap. ult. & lib. II. cap. 4. Porro hæc concupiscentia ex peccato nata, & ad peccatum inclinans, est originalis peccati quasi rheda atque vehiculum. Igitur nego consequentiam. Quamvis enim gratia regeneratis carnalis concupiscentia, repugnans legi mentis remissa sit, & in peccatum non reputetur, neque noceat aliquid, nisi ejus motibus ad illicita consentiatur: attamen *Proles eorum, quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliva quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, ut nisi renascendo liberari ab illa peste non possit;* inquit ipsemet Augustinus lib. II. de Nupt. cap. 34. Ad exemplum oleastri, qui exoritur è bacca & semine oleæ, addit in VI. contra Julianum cap. 7. num. 18. alterum ex filiis circumcisorum, qui præputiati gignuntur, trahuntque ex patris semine quod non reperitur in patre: ac supra cap. 6. n. 16. aliud attulerat ex Filiis Fundani Rhetoris Carthaginensis, qui cum accidenti vitio luscus esset luscum filium procreavit; quo exemplo *evertitur* (inquit) *illa tua scientia, qua dicis naturalia per accidens non converti: accidens quippe fuit in patre, quod factum est in filio naturale.* Naturale autem possumus hoc modo appellare originale peccatum, quatenus insitum est propagatione naturæ, quamquam naturale non est, ipsius naturæ substantia, atque institutione spectata. Fundano autem alter filius duobus oculis de luscо natus est, quod & passim evenire conspicimus: idque evertit alteram Pelagianorum sententiam, qua dicunt, *Parentes in filios ea, quæ non habent, non posse transfundere.*

11. Objectio 5. declaratur. Insuper arguunt apud Augustinum lib. III. de Peccator. meritis cap. 2. Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest. Hoc falsum est. Itaque & illud.

Resp. cum Augustino ibidem, quod *sicut eorum, per quos parvuli renascuntur, justitiæ spiritus trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam genuerat peccatores. Illa enim carnalis generatio est, hæc spiritalis,* &c. Quamobrem nego minorem, & argumentationem in Pelagianos retorqueo. In spirituali enim generatione necessaria non est propria actualis fides in parvulis, ut per lavacrum baptismatis constituantur sancti, ac regni cœlorum hæredes. Pari ergo jure non requiritur actualis ac propriæ voluntatis transgressio, ut in carnali generatione per originem ex Adam filii iræ, mortisque nascantur.

12. Objectio 6. Adhuc objiciunt. Non est peccatum nisi voluntarium: Peccatum originale infantulis voluntarium non est: Igitur nullum est in parvulis peccatum originis.

Re-

Reſpondetur, eodem modo quodlibet peccatum voluntarium eſſe, quo peccatum eſt. Actuale peccatum eſt voluntarium propria voluntate: Originale voluntarium eſt *originaliter*, videlicet comparate ad primum hominem, à quo ſumus per carnis propagationem progeniti. *Poteſt autem* (inquit Auguſtinus lib. 2. Operis Imperf. cap. CXI.) *& hoc recte dici de eodem genere eſſe, ſi ad originem referatur, quia ipſum ex primi hominis voluntate manavit, quando illius peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertranſiit.* Et lib. IV. cap. 90. *Ad hoc peccati genus ex libera voluntate perventum eſt, non ejus propria qui naſcitur; ſed ejus, in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam mala voluntate vitiavit.* Diſtinguo itaque minorem: Peccatum originale non eſt voluntarium parvulis *actualiter* & voluntate propria, concedo: *originaliter* & voluntate Adæ, qui communem naturam infecit, nego.

13. Rejicitur. Perſiſtunt hæretici: Si peccatum originale ex libera protoparentis voluntate contrahitur, apud quem impollutam innocentiam ſcelus gravavit externum? Quomodo Deus, qui adeo eſt miſericors, ut propria unicuique confitenti peccata dimittat, eſt tam crudelis, ut innocenti impingat aliena? At reſpondet Auguſtinus lib. 1. Oper. Imperf. cap. LX. Pelagianos potius Deum facere iniquum atque injuſtum; nam cum videant gravi jugo miſeriæ parvulos premi, contendentes nullum eos habere peccatum, accuſant Deum ſi affligunt immeriti, & redarguunt Eccleſiam, ſi exufflantur à jure diabolicæ poteſtatis alieni. Et cap. 46. negat peccatum originale non eſſe ſingulis proprium, ita Julianum urgens: *Peccatis*, inquis, *alienis non utique perire debuerunt. Aliena ſunt, ſed paterna ſunt, ac per hoc jure ſeminationis, atque germinationis & noſtra ſunt.* Sunt ergo etiam parvuli proprio obnoxii peccato, *non ſecundum vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundum communem generis humani originem*, inquit idem Auguſtinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. 27. Quisquis hæc non ſatis percipit, arcana enim ſunt obſcuriſſima, audiat Apoſtolum de Adamo dicentem: *In quo omnes peccaverunt.*

At, inquies iterum, cum omne peccatum ſit aliquo modo voluntarium; voluntarium autem ab intrinſeco principio efficiatur; quomodo Adæ voluntas parvulis externa, tantoque diſſita intervallo, cauſa eſt ob quam prævaricatores ſinguli reputentur? Rurſus: Si vera eſt definitio peccati, quæ vulgo circumfertur, *Eſt dictum, factum, aut concupitum adverſus legem Dei*, dic quæſo, cur peccatum eſt in parvulis nondum ad agenda, vel appetenda illicitia idoneis. Item: Si nemo damnatur ob invincibilem ignorantiam, quam habet in ſe, eo quod non ſit ei voluntaria, & nemo ob aliorum malefacta apud rectiſſimum judicem plectitur; quare ob Adæ inobedientiam erit miſera poſteritas punienda?

Tenenda eſt ſuperior regula, quod eodem modo voluntarium peccatum eſt, quo eſt peccatum. *Ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ: ad culpam vero naturæ, non requiritur niſi voluntas in natura illa*, inquit S. Thomas in 2. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. Ea ergo, quæ prædicta ſunt, in ſolis actualibus peccatis actum perſonæ voluntarium demonſtrant. Dum quæſtio de originali inſtituitur, ſat eſt, quod fuerit voluntarium *originaliter*. Hoc pacto non eſt externum, ut diximus, nec malefactum alienum, ſed hominum univerſorum. Eſt etiam factum & concupitum, quatenus ex primi hominis voluntate manavit.

14. Objectio 7. tollitur. Objicies adhuc: Per quid hoc peccatum invenitur in parvulo? Certe non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit: per quas ergo rimas peccatum iſtud ingreditur? Equidem dicendum eſt, aut illum peccaſſe qui genuit, aut illum qui condidit, aut iſtum qui natus eſt: ex quibus unum inſanum eſt, aliud Manichæum, aliud ſupra Manichæos. Ita Julianus libro 11. poſterioris Reſponſ. cap. 24. & 28.

Reſpondet S. Pater ibidem & lib. III. prioris Operis cap. 24. num. 56. *Rimam quæris inter tot innocentiæ præſidia, qua potuerit introire peccatum; cum tibi oſtendat Apoſtolus Paulus non rimam, ſed apertiſſimam januam dicens: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Introivit itaque peccatum per Adam, qui communem naturam vitiavit: quod non eſt inſanum, non enim damnantur nuptiæ, ut frontem perfricans obgannit Julianus; nec Manichæum, cum non ſit origo vitiata ex inſtitutione Creatoris, aut humana natura per ſe, & ſubſtantialiter mala.

Ultimo arguebat Julianus doctrinam Catholicorum de Corruptione naturæ ad perfectionis deſperationem inducere, cum incredibile ſit, quod ingenerata vitia poſſint conſumi. Sed reſpondetur quod

quod ideo Salvatoris gratia creditur necessaria, ut vitium inolitum auferatur per ejus virtutem, *qui ex origine vitiatam mutare potest, & sanare naturam*, ait S. P. Augustinus initio 2. libri contra Julianum.

CAPUT IV.

Originale peccatum contrahi etiam à filiis Baptizatorum.

SUMMARIUM.

1. Opinio catholica adducitur.
2. Probatur conclusio.
3. 4. 5. 6. Variæ objectiones solvuntur.

1. Opinio Catholica adducitur.

EST ergo Catholica fides etiam in Sanctorum filios originale peccatum transire, ut supra adversus Pelagianos disputatum est. Non enim fideles generant in quantum sunt filii Dei: sed quemadmodum ex olea gignitur oleaster, atque ex tritico mundo frumentum cum paleis, ita generantur à sanctificatis conjugibus filii iræ. Incidunt tamen in Pelagianam hæresim Novatores: quorum tenent aliqui filios regeneratorum ad hæreditatem novi fœderis pertinere, & solum tingi baptismatis lavacro, ut tanquam membra in unum Ecclesiæ corpus coaptentur. Ita sentire videtur Calvinus lib. IV. Institut. cap. 16. n. 24. & in Antid. Conc. Trid. Zwinglius in lib. de baptismo, & Bucerus in cap. 3. Mat. Eadem est sententia Theodori Bezæ, qui Comm. in cap. 7. Epist. 1. ad Corinth. traducem sanctificationis & gratiæ ex Parentibus in filios propugnat. De hac hæresi, quoniam præcedentibus momentis omnibus profligatur, dicam perbrevi.

PROPOSITIO. Etiam ad filios Fidelium peccatum originale pertransit.

2. Probatur conclusio.

Etenim Scripturarum testimonia producta cap. 1. & secundo universalia sunt, omnesque Adæ posteros statâ, ordinatâque lege comprehendunt. Dixi autem *ordinata lege*, ne quis me existimet erga purissimam Dei Matrem iniquum, quasi piam, vulgatamque de singulari ejus præservatione sententiam velim adversus scita Pontificum controvertere. Deinde: Erat David fidelibus & circumcisis parentibus procreatus; & nihilominus *in iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum*; usus plurali numero, non Hebræorum consuetudine, ut visum P. Simonnet Tract. v. disp. v. art. 4. cum in Hebræo potius singulare nomen occurrat; sed quoniam in uno Adæ delicto plurima continentur. Ad hæc Apostolus ex Hebræorum genere, & ex tribu Benjamin, scribit de seipso ad Ephesios cap. II. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* Præterea ex Hæreticorum confessione filii Sanctorum baptizandi sunt. At quicunque baptizatur, in Christi mortem, & in remissionem peccatorum baptizari, superius probatum est. Rursus ob manifestam Christi assertionem Joan. III. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* fatebantur Pelagiani infantes non regneratos baptismate à regno cœlorum excludi. Sunt ergo Navatores Pelagianis deteriores ac magis, magisque improbi, si aliquos non baptizatos ad novi fœderis hæreditatem adscisc.nt. Item Ecclesiastica consuetudine etiam pueri fidelium ante regenerationis lavacrum exorcizantur: igitur & isti dæmonis mancipia nascuntur. Amplius: Ex opinione Calvini baptizantur Christianorum filii, ut fiant Ecclesiæ membra. Nisi ergo baptizentur, non pertinent ad corpus Christi, nec in cœlis cum capite regnare poterunt. Postremo tradunt Patres, singulis necessarium esse baptismum *propter contagium mortis antiquæ*, ut in Epistola ad Fidum loquitur Cyprianus. Vide Bellarminum de Baptismo cap. 4. & De Amiss. Gratiæ lib. IV. cap. 14. Definita est hæc propositio à Tridentina Synodo sessione v. can. 4. ac perscripta primum ab Augustino lib. III. de Peccator. meritis cap. XII. num. 21. ubi hæc habet: *Nec parvuli de quibuslibet sanctis, justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.* Et de peccato originali cap. XL. num. 45. *Regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat: ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, trajicit. Sic igitur sive reus infidelis, sive absolutus fidelis non regenerat absolutos uterque, sed reos, quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina, non oleas generant, sed oleastros.*

Ita

Ita docet etiam lib. 1. de ferm. Domini in monte cap. 16. lib. VII. contra Jul. cap. 3. aliisque in locis compluribus.

3. Objectio 1. Opp. 1. Apoſt. ad Hebr. VII. 9. ſcribit Levi, dum in lumbis Abraham erat, decimatum quidem eſſe, at poſtea natum decimas accepiſſe. Ita ergo filii promiſſionis, qui in femore protoparentis prævaricatores reputati ſunt, à genitore fideli actu procreati cenſendi erunt ab antiquo reatu ſoluti.

Solvitur. Reſp. nego conſeq. *Non enim propterea Levi poſtea non fuit decimatus, quia jam fuerat decimatus in lumbis Abrahæ, ſed quia ſic ordinatus eſt honore Sacerdotii, ut acciperet decimas, non præberet, alioquin nec cæteri fratres ejus decimarentur, quia & ipſi in lumbis Abrahæ à Melchiſedech jam fuerant decimati.* Ita Auguſtinus lib. 11. de Peccator. meritis cap. 25. num. 39. Et quidem Apoſtolum de Sacerdotii dignitate eo loco ſermonem inſtituiſſe, ut comparatione Levitici oſtenderet quantum præcellat Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech eòquod is decimas accepit à Levi, res eſt per ſe manifeſta.

4. Objectio 2. rejicitur. Opp. 2. At idem Apoſtolus ad Rom. XI. 16. ait: *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.*

Reſp. alloqui Apoſtolum Chriſti fideles vocatos è Gentibus, ne ſe à Judæis ad Chriſtum converſis ſegregarent. Aſpernabantur enim illi ex circumciſione fideles, quod hi olim legis ritibus addicti fuerint; & reprobatis Iſraelitis, quaſi ramis fractis, Chriſto Gentes inſitæ fuerint. Hos ergo ad fraternitatem revocans utitur Paulus duplici comparatione. Prior eſt ex oblatione primitiarum, de qua Deuteron. XVIII. 4. & XXVI. 3. oblatis enim primitiis, cunctis frugibus veſci licebat: atque ita regeneratione per baptiſmum facta, debent Judæi ſimul & Gentiles mutua conſuetudine uti. Altera ſimilitudo eſt ramorum, qui debent eidem trunco hærere, nec inſitione jam facta, ex arbore materna defringi. Erant Judæi ad Chriſtum converſi rami arboris, cujus radix ſancta erat, id eſt, ex Moſaica lege; atque hæc arbor per Chriſti mortem à vetuſtate fuerat purgata. Cæteri Judæorum, quaſi rami fracti, ſunt ab arbore exciſi; Gentiles, cum oleaſtri eſſent, cum prioribus ſocii radicis facti ſunt, & in olivam inſerti. Hi ergo, id eſt Gentiles, gloriari non debent adverſus ramos: ſed ſi ad eamdem radicem ſpectant, hoc eſt, religionem ac fidem, unà pinguedinis olivæ, nimirum charitatis, fieri participes: ſi autem fracti ſunt, id eſt, propter incredulitatem à Chriſto alieni; non debent altum ſapere, ſed ſtare in fide ac timore, ne Deus ex Gentilitate vocatos abjiciat, dum nec naturalibus ramis, nempe Judæis ipſis pepercit. Radix ergo, & delibatio ſancta Chriſtianam Religionem ſignificat, & rami ac maſſa fideles omnes baptiſmate regeneratos.

5. Objectio 3. tollitur. Ob 3. idem Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. VII 14. ait: *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

Reſp. in Corinthiaca Eccleſia fuiſſe eo tempore fœminas, quæ infidelium virorum congreſſum vitarent, & viros ſimiliter, qui uxores infideles, quaſi ſcorta adverſarentur: ex quo duo maxima incommoda conſequebantur; unum, quod facto conjugatorum divortio nonnulli filii legitimi habebantur tanquam ſpurii & adulterini; aliud, quod pueri baptizati apud alterum ex parentibus infidelem commemorantes, illius exemplo ad idololatriam declinabant. Monet ergo Paulus ne ab altero conſentiente conjux fidelis diſcedat; ut ſimul cohabitando unius ſanctitas & cohortatio alium reducat ad frugem, & à fideli marito, aut uxore nati in Chriſti religione contineantur. *Jam enim erant parvuli Chriſtiani, qui ſive auctore uno ex parentibus, ſive utroque conſentiente ſanctificati erant: quod non fieret, ſi uno credente diſſociaretur conjugium, & non toleraretur infidelitas conjugis uſque ad opportunitatem credendi.* Ita Auguſtinus lib. 1. de ferm. Dom. cap. XVI. num. 45. In ſecundo autem de Peccatorum merit. cap. 26. num. 42. animadvertit, quod Apoſtolus eodem loco dicit conjuges infideles in conjugibus fidelibus ſanctificari, (eſt enim in græco ἐν τῇ γυναικί, & ἐν τῷ ἀνδρί:) Atqui uxor infidelis non ſanctificatur per maritum fidelem, niſi baptizetur: ergo & filii, niſi baptiſmate regenerentur ſancti non erunt. *Non opinor* (inquit S. P.) *quisquam tam infideliter intelligit, ut ob hoc exiſtimet etiam maritum chriſtianum, quia chriſtiana fuerit uxor ejus, neque iam baptizari oportere, & ad peccatorum remiſſionem perveniſſe, & in regnum cœlorum eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in uxore.* Vide & lib. III. cap. XII. num. 21. Uno verbo nego ab Apoſtolo dici Sanctos Chriſtianorum filios nondum regeneratos.

6. Objectio 4. sublevatur.

Opp. 4. Christiani deputantur in semen Abrahæ: At Genes. XVII. 7. Deus pollicitus est futurum se Deum tam Abrahæ, quam seminis ejus: Ergo est Deus, & quidem sempiterno fœdere, omnium qui ex Christiani parentis semine procreantur.

Resp. dist. ma. Deputantur in semen Abrahæ secundum carnem, & ob generationem, nego: secundum fidem & propter baptismum, conc. *Qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine,* Inquit Apost. ad Rom. IX. 8. & ad Galat. III. 7. *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Falsa est etiam minor universaliter accepta; nam filii Abraham non circumcisi ex eodem cap. Gen. v. 14. ad sempiternum Dei fœdus non pertinebant: itaque nec filii Christianorum non baptizati. Censentur enim in Adam donec sint per baptismum regenerati;

Et licet hoc totum Christus persolverit in se
Contraxit quantum percussa in stirpe propago:
Attamen Auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbosque suis ac funera misit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.

Alc. Avitus lib. 1. de initio Mundi cap. 1.

CAPUT V.

In quo consistat Originalis peccati natura.

SUMMARIUM.

1. Variorum sententiæ referuntur.
2. Opinio Illyrici reprobatur.
3. 4. 5. & 6. Refutantur fundamenta contraria.
7. Originale non est peccatum Adami personale.
8. Objectio contraria solvitur.
9. Statuitur conclusio.
10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16. Eadem probatur.
17. Usque 21. solvuntur variæ objectiones.

1. Variorum sententiæ referuntur.

QUÆSTIONEM satis obscuram agredimur ob diversas Catholicorum, atque Hæreticorum opiniones. Matthias enim Illyricus Centuriarum Magdeburgensium præcipuus compilator, ac Lutheranorum, qui rigidiores dicuntur, anteſignanus peccatum originale asseruit malam esse substantiam. Novatores reliqui communiter illud in ipsa concupiscentia constituunt, ita, ut in renatis, in quibus remanet fomes concupiscentiæ: originalis reatus nequeat deleri, sed tegatur tantummodo, nec imputetur. Ex Catholicis vero quidam affirmarunt nihil esse aliud, quam ipsum peccatum Adæ, à quo prævaricatores posteri omnes denominentur: quæ est singularis Alberti Pighii & Catharini sententia. Recentiores affirmant nihil esse præter privationem originalis justitiæ, post Anselmum in lib. de Conceptu Virginis cap. 2. Noster Ariminensis, cui subscribunt Gabriel, & Henricus de Gandavo, in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. ait originale peccatum esse ipsam concupiscentiam cum reatu, sive vitium ex *morbida* qualitate contractum. Thomistæ, præsertim Gonet. disp. 7. de Peccat. Origin. art. 5. Contens. differt. 2. de Peccat. cap. 2. spec. 3. Salmanticenses Tract. XIII. disp. XVI. dub. 4. Card. Gotti Tom. 6. Q. VIII. aliique passim tenent peccatum originale materialiter esse concupiscentiam, formaliter vero privationem originalis justitiæ. Hæc sententia, quicquid Recentiores scripserint, eadem est cum ea, quam defendit Gregorius noster de Arimino constituens peccatum originale in concupiscentia cum reatu, tametsi ille nomen etiam *morbidæ* qualitatis adhibuit sensu non malo. Nec alia est cæterorum discipulorum Augustini doctrina, maxime Petri Manso Tom. 2. de Orig. peccato pag. 72. Nicolai Girken in summa Theologica P. 2. Tract. 3. Q. 2. dub. 2. Leonardi Vanroy de Peccatis cap. ultimo Aurelii Piette II. Parte cap. 2. quæst. 7. aliorumque fere omnium. Ac nostris consentiunt Caspar Juenin P. VII. diss. 7. quæst. 2. Estius in 2. dist. XXX. paragrapho 9. alii plurimi. Quæ sententia nullo modo rejici debet tanquam memoratæ hæresi affinis; nam docent Nostrates concupiscentiam in renatis separari à reatu, illam remanere, hunc vero prorsus per baptismum deleri, ita ut in baptizatis, in quibus adhuc illa ad agonem luctamque perseverat, nihil sit amplius damnationis antiquæ.

2. Opinio Illyrici reprobatur.

PROPOSITIO I. Originale peccatum non est mala ac perversa substantia, ut affirmavit Illyricus.

Vidi-

Vidimus enim in primæ Partis lib. 1. cap. VIII. malum non esse substantiam, ut Manichæi excogitarunt, ideoque sententia Illyrici ad horum, qui principium sempiternum cujusque mali temere statuerunt, insaniam proxime accedit. *Iniquitas quippe ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo.* Inquit S. P. Augustinus Conc. 1. in Psal. 68. Atqui peccatum originale non est substantia. Ulterius: Substantia spiritualis, cum sit physice incorruptibilis, nullam aliam mutationem patitur, quam accidentalem, affectuum scilicet, aut operationum suarum. Diabolus ergo, aut Adæ prævaricatio novam rationalem substantiam non potuit efficere. Rursus evertitur error Illyrici ex ejusdem principiis; docet enim posse hominem considerari physice ac theologice: hominis autem substantiam physice post Adæ lapsum eamdem perseverare, atque Theologice fuisse mutatam. Profert ipsius testimonia L'Herminier tom. 6. pag. 177. At mutatio Theologica non est substantialis, ut liquet: Ergo per originalem reatum minime nova quædam natura producta est. Deinde per baptismum deletur peccatum; at substantiam quis sanæ mentis dixerit auferri? Rursus quod idem est, homo cum originali peccato, ac regeneratus eadem persona est, unumque individuum. Remanet ergo in eo semper eadem *species*, eademque substantia.

3. Fundamentum 1. contrarium solvitur.

Opp. 1. Homo creatus est ad imaginem & similitudinem Dei: atque hæc imago sita est in facultate intelligendi & volendi, ideoque in ipsa animæ rationalis substantia. Adam peccando divinam imaginem ac similitudinem perdidit. Igitur perdidit priorem substantiam. Resp. dist. minorem: Adam peccando amisit divinam imaginem quantum ad characteres & ornamenta gratiarum, con. quantum ad ipsam intellectricem naturam, nego. *Simul enim*, inquit Cyrillus in cap. 1. Evang. Joan. *& vitam creaturæ spiritus indidit, & suos characteres divinitus impressit. Adulterata est illa similitudo Dei incursu peccati, nec jam characteres erant amplius clari & splendidi, sed subobscuri, ac tenebris obvoluti.* Vide quæ de imagine Dei, ad quam factus est Adam, scripsimus præcedenti libro cap. VII. 1. & 2. propositione.

Ob. 2. Sacræ literæ exprimunt originale peccatum nonnullis notis, quæ significant propriam veramque substantiam. Etenim Gen. VIII. v. 21. appellatur in Hebr. Cod. *Figmentum cordis malum.* Ad Rom. VI. 6. *Vetus homo.* Matth. XV. 19. principium efficiens malarum cogitationum, aliorumque vitiorum: & alibi *Semen serpentis, caro, Adam terrenus, &c.* = Resp. hæc omnia dici metonymice, & propter vitiatæ originis effecta. Ita Gen. VIII. *figmentum* cordis accipitur pro cupiditatibus, ac desideriis; unde recte Vulgata habet: *Sensus enim, & cogitatio hominis in malum prona sunt.* Nec desunt innumera exempla. Quid est enim scrutari renes, cor effundere, conglutinari animam, & cætera hujusmodi, nisi metonymiæ, in quibus causa ponitur pro effectu? Item *novus homo*, de quo Paulus ad Rom. XII. 2. & 2. ad Corinth. V. 17. significare novitatem sensus, gratiam, justitiam, renovationem Spiritus sancti, ex ipsa lectione manifestum est. Itaque nihil aliud ex adverso connotat *homo vetus*, quam desideria carnis, concupiscentiam, nequitiam, & sanctitatis & gratiæ privationem. Principium vero, à quo sunt inordinatæ cogitationes, est ipsa voluntas perversis affecta cupiditatibus, in Evangelio Matthæi *cor* eadem ratione appellata: nam operis mali causa nulla est, quam substantia bona mutabilis ac deficiens. Ob pravam denique affectionem homo lapsus caro, terraque nuncupatur; quod opera carnis perficiat; non spiritus: in terram enim, concretionemque corpoream animum abjisse, nequit, si habet animum, Illyricus opinari. 4. Solvitur 2.

Opp. 3. Propter originalem noxam quilibet homo nascitur filius diaboli. Gignitur ergo a diabolo maligna substantia = Resp. dist. ant. Quilibet homo nascitur filius diaboli, scilicet, cum peccato, quo diaboli mancipium redditur, conc. cum substantia, quæ à diabolo generatur, nego. Cum Adimantus Manichæus consimili argumentatione aliquam substantiam malam conaretur evincere ex verbis Christi Joan. VIII. 44. *Vox ex Patre diabolo estis*; S. P. Augustinus in libro adversus hunc Manichæi discipulum cap. 5. ait, *Tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur: uno secundum naturam, quomodo Isaac dicitur filius Abrahæ: alio secundum doctrinam, sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab illo didicerunt Evangelium: tertio secundum imi-* 5. Solvitur 3.

imitationem, sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur. Qui ergo propria voluntate peccant, duobus postremis modis filii Diaboli nuncupantur, atque de his loquitur memorato loco Joannes. Quantum vero spectat ad parvulos, & ad originale peccatum, hæc responsio plane non satisfacit; nam peccatum istud non contrahitur imitatione: & tamen Gaspar Juvenin, & alii quidam hac ratione argumentum dissolvunt. At ego dico, homines nasci filios Diaboli non secundum naturam, non secundum doctrinam, non secundum imitationem; sed secundum legem peccati, cui natura ob primi hominis transgressionem adstringitur, quemadmodum in baptismo regenerantur in filios Dei, quoniam soluto originali reatu liberi à potestate dæmonis in Dei similitudinem renovantur. Erit ergo triplex illa filiorum acceptio à magno Augustino non satis exposita? Ita sane. *Quod dixi: Tribus modis in Scripturis Sanctis filiorum nomen accipitur, minus considerate dictum est; & alios enim quosdam modos sine dubio prætermisimus, sicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptivus. Quæ utique nec secundum naturam; nec secundum doctrinam, nec secundum imitationem dicuntur.* Idem Augustinus in 1. Retract. cap. XXII.

6. Solvitur 4. Opp. ultimo. Tametsi Diabolus non sit conditor rationalium creaturarum, potest tamen harum substantiam in deteriorem commutare, non minus ac vinum in acetum, lac in caseum, & laterem in lutum convertimus: ac reapse commutavisse ex eo constat, quod modo humana natura legi Dei est difformis, & à priori, quam Deus instituit, longe diversa — Resp. Substantiam spiritualem non posse superinductis accidentibus corrumpi, & consequenter extra orbitam Flaccum divertere ad caseárias & latericias tabernas; non enim fingitur animus ad instar coctilis lateris, neque ex lacte coagulatur. Sed & accurati philosophi negant in allatis exemplis produci novam substantiam à materiei dispositione diversam. Vitiata autem per peccatum natura primitus institutæ contraria est, ut infirmus sano, ut pauper diviti, ut deformis venusto, id est, non quod alia substantia sit, sed quod infirmitati, miseriis, & peccati inquinamento nascatur obnoxia. Hanc appellitant Scholæ oppositionem privativam; nec alia ratione dicimur difformes legi, nisi quia deest rectitudo justitiæ & æquitatis in membris nostris, legi, quæ in mente est, adversantibus ob inditum languorem, & pestem concupiscentiæ,

Quam generi humano tristis origo dedit,

ut scribit libro IX. ad Childericum Fortunatus.

PROPOSITIO II. Peccatum originale non est ipsum Adami personale delictum. 7. Originale non est peccatum Adami personale.

Demonstratur I. quoniam hæc doctrina repugnare videtur Sacrosanctæ Synodo Tridentinæ, quæ sess. v. can. 3. definit, *peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inesse unicuique proprium:* In sententia autem Catharini & Pighii hoc peccatum extitisset in Adam re ipsa, atque in posteris per solam imputationem, ideoque non esset cujusque hominis proprium: Ergo hæc sententia Sacrosanctæ Synodi decretis repugnat. II. Deleri hoc peccatum, ut eadem Synodus decernit proximo Canone v. non est duntaxat ipsum non imputari. Igitur contrahi hoc peccatum non est tantummodo idem Adæ posteris imputari. III. Ut Apostolus scribit ad Rom. v. 12. & definit altera Synodus Arausicana Can. 2. per Adæ prævaricationem in omne genus hominum peccatum pertransiit: At non pertransiit ipsummet actuale delictum Adæ, quod fuit actus immanens, & propria ejusdem transgressio: Non est ergo originaria culpa Adami actualis prævaricatio. IV. Aliquod est inter causam ejusque effectum discrimen: Peccatum Adæ, quomodo ex eodem Apostolo, & cit. Canone Arausicano colligitur, originariæ culpæ causa est; Igitur Adæ peccatum à culpa Originaria discrepat. Postremo: Justitia, quæ nobis per Christum tribuitur, non est quædam extrinseca denominatio, sed nobis revera inhæret. Ergo & inhæret vere, propriequé peccatum, quod per Adam in omnes pertransiit; nam Apostolus memorato loco versu 18. & 19. de peccato, atque de justitia eodem prorsus modo verba facit.

Objicies. At versu 12. ait Apostolus: *In quo omnes peccaverunt;* eodemque v. 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Augustinus etiam lib. 11. de peccat. meritis cap. 6. inquit: *Peccato offendentis Adam tenentur obnoxii* — Resp. hæc de causa efficiente ac prima, ob quam maculam originariam contrahimus, accipienda esse. 8. Objectio refutatur.

esse. Fuit autem hæc effectrix causa proculdubio perversa Adami voluntas. Et de sensu Apostoli satis nunc, & in superioribus dictum est. De Augustino pariter liquet ex dictis præcedenti cap. 3. ad quintam, & sextam oppositionem: nemo quippe negat originariam maculam ex primi hominis voluntate manasse. Quamobrem, si ita Pighium & Catharinum benigne possumus explicare, ut in originali peccato quod liberum & voluntarium est, sola sit extrinseca denominatio, inhæreat tamen singulis nondum regeneratis peccati macula, erit eorum sententia catholica & vera: sed nimis crude, & confidenter peccatum originarium in sola imputatione constituerunt; quod præbuit Suaresio, aliisque Theologis occasionem refellendi illorum assertum tanquam hæreticum, aut erroneum saltem, & periculosum in fide.

9. Statuitur conclusio.

Propositio III. Peccatum originale nihil est aliud, quam concupiscentia cum reatu, sive vitium ex *morbida* qualitate contractum ab anima, cui inest reatus culpæ, seu privatio originalis Justitiæ, adeo, ut concupiscentia sit originariæ culpæ quasi materies, reatus vero sit illud, quod appellant Theologi *formale* peccati.

Antequam sententiam nostram adversus Recentiores Scholasticos confirmare aggrediamur, animadvertendum est, concupiscentiam non esse sensitivum appetitum, ejusque vivacitatem, sed inordinationem potentiarum animæ, unde consurgunt motus repugnantes rationi; ut superiori libro cap. XIII. fuit explicatum. Notandum etiam, quod in unoquoque peccato invenitur sua quasi materies, sive substratum; & *forma* sive malitia, in qua primario sita est ratio peccati; ut in actuali peccato est actio, & defectus debitæ rectitudinis, illa quasi *materia*, hæc quasi *forma* ejusdem peccati. Observandum quoque, originale peccatum esse naturæ sua habituale. Est autem discrimen inter actuale, & habituale peccatum, quod in illo transit materia, ipsa videlicet operatio, & remanet culpæ reatus, ut dum præterit actus sacrificii idolis oblati, remanet in anima idololatriæ crimen, & macula. In peccato autem habituali etiam ablato reatu, remanet materia, videlicet prava quædam affectio & inordinatio, quæ inclinat ad iniquos pravosque actus; ut constat in habitu & consuetudine vinolentiæ. Hæc est Augustiniana doctrina in VI. contra Julianum libro cap. XVIII. num. 55. & sola actus, habitusque perceptione deprehenditur. Quam doctrinam approbat notisque collustrat eruditus Jesuita Edmundus Simonnet tom. 1. Instit. tract. v. disp. 5. art. x. Ego tamen his paucis ex Augustino depromptis contentus ero.

10. Probatur 1.

Nunc propositio demonstratur. Ac primo: Tantum abest, ut hæc sententia Tridentino Concilio adversetur, quemadmodum contendunt moderni quidam Theologi, quin hac præsertim hujus Synodi canones explicantur, muniuntur, & hæreticorum error sententia eadem exploditur. Immerito ergo refellitur. Prob. antecedens. Inviolabile Tridentinæ Synodi decretum est sess. v. *Tolli per baptismum totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet.* Item *manere in baptizatis concupiscentiam, & fomitem.* Rursus hanc concupiscentiam peccatum appellari ab Apostolo, *non quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Atque hæc est expressa sententia Augustini lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 26. lib. 1. de peccator. meritis cap. 29. lib. 11. cap. 4. & 34. &c. Atqui hæc omnia propositione nostra asseruntur, & confirmantur; dicimus enim per baptismum deleri concupiscentiæ reatum, atque illud quod ratione sua peccatum est, justitiæ scilicet *nuditatem*, per quam nascimur filii iræ; remanere autem ipsam concupiscentiam, animique languorem: quæ sane concupiscentia in renatis peccatum proprie non est, quoniam illud, quod habet in peccato habituali rationem materiæ, soluto reatu, & adveniente gratia sanctificante, remanet, ut constat ex prava qualibet consuetudine: at, quamquam remanet, non imputatur in culpam, sed ad malum adhuc inclinat, & si ei voluntas gratia adjuvante resistat, non peccat, sed potius meretur. Itaque sententia nostra cum decretis Oecumenicæ Synodi amussim congruit.

11. Probatur 2.

Confirmatur: nam in Congregatione, habita die 21. Maji anno 1546. in qua Patres Tridentini de natura peccati originalis disputarunt, solus Trevirensis Antistes Pelargus asseruit originale peccatum situm esse in privatione orginalis justitiæ, quod statim impugnatum fuit ab Antonio Episcopo Carnarensi. Duæ autem aliæ sententiæ ab Angelo Paschali, & Balthasare Eredia Prædicatoribus doctissimis propugnatæ sunt: quarum prior erat, perturbationem, inordinationemque facultatum, quæ subjiciuntur arbi-

trio, esse originariæ culpæ *materiam*; perturbationem vero ipsius arbitrii relate ad Deum esse *formam*, qua hujus culpæ constituitur natura: & altera sententia ab hac tantummodo discrepabat, quod contenderet originalis peccati naturam conflari ex memorata debiti ordinis destitutione, seu facultates animi hujusmodi ordine carentes, ac præsertim concupiscendi vim, hoc est, propensionem animi ad fluxa bona esse id, quod peccato originali substernitur. *His* (inquit Cardin. Pallav. lib. VII. cap. 8.) *communiter assentiebantur.* At hoc idem nos affirmamus, imo has omnes simul sententias defendimus. Ergo Tridentinorum Patrum sensa cum nostris plane conveniunt.

12. Præterea probatur propositio auc-
Probatur 3. toritate Augustini. Qui lib. 11. de pecc. merit. cap. 4. *Concupiscentia* (inquit) *tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Parvulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.* Innumeris autem in locis docet per baptismum solvi hujus concupiscentiæ *reatum.* Ita loco nuper laudato: *Soluto reatu, quo vinctos detinebat, ad agonem manet.* Tum lib. 1. de Nuptiis cap 23. *Hæc Concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur.* Libro etiam VI. ad. versus Jul. cap. 18. non semel repetit, *concupiscentiam manere actu, & præterire reatu.* In libro pariter 1. Retract. cap. 15. ait: *Concupiscentiæ reatus baptismate solvitur, sed infirmitas manet.* Hæc & alia plura nequeunt explicari, quod Augustinus tantum velit concupiscentiam comitari originarium peccatum, non ad hujus naturam, tanquam substratum, sive meteriam spectare. Enimvero apertissima sententia Augustini est, concupiscentiam solvi à reatu: ergo reatus concupiscentiæ inest ante baptismum. Augustinus ait concupiscentiam non baptizatos reos innectere, & si decedant non regnerati, ad condemnationem trahere: hæret itaque ei turpis macula, & culpa, à qua in baptismo sejungitur. Repetit concupiscentiam à reatu solutam manere ad agonem: inerat ergo ei vulnus mortis, & fit post remedium stimulus, & occasio certaminis.

13. Accedit non solum auctoritas, verum
Probatur 4. etiam ratio D. Thomæ, cujus verba, ut Salmanticenses scribunt memorato loco §. 4. nullam congruam, explicationem in contrarium admittunt. Nam 1. 2. q. 82. art. 3. air: *Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ, se habet in peccato originali, sicut quiddam materiale. Inordinatio autem virium animæ in hoc præcipue attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine appellatur concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiæ.* Quod repetit in 2 sent. dist. 30. q. 1. art. 3. & q. 4. de malo art. 2. Falluntur autem qui cum Ludovico Habert tract. de Peccatis cap. 7 Paragrapho IV. ob illa Angelici Doctoris verba, *sicut quiddam materiale*, arbitrantur satis demonstrari, quod concupiscentia conjungitur quidem cum originali peccato, sed ad illius constitutionem non pertinet. Principio enim laudata q. 82. assertum suum ex eo probat, quod ita spectat ordinatio facultatum animæ ad originariam justitiam, sicut illarum perturbatio ad originale peccatum. Ordinationem autem virium animæ per se ad originalem justitiam pertinuisse, satis arbitror exploratum, & traditur ab ipso Habert cap. IV. de Creatione q. 4. Deinde in distinctionem XXX. 2. libri docet S. Thomas, ita peccatum originale consistere in deordinatione naturæ, quomodo peccatum actuale situm est in deordinatione actus. At deordinationem actus non esse substratum actualis culpæ, cui inest peccati macula, quis homo non asserit? Sanctus ergo Thomas ideo concupiscentiam non materiam absolute, sed *quasi materiale* compellat, non quod minime spectet ad originarii peccati naturam, sed quoniam nec corpus, nec sensus, nec substantia, nec materia propria est, ut alio in loco monstravi. Ideo recte Salmanticenses ajunt non posse testimonia Divi Thomæ extorqueri: & L'Herminier tom. VI. pag. 200. ingenue scripsit: *Hanc fuisse S. Thomæ sententiam negare non possumus.*

14. Demonstratur quoque ratione petita
Probatur 5. à D. Bonaventura 2. sent dist. XXX. art. 2. Etenim originarium peccatum, ut supra dictum est, habituale est dicendum. Peccatum autem habituale non tantum complectitur privationem gratiæ sanctificantis, sed etiam immoderatam quamdam affectionem, quæ intrinsece illud con-

constituit, licet hæc possit à reatu separari; & separatur reapse, si anima per gratiam sanctificantem habitualiter convertatur in Deum, & à dominatu, quo premebatur, divinitus liberetur. Petenti enim quid sit peccatum habituale fornicationis, aut ebrietatis, optime respondetur, esse immoderatum appetitum potus, seu veneris, vitio per ejus *materiam* descripto: quemadmodum dicitur recte esse privationem castitatis ac temperantiæ, demonstrata ratione horum habituum *formali*. Ita ergo, inquit Seraphicus Doctor, *dum quæritur quid sit originale peccatum, recte respondetur quod sit concupiscentia immoderata: recte etiam respondetur, quod sit debitæ justitiæ carentia: & in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum habituale peccatum ratione ejus, quod est in ipso habens modum conversionis; altera vero rationem privationis. Concedendum est igitur, sicut rationes ostendunt, & Magister dicit in litera, quod originale peccatum est concupiscentia; & hæc non quæcunque, sed concupiscentia prout claudit in se debitæ justitiæ carentiam.* Hæc Bonaventura.

15. probatur 6. Nec male appellatur à nobis hæc Originarii peccati materia vitium ex *morbida qualitate* contractum. Ut enim scripsi superioris libri cap. 13. describitur concupiscentia à D. Parente Augustino, *Affectio quædam malæ qualitatis sicut languor.* Atque in libro XI. de Gen. ad literam cap. 32. n. 42. de protoparentibus ait: *Corpus eorum duxit morbidam & pestiferam qualitatem.* A qua infici animam apertissime docet Augustinus lib. v. contra Julianum cap. 9. num. XIV. aliisque in locis. His autem accedit, quod eidem Juliano objicienti non posse qualitatem de subjecto in subjectum migrare, expositisque qualitatis generibus, ut traduntur in categoriis Aristotelicis, ad nullum illorum concupiscentiam reduci; Sanctus Pater libro VI. cap. XVIII. demonstrat ex principiis ejusdem Juliani spectare ad tertiam qualitatis speciem, quæ est affectio & affectionalis qualitas. Hanc enim cum definiisset hæreticus, *Affectionalis qualitas ex majoribus orta causis ita inhæresçit, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur:* infert Augustinus concupiscentiam esse qualitatem affectionalem, quoniam miser homo clamat *adversus talem qualitatem: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Argumento autem Juliani occurrit dicendo, qualitatem affectionalem non emigrare de substantia in substantiam, sed transire aliam ejusdem generis *quodam operante contagio, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* Quod lib. v. cap. XIV. num. 51. pluribus exemplis confirmat. In Augustiniana ergo Schola negari non potest concupiscentiam, quæ originalis peccat materia est, rectissime ab Ariminensi in 2. dist. XXX. art. 2. concl. 3. appellari vitium derivatum ex morbida qualitate. Illud tamen non probo, quod is prope finem articuli supponens juxta placita Peripatetica omnem qualitatem esse entitatem aliquam, ait hujusmodi vitium ac pestem fuisse immissum flatu ac sibilo venenosi serpentis. Et nihilominus in hoc etiam errore studium Ariminensis commendo; cum similia tradat Auctor librorum Hypognosticon lib. IV. qui Augustino olim tribuebantur. At à stylo Augustiniano, & solidæ argumentationis forma illos abhorrere viderunt Critici posteriores. Est ergo concupiscentia per Augustinum, quasi languor & infirmitas: videlicet non positiva entitas, ut probare contendit Petrus Manso quæst. IV. de Originali peccato §. 4. sed prava quædam affectio, sive vires ipsæ animi recto ordine destitutæ, quemadmodum languor & infirmitas valetudinis est mala corporis habitudo, perturbatio humorum, sanguinisque motus irregularis.

Per solam autem concupiscentiam 16. non constitui originariæ culpæ naturam; probatur ultimò. sed hujus *formam*, atque id, cujus causa reos innectit, trahitque ad condemnationem, esse illius reatum, ac privationem sanctitatis, & originalis justitiæ, jam comprobatum est D. Thomæ, & Doctoris Seraphici auctoritate. Hinc Beatus Anselmus lib. de Conceptu Virg. cap. 26. ait: *Hoc peccatum, quod originale dicitur, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filii sunt iræ.* Accedit & Theologica ratio. Primo quoniam originale peccatum est macula, est injustitia, est mors animæ, quibus etiam characteribus exprimitur à Tridentino: mors vero est carentia vitæ, & injustitia, & macula est privatio sanctitatis ac pulchritudinis. Præter hæc in baptismo exornatur anima habituali charitate, per quam tollitur quicquid est vere ac proprie peccatum: non tollitur autem concupiscentia, sed remanet ad agonem; ideoque hæc non est ipsa ratio *formalis*, ex

ex qua reatus culpæ conflatur. Est denique peccatum originis habituale, in quo præter animi languorem necesse est admittere privationem justitiæ ; istam ergo *formaliter* constituere originarium peccatum, majori numero Theologorum pariter assentimur.

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

17. Objectio 1. Solvitur.

Opp. 1. Per baptismum tollitur quicquid est vere & proprie peccatum. At concupiscentia remanet in renatis. Itaque concupiscentia vere & proprie peccatum non est. Insuper ; Si concupiscentia originalis peccati essentiam constituit, consequitur in renatis remanere originarium peccatum quantum ad essentiam, quod Gregorius de Arimino fateri coactus est, scribens laudata distinct. xxx. art. 4. *Originale peccatum tollitur quantum ad reatum, non tollitur quantum ad essentiam.* Quod aperte est contra Tridentinum definiens in regeneratis nihil damnationis manere. Rursus sequitur concupiscentiam esse peccatum per seipsam & suapte natura, ut commenti sunt hæretici abutentes Apostolicis verbis ad Rom. VII. *Jam non ego operor, sed quod habitat in me peccatum*: cum tamen ex eodem Tridentino concupiscentia renatorum hoc tantum sensu appelletur peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

Ad argumentum resp. concessa ma. dist. min. Concupiscentia remanet in renatis actu, conc. reatu, nego. Ita Augustinus supra. Solvitur autem in baptismate à reatu, quoniam per gratiam sanctificantem tollitur ab anima aversio habitualis à Deo, in qua aversione macula & formalis ratio peccati sita est, & per charitatem, quæ in corde baptizatorum diffunditur, anima Deo conjungitur, atque ita à captivitate dæmonis liberatur. Remanet tamen actu, quoniam manet adhuc mala affectio, ac perturbatio facultatum animæ, quæ licet non sit mors spiritualis, est tamen quasi animi languor, & mala animi valetudo. *Ipsa soluta reatus vinculo, quo illam Diabolus animam detinebat, & intercluſione destructa, quæ hominem à suo Creatore separabat, manet, in certamine, &c.* ait Aug. lib. 1. de peccat. mer. cap. ultimo. Distinguenda eadem ratione consequens propositio : Non est igitur concupiscentia vere, proprieque peccatum in Renatis in quibus evacuatur per baptismum caro peccati, ut Augustinus ibidem loquitur, & Tridentinum decernit, conc. Non est peccatum in nondum regeneratis, quos reos innectit, & nondum intercluſione destructa, ob quam homo separatur à Creatore, reatu, macula, & habituali aversione à bono incommutabili, dehonestat, nego. Ita ad priorem confirmationem nego sequelam ; non enim remanet essentia peccati in concupiscentia quando ab ea separatur reatus, & macula, quæ est peccati formalis ratio, etsi concupiscentia tanquam *materiale* quoddam idem peccatum constituat; quemadmodum ablata figura & elaborata dispositione partium non manet statua remanente ligno vel lapide, & separata anima omnino mortuum est animal, etiamsi maneat adhuc cadaver.

Hæc est opinio Gregorii Ariminensis. Qui post ea verba: *Originale peccatum tollitur quantum ad reatum, non tollitur quantum ad essentiam*, sese Augustini verbis aperte explicat, quod post baptismum remanet vitium illud, sive qualitas, quæ dicitur concupiscibilitas, & quæ ante baptismum erat originale peccatum, in renatis, qui remissionem omnium peccatorum accipiunt, peccatum non est, ita ut recte S. P. de concupiscentia scribat libro 2. de Grat. Ch. cap. 38. post remissionem peccatorum non nocere, nisi quis ea male utatur, & mox, *Obesset*, inquit Augustinus, *ista carnis concupiscentia etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, ut quæ in eis est, & nato, & renato, nato quidem & inesse, & obesse, renato autem inesse quidem, sed non obesse possit.* Quo testimonio recitato Ariminensis ait: *Est igitur in baptizato originalis concupiscentia, sed ipsa non est in eo peccatum; ac per hoc proprie loquendo de peccato, scilicet culpa, nec ipse baptizatus habet originale peccatum.* Gregorius ergo scribens remanere peccatum originale quantum ad essentiam, non de culpa, neque de ratione *formali* peccati locutus est, sed de parte *materiali*, ut hominem appellamus cadaver exanime. Immerito itaque Nicolaus L'Herminier Tom. VI. de Peccatis pag. 198. scribit, Gregorium nostrum tenere opinionem, quæ proxime accedit ad Hæreticorum doctrinam, cum is nec latum unguem ab Augustino discedat. Nos tamen castigatius loquentes, ne in hæc sinistra judicia incidamus, negavimus remanere in baptizatis essentiam peccati, quoniam nullum peccatum est, ubi solvitur reatus, & macula abstergitur.

18. Et ulterius declaratur.

Ex his liquet toto cœlo Augustinianam doctrinam distare ab hæresi Lutheranorum & Calvinistarum. Hi enim rema-

opinantur concupiſcentiam eſſe *formaliter* peccatum originale, ideoque iſtud remanere in renatis. Auguſtinus contra diſtinguit concupiſcentiam in regeneratis ab ea, quæ in cæteris invenitur. In regeneratis, inquit, concupiſcentia *vocatur peccatum, non utique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt: ſic vocatur, ſicut ſcriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* Ita lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 13. Et in 1. de Nuptiis cap. 23. *Nam ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, ſed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit. &c.* En Auguſtini cum Tridentino perfectiſſima verborum, ac ſententiarum conſonantia. Quo ergo jure Vaſqueſius p. 2. diſp. 132. c. 1. ſcriberc auſus eſt de Auguſtini ſententia: *Favere videtur errori eorumdem, qui aſſerunt originale tegi, & non tolli, radi, ſed non eradicari?* Sed indulgendum eſt viri hujus ingenio, maxime quod poſtea honorificentius de ipſomet Auguſtiniano dogmate loquitur. At de concupiſcentia ante baptiſmum aliter eſt diſcurrendum. Nondum enim remiſſione peccatorum accepta ratui, & culpæ ſubſternitur, non præciſe quia concupiſcentia eſt, ſed quia connectitur habituali averſioni à Deo, à qua per gratiam regenerationis ſecernitur. Quare etiam hoc titulo in renatis appellatur peccatum, quod jam peccatum quaſi materia conſtitueret, ut cadaver dicitur homo, quoniam antea, cùm anima aderat, homo erat.

19. Objectio 2. Dices: Si concupiſcentia peccato facta eſt, quo jure ipſa peccatum conſtituit? Rurſus fieri quidem poteſt, ut prætereunte actu maneat reatus; nam poſt immolationem factam idolis hæret animæ ſceleris reatus & macula: ſed non eſt eadem contrariorum ratio; etenim fieri non poteſt, ut deleatur idololatriæ reatus, & maneat actus ſacrilegæ immolationis.

Solvitur. Reſp. ad primum, concupiſcentiam eſſe ſimul pœnam peccati, peccatum, & cauſam: *pœnam peccati* comparate ad prævaricationem Adami; *peccatum* quando nondum ſoluta eſt à reatu, & mentem habituali averſione, ſive, ut Auguſtinus loquitur, *interclusione* à Deo ſeparat: *Peccati vero cauſam*, dum conſentientem trahit ad illicita. Ita habituale peccatum, quod nihil eſt aliud quam affectionalis qualitas ad malum illiciens cum privatione juſtitiæ, eſt pœna actualis peccati: eſt peccatum, & quidem prium, dum reatu, & carentia charitatis habitualis animam dividit à Creatore: eſt pœna peccati; quatenus etiam poſt abſolutionem ac remiſſionem ad inhoneſta pellicit & inclinat. Supra exemplum violentiæ, & ſcortationis allatum eſt. Atque ex his eliditur altera oppoſitio, quæ eſt Juliani lib. VI. cap. VIII. n. 19. nam oblatio facta idolis eſt actuale peccatum, cujus materialis pars eſt actus, qui præterit: peccatum vero originarium eſt habituale, cujus materia eſt actus habitudine, & prava affectione permanens. *Hoc de ſacrificio idolis oblato* (inquit ibidem Auguſtinus) *veriſſime dicis: actus eſt enim qui opere ipſo peragitur, & non erit, & ſi iterum fit, alterum fit. Impietas vero ipſa, qua hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuncietur & credatur in Deum. Idolis itaque ſacrificatum factum eſt tranſiens, non vitium manens. Nullo modo igitur ſimile eſt, quod pro ſimili ponendum putaſti. Nullo modo, inquam, ſimile eſt ſacrificium tranſiens manenti concupiſcentiæ.* Ita Auguſtinus ſolvit argumentationem Juliani, & dicta confirmat.

20. Objectio 3. Opp. 2. Originale peccatum in omnibus idem eſt: concupiſcentia vero in uno, quam ſit in alio, vehementior. Rurſus in anima ante baptiſmum à corpore ſeparata univerſa, quæ ad originariam culpam attinent, perſeverant: at concupiſcentia locum non habet. Econtra *in pura natura* afforet absque illa labe peccati ipſa concupiſcentia. Ex hac itaque originalis culpa nequaquam conflatur.

Rejicitur. Reſp. hæc minima eſſe. Etenim concupiſcentia non eſt æqualis in omnibus, ſi accipiatur pro motu, qui rationi adverſatur: ſed hic motus, ut oſtendimus ſuperiori libro ex Auguſtino, *non eſt concupiſcentia, ſed actus ejus.* Verum concupiſcentia, quæ eſt perturbatio virium animæ ſoluto vinculo originalis juſtitiæ, etſi pro affectione ſubjecti non eodem pacto motus excitet, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 4. *in omnibus eſt æqualis.* Vel reſpondetur: originale peccatum idem eſſe in omnibus quantum ad maculam, & privationem ſanctitatis, non quantum attinet ad illud, quod huic privationi ſubſternitur. In anima vero ſeparata, licet non ſit libido carnis, quam *concupiſcentiam* dicimus titulo quodam peculiari, eſſe poteſt inordinatio facultatum rationabilium, nempe voluntatis ac intellectus, atque pugna utriuſque. Atque in hac inordinatione, quæ animum carni alligatum deprimit, & ad illicita trahit, nos

concupiscentiam statuimus. Hæc in statu naturæ, quam *puram* vocant, aut non esset, aut subjiceretur rationi, aut saltem non esset ex voluntaria prævaricatione primi hominis. Nunc vero & est, & pugnax est, & mala est.

21. Objectio 4. Opp. ultimo. Si reatus concupiscentiæ, in quo macula originarii peccati à nobis constituta est, foret ipsa privatio originalis justitiæ, duo gravissima sequerentur absurda. Primum, quod per baptismum non tolleretur peccatum, quoniam nulli restituitur originalis integritas: alterum, quod per peccatum actuale baptizati iterum originarium contraherent, quia iterum sanctitatis & justitiæ jacturam faciunt.

Refellitur. Resp. neutrum ex nostra sententia deduci. Non primum: nam justitia originalis plura quidem dona complectebatur, sed quod hominem reddebat justum, Deoque gratum, erat charitas habitualis & gratia sanctificans. Hujus doni privatio hominem à Deo avertit, & peccatorem constituit. Tollitur ergo per baptismum peccatum originale, quoniam consepultis in Christo evacuatur caro peccati, infunditur charitas habitualis, anima in Deum convertitur, & redditur justitia prior, non quantum ad reliquas dotes, sed quantum ad primam, ac maximam, gratiam videlicet sanctificantem. Est enim macula originalis pecti privatio justitiæ originalis, non adæquate acceptæ, sed ratione effectus primarii, nimirum ut importat unitionem animæ cum Deo, & habitualem voluntatis in eum conversionem. Nec sequitur iterum per actuale peccatum baptizatos in originarium dilabi: siquidem privatio justitiæ in actuali peccato contrahitur propria personæ peccantis voluntate, ideoque illam innectit reatu peccati actualis. At in peccato originali istiusmodi sanctitatis privatio contrahitur ob prævaricationem Adami, neque nobis voluntaria est, nisi duntaxat *originaliter*. Est ergo privatio sanctificantis gratiæ peccatum originarium, quatenus contrahitur origine; & peccatum actuale quatenus contrahitur actuali hominis, ratione propria utentis, voluntate.

CAPUT VI.

Quomodo peccatum originale sit ex Adam derivatum in posteros.

SUMMARIUM.

1. Opinio S. Augustini.
2. Ponitur conclusio.
3. Eadem probatur quoad 1. partem.
4. Probatur quoad 2. partem.
5. Probatur quoad 3. partem.
6. Probatur ulteriùs 3tia pars.
7. Probatur pars 4 a.
8. Confirmatur authoritate S. Augustini.
9. Probatur authoritate S. Thomæ.
10. Probatur pars ultima.
11. Rejicitur opinio contraria
12. usque ad 20. solvuntur objectiones.
20. Corollaria.

1. Opinio S. Augustini. NODUS, quem solvendum suscipimus, implexus est, atque expeditu difficilis. Comparat invictissimus Fidei Athleta Augustinus Adæ posteros noxa obstrictos originaria, atque in communem miserrimamque abyssum dejectos Epistola ad Magnum Hieronymum 29. nunc 167. cuidam, qui cum ruisset in puteum, & jam aquarum gurgite mergeretur, percunctanti quî factum esset, ut in fundum delaberetur, *Obsecro* respondit *cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras.* Objicienti autem Juliano quomodo pueri, in quibus nullus propriæ voluntatis usus est, possit reatum culpæ contrahere, occurrit S. P. v. libro cap. 3. *Aut utrumque*, (anima scilicet & caro) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia Divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Cum ergo prior ratio innixa animorum propagini nequeat absque inconsiderata temeritate præferri, ut monui capite quarto præcedentis libri illamque Theologi ferme omnes exuerint, reliquum est, ut rationem aliam à Sancto Parente traditam complectamur. Ex carne ergo seminatrice concupiscentia propagatâ anima inficitur; & ideo originaria labes in omnes pervadit, quod hæc jam polluta, & vitiata caro seminaliter in lumbis Adæ præexstiterit, atque his voluntaria prævaricatione communem naturam corruperit. Atque ita originaria macula singulorum hominum propria est, singulisque *originaliter* voluntaria. Quamquam vero hæc est Augustini absque ulla ambiguitate doctrina; visum est scholasticis

lasticis plurimis novam rationem inire: quam & Augustino probatam permulti, frustra tamen, ac fallaciter arbitrantur. Nam inquiunt Adamo, qui universorum hominum erat morale caput, cæterorum voluntates fuisse alligatas à Deo, pactione quadam, & conventu, ut posteri justitiam, si staret, culpam verò, si caderet, participarent jure quodam hæreditario. Hoc nempe modo dum Patres ac Magistratuum Rectores sese voto aliquo obstringunt, eodem vinculo cives omnes tenentur, etiam in posterum nascituri. Ea causa qui semel disceptationem instituimus, bene & naviter oportet esse litigiosos.

2. Ponitur conclusio.

PROPOSITIO: Contrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eoquod concupiscentia & libidine seminetur corpus, cui lege providentiæ anima à Deo inseritur, unde hæc carnis consortio vitiatur: & quoniam corpus præcontinebatur in lumbis Adæ, is communem naturam infecit, ita, ut originarium peccatum sit ob hanc præcontinentiam singulis proprium, & originaliter voluntarium, non quod voluntates nostræ moraliter continerentur in Adam, aut cum eo Deus conditionem aliquam, vel pactum inierit.

3. Eadem probatur quoad 1. partem.

Dicimus primo noxam originariam contrahi propagatione naturæ. Quod probatur primo definitione Tridentini sess. 6. cap. 3. *Revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam injustitiam contrahant, &c.* Deinde auctoritate Augustini, qui lib. III. de peccatorum meritis cap. 8. ait peccatum originale omnibus proprium esse *carnali generatione*, & lib. VI. contra Julian. cap. 12. *contagione propagationis.* Idem docet S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. *Peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi quatenus hæc persona recipit naturam à primo parente, unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud Ephes. 2. Eramus natura filii iræ.*

4. Explicatur quoad 2. partem.

Præterea dicimus, iccirco transfundi per generationem hoc peccatum, quod hæc generatio peragatur seminatrice concupiscentia. Id vero demonstratur primum ex verbis Jobi XIV. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Quæ ita explicat Innoc. III. in Psalmum L. v. 7. *Ex seminibus fœdatis, & corruptis concipitur corpus corruptum pariter & fœdatum, cui anima tandem infusa corrumpitur & fœdatur, non ab integritate & munditia quam habuit, sed ab ea quam haberet, si non uniretur fœdato corpori & corrupto, quoniam & creando infunditur, & infundendo creatur.* Deinde probatur ex Augustino, qui lib. 1. de Nupt. & concupisc. cap. 23. ait: *Hæc concupiscentia, quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros.* Idem lib. II. de peccat. meritis cap. 27. & 28. docet etiam filios procreatos à parentibus baptizatis nasci obnoxios peccato quia gignuntur, *ex illa manente concupiscentiæ vetustate.* Atque eodem libro cap. 25. nec non lib. V. contra Jul. cap. 15. postremi Operis lib. IV. cap. 103. & serm. 128. de temp. cap. 1. docet, ideo Christum nullo obnoxium fuisse peccato, quoniam, cum virili non sit conceptus ex semine, *liber fuit à nexu seminatricis concupiscentiæ.* Satis autem constat, Augustinum non solum asserere concupiscentiam esse signum naturæ corruptæ, ut Habert, aliique recentiores perperam reponunt: sed expresse scribit per illam trajicii peccati vinculum, illam nondum regeneratos innectere culpæ reatu, propter illam, qui per illam nascuntur, peccatores constitui; ut liquet ex locis nuper, & præcedenti capite allatis, ex cap. 1. prioris libri de Nuptiis, atque ex libris aliis maxime adversus Julianum. Accedit S. Thomas, qui 1. 2. q. LXXXII. art. 4. ad 3. *Libido*, inquit, *transmittit peccatum originale in prolem.* Vide & Magistrum dist. XXXI. num. 8.

5. Probatur quoad 2. partem.

Asserimus tertio animam contrahere peccati maculam ex unitione, & consortio carnis vitiato semine procreatæ. Quod principio probatur ex verbis Jobi, & expositione Innoc. III. de quibus supra. Eam ob rem mulieris menstrua Levit. XV. pro summa immunditia haberi, cum semen tritici, aliarumque rerum nusquam vocetur immundum, animadvertit Estius 2. libro Sent. in dist. 31. §. 1. Augustini autem hanc ipsam apertissimam sententiam esse ostenditur primo, quoniam in V. libro contra Julianum, & in Epistolis ad Hieronymum, & Optatum laudatis cap. 4. præcedentis libri, non alia ratione quæstionem hanc expedit, nisi affirmando, vel animam ex anima propagari, vel in corpore tanquam in vitiato vase corrumpi. Atqui ratio prima communi consensione rejicitur, & de ea S. Pater tantummodo anceps extitit: altera ergo retinenda est, & probanda. Deinde hæc assertio præcedentis corollarium est; nam generatione carnali, quâ propter manentem concupiscentiam qui nascitur

tur contrahit peccatum, sola caro traducitur. Si ergo per Augustinum transfunditur originaria labes carnali generatione, necessum est, ut in animam transeat per carnem. Præter hæc cum nonnihil difficultatis præseferat, quomodo peccatum cujus subjectum est anima, per corporis generationem trahatur, ut ex qualitate corporali pertranseat in spiritum, idque pugnaci contentione objectaret Julianus: S. Pater libro v. cap. 9. num. XIV. respondet, quod qualitates, licet subjecto inhæreant, & sine illo esse nequeant, attamen *afficiendo transeunt, non emigrando, quemadmodum Æthiopes, qui nigri sunt nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt.* Demonstrat posthac, ob arctissimam inter animam & corpus necessitudinem, etiam rerum corporalium qualitates in res incorporales transire, *ut formas corporum quas videmus haurimus quodammodo & in memoria recondimus.* Cujus rei etiam aptissimam causam profert, nimirum quod *non ita Deus naturas creat, ut leges auferat, quas dedit motibus uniuscujusque naturæ.* Manifestum est ergo sentire Augustinum quod carnis vitium contagio quodam ex parente transit in prolem, & ex carne, *ubi occulta justitia Divinæ legis includitur*, maculam contrahit anima originariam.

6. Probatur ulterius 3. Pars.

In hujus asserti confirmationem nonnulla alia argumenta producam. Ac primum sit: quod peccatum dicitur in sacris literis manere in carne, non ob aliam rationem, nisi quia *ejus consortio anima maculatur peccato.* inquit memorata dist. XXXI. n. 4. allatis etiam Sanctorum testimoniis, Magister. Alterum depromitur ex lege, nexuque carnis & spiritus, quæ talis est, ut ex mala corporis affectione animus doleat, & ex variis illius motibus diversas induat inclinationes; ideoque potest eodem pacto dum corpori infunditur, virium ac facultatum suarum habitualem perturbationem subire. Atque hac ratione utuntur eruditi, doctique viri Estius laudato loco, & Vanroy cap. ultimo de Peccatis Q. 5. Postremum argumentum est, quod animi vitium, qualecumque illud sit, unam ex his causis debet habere, aut ipsius animi originem, aut actus ejus, aut corporis conjunctionem. Puerorum animæ inquinari non possunt ob originem animæ, quoniam singulæ creantur à Deo: neque ob actus & operationes ipsarum, quia nondum cum libertate operantur. Restat ergo, ut vitium duntaxat contrahant ex carne. Atque ita ratiocinatur lib. 2. dist. XXX. q. 1. art. 2. noster Ariminensis.

7. Probatur 4. Pars conclusionis.

Dictum ulterius est, originale peccatum esse singulis proprium & voluntarium, quatenus omnes *seminaliter* fuerunt in Adam, qui propria voluntate communem naturam vitiavit. Quarta hæc asserti pars sequitur ex præmissis. Etenim originale peccatum non est proprium hujus personæ, nisi quatenus recipit naturam à primo parente: Atqui unusquisque recipit naturam à primo parente, quia præcessit *seminaliter* in lumbis ejus. Ergo, &c. Nihilo tamen minus demonstratur. Primo quidem Scripturis. Etenim ex Apostolo ad Hebræos VII. 9. & 10. ideo Levi decimatus est, quia *adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.* Igitur omnes peccaverunt in Adam, quia omnes in lumbis Adæ continebantur, quando ipse peccando communem naturam vitiavit. Deinde ex Tridentino superius laudato nascimur injusti, quia sumus ex Adæ semine propagati. Sumus autem propagati ex Adam, quia ex semore ejus egressi.

8. Confirmatur authoritate S. Augustini.

Hanc vero esse Augustini mentem colligitur ex ejus verbis allatis cap. 3. ad sextam oppositionem. Addimus quæ habet in 1. de peccatorum meritis cap. 10. *Alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes ille unus homo fuerunt.* Rursus capite 26. Enchirid. *Stirpem quoque suam peccando in se tanquam in radice vitiaverat.* Et in postremo contra Julianum Opere libro IV. num. 75. omnes in Adam peccavisse declarat, *Quia in lumbis Adam fuit genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum.* Atque ne singula percensem, eodem libro num. 103. recitatis verbis Ambrosii ex libro 7. in Lucam cap. 15. *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & omnes in illo perierunt*, hæc Augustinus: *Sed poterat Ambrosius hoc intelligere, quod tu non potes, non hoc dici propter arbitrium singulorum, sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant, secundum quam originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem seminalem etiam Levi in Lumbis patris sui Abraham fuisse dicitur, quando à Melchisedech decimatus est Abraham: unde & ipse Levi tunc decimatus ostenditur, non in seipso, sed in illo, in cujus fuit lumbis: nec voluit, nec noluit decimari, quo-*

quoniam nulla ejus voluntas erat, quando ſecundum ſubſtantiam ſuam nec ipſe adhuc erat; & tamen ſecundum rationem ſeminis, non mendaciter, nec inaniter dictum eſt, quod ibi fuit, & decimatus eſt. Sane non poterat Auguſtinus melius ediſſerere, omnes peccaſſe in Adamo, quatenus omnes in ipſo fuerunt *ſecundum originem ſeminalem.*

9. Probatur authoritate S. Thomæ.

Demonſtratur inſuper teſtimonio & ratione beati Thomæ. Qui 1. 2. q. LXXXI. art. 1. docet poſſe quidem animam propter corporis indiſpoſitionem defectus contrahere, ſicut interdum ex fatuis fatui generantur; ſed id non ſufficere ut culpa parentum revera tranſeat in prolem. Hoc itaque aliunde repetendum eſt, ex eo ſcilicet, quod univerſi homines ex Adam derivati, ſint tanquam multa membra ejusdem corporis, non propterea quod fuerit ille morale caput poſterorum voluntates præcontinens, iſtud enim Thomas non aſſerit; ſed quoniam Adam eſt primus auctor, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur: & in quantum unusquisque recipit naturam à primo parente.* Quod profecto non eſt, eſſe humani generis morale caput tantummodo, ſed phyſicum & naturale. Profert Sanctus Doctor exemplum petitum ex peccato actuali per corporalia membra perpetrato: quod voluntarium non eſt voluntate membrorum, puta manus occidentis, orisve blaſphemantis, ſed voluntate arbitrii, à quo hujusmodi membra ad illicitos actus moventur: ita originale peccatum univerſæ poſteritatis Adami proprium eſt, quod is propria voluntate naturam communem vitiaverit, & motu generationis, quæ habet ab ipſo originem primam, hæc natura in ſingulos homines traducatur. Hæc ratio Divi Thomæ in Tridentino congreſſu producta à Paſchali Antiſtite Motulanenſi ab omnibus ſummo plauſu excepta eſt: cum econtra opinationem de capite morali, quam Joannes Fonſeca Epiſcopus Stabienſis colluſtrare conatus eſt exemplo Regis oppidum concedentis alicui hac lege, ut illud ipſe, ejusque poſteri hæreditario beneficio poſſideant, dummodo à fide principis non deſciſcat, & ubi ille deſciverit oppidi poſſeſſione ſpoliatur univerſa progenies: iſtam, inquam, opinationem (auctore Pallavic. lib. VII. H. Conc. Trid. cap. 8.) nonnullis viſum eſt haud plane ſatisfacere, quippe quæ nullatenus declaret transmitti poſſe culpam genitoris in poſteros, ſed ſolum pœnam. Compendio dicam: ut peccatum actuale eſt voluntarium voluntate arbitrii illud perpetrantis; ita originale voluntarium eſt ſingulis *originaliter*, nempe voluntate protoparentis, qui legem transgreſſus *ſtirpem quoque ſuam in ſe tanquam in radice vitiavit.*

10. Probatur Pars ultima.

Tandem dictum eſt non transfundi originale peccatum in poſteros Adæ ob arbitrarium illud pactum, pro quo decertatur in Scholis. Id vero primum ex præmiſſis theſibus evincitur. Si enim hoc peccatum ſit proprium poſteritatis Adæ non propter arbitrium ſingulorum, ſed propter originem ſeminis, fruſtra ad pactionem illam confugimus. Atqui peccatum iſtud ſingulorum proprium eſt ſecundum ſolam originem ſeminalem. Commentitium eſt ergo pactum illud à Deo initum cum Adamo. Deinde nullum aut in ſacris literis, aut pœnes Auguſtinum hujus conventionis reperitur veſtigium; ſed undequaque, ut hactenus vidimus, eliminatur. Inſuper: *Quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequitur in naſcentibus cæteris*, ut Auguſtinus inquit XIII. de Civ. D. cap. 3. atque, ut ait S. Thomas, ideo originale peccatum appellatur peccatum naturæ, quoniam contrahitur ex quo ſinguli homines naturam à parente primo recipiant. Si *naturaliter ſequitur*, ſi ob generationem ex ſemine Adæ; quomodo vi conventionis, aut pacti? Item inter Diabolum & Deum nulla certe conditio interceſſit, & tamen ſi Diabolus filios gigneret, ob originem ſeminalem, per quam eſſet caput poſterorum ſuorum, ut Auguſtinus ſcribit in 1. contra Julianum cap. 20. gigneret filios *paterno peccato obnoxios.* Ita de Adam aſſerendum eſt.

11. Rejicitur opinio contraria.

Neque vero ſi ad conventionem hanc recurramus, facilius, ut creditur, expeditur nodus, ſed magis, magisque implicatur. Ad pactum enim requiritur libertas ex utraque parte, & neceſſarium eſt, ut quisquis paciſcitur, ſponte alicui conditioni ſeſe obliget. At præceptum datum Adæ, cujus transgreſſione peccatum in omnes pervaſit, abſolutum eſt, atque, ut tale eſſet, decebat ſupremum dominium Dei. Fabula eſt ergo pactio illa: *Nam quid Deus opus habebat Adæ conſenſu?* Inquit Dominicus Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 20. Ad hæc: Quomodo voluntas poſterorum potuit in Adami voluntate præexiſtere? Phyſice? Nequaquam; neque enim illorum voluntas erat; *quando nec ipſi ſecundum ſubſtantiam ſuam adhuc erant.* Moraliter? At mea voluntas in alio moraliter

est, si in illum propria mea electione transferatur, puta monendo, præcipiendo, consentiendo, ut ille operetur. Filii autem Adæ non potuerunt voluntatem Adami transferre. Ergo nec moraliter Adamus habuit in arbitrio suo posterorum suorum voluntates. Deinde qui est caput morale sola potestate ac dignitate, potest quidem aut legem condere; aut votum vovere, aut cum alio pacisci, & subditorum, filiorumque voluntatem obligare, adeo, ut si legem frangant, aut votum non reddant, dum jam arbitrii potestate fruuntur, graviter peccent. At hoc minime satis est, ut nati subjectique teneantur illorum transgressionis reatu. Quare in Tridentino conventu, de quo supra, visum est illam de capite morali sententiam pœnæ alicujus transmissionem salvare, non culpæ. Demum per solam conventionem Patris cum Christo, hujusque constitutionem in caput morale universæ Ecclesiæ minime justificamur, sed oportet, ut illius sanctitatis per regenerationem spiritus, atque interiorem gratiam reddamur participes. Igitur per solam pactionem Dei cum Adamo peccatores non constituimur, sed ideo in eo delinquimus, quia per seminalem originem, transfusamque libidinem ab illo habemus carnem peccati, & corruptam naturam; ideoque peccatum transfundi ob arbitrariam aliquam conventionem, falsum est; nec solvit hæc opinio dubitationem majori, quam Augustiniana sententia præstat, facilitate, ut Theologi plures scripserunt.

Argumenta opposita refutantur.

12. Objectio 1. solvitur.

Primum adversus dicta argumentaberis: Etiam Christus ex semine Adæ secundum carnem genitus est, dicente Apostolo ad Rom. 12. *Factus est ex semine David secundum carnem.* Si ergo per seminalem originem trahitur peccatum, *Caro Christi, quia de Maria natus est, cujus Virginis caro, sicut cæterorum omnium, ex Adam fuerat propagata, nihil distat à carne peccati.* Ita Julianus apud Augustinum libro v. cap. 15. — Respondeo hoc argumenti genere magis sententiam nostram firmari. Ideo enim Christus carnem peccati non habuit, sed carnis peccati similitudinem, quia de purissima Virgine sine virili semine, & sine carnali concupiscentia homo processit. *Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non traje-cit in corpus, quod non inde concepit.* Vide Augustinum eodem loco: & in 11. de peccatorum meritis cap. 25. nec non in libro supplementi quarto, cap. 103. ubi ait: *Qui licet sit etiam ipse secundum carnem semen Abrahæ, eoquod Virgo Maria, de qua carnem sumpsit ex ipso semine propagata est: non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber à nexu seminatricis concupiscentiæ.*

13. Objectio 2. refutatur.

Dices: Ergo Virgo Mater, cum virili semine concepta sit, eâdemque concupiscentiâ, sine qua nec sanctissimi conjuges generant, originalem maculam sine dubio contraxit. — Resp. immaculatam Deiparæ conceptionem, quam pium ac religiosum est tenere, nefas vero & vetitum scripto, aut verbo impugnare, non esse conceptionem carnis propagatæ per semen, sed instans illud, in quo anima creata est, & corpori conjuncta, sive eam fœtus formationem, per quam humana substantia carne, animoque conflata incœpit vivere & esse. Pia enim Fidelium opinio, de qua decertatum est diu, tenet *Virginis animam in primo instanti creationis & infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi à macula peccati originalis præservatam, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu celebrari*, ut declaravit Alexander VII. Constitutione sua edita an. 1662. Mea itaque sententia est, primam conceptionem, quæ est carnis propagatio per semen talem fuisse, ut inde consecuta esset originaria macula, nisi Deus animam Virginis, ne polluëretur unitione corporis, speciali gratia servasset. Quare nec Virgo purissima à debito contrahendi communem labem à me censetur immunis. Quod de ipsa peccati macula nunquam ausim asserere propter honorem Domini, propter Ecclesiæ statuta, propter singularem Virginis dignitatem, propter piam, fovendamque Christiani populi devotionem. Neque id summo Deiparæ honori quicquam derogat: quin potius cum permulti etiam Sanctorum, ut Anselmus 2. libro *Cur Deus homo* cap. 16. & S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. videantur in oppositam sententiam propendere; atque, ut scribit Baptista Mantuanus Theologus ac Poeta clarissimus, lib. 1. Parthen.

Ista hominum communis erat sententia; verum
Jam senio exangui erigens sua robora sensim,
Perdit, & amissa jam majestate receait:

hac

hac noſtra aſſertione facilius Virginis privilegio conſulitur, dicendo veteres de conceptione ſeminis, & carnis propagatione fuiſſe locutos, ob quam Virgo Chriſti redemptione opus habuit; non quâ anima peccati vinculo ſolveretur, ſed quâ per corpus nullam traheret fœditatem.

14. Objectio 3. ſolvitur. Argues 2. Nec per ſemen, nec vi concupiſcentiæ originale peccatum poteſt traduci. Non per ſemen, quoniam in eo nullum peccatum eſt: non vi concupiſcentiæ; etenim ſi duo conjuges abſque ardore libidinis concumberent, gignerent filios originali peccato inquinatos. Contra in ſtatu innocentiæ fuiſſet abſque transfuſione peccati procreatio filiorum, quæ non peragitur abſque ſenſu concupiſcentiæ — Reſp. hæc jam ſatis fuiſſe contrita. Diximus enim ſupra per ſemen trahi maculam originalem, quatenus per illud propagatur caro peccati, cujus unitione anima coinquinatur. In ſemine ergo peccatum eſt, non *formaliter*, ſed *cauſaliter*. De concupiſcentia, quæ eſt tradux peccati, dictum non ſemel, eam non eſſe motum vel actum, ſed perturbationem virium, affectionemque perverſam; quæ in ſingulis eadem eſt. Vide ſup. capitis oppoſitionem ſecundam. Hujusmodi non futuram in ſtatu innocentiæ, niſi ad imperium nutumque rationis Auguſtinus non ſemel tradidit, ut perſpicuum eſt ex capite libri præcedentis undecimo.

15. Objectio 4. adducitur. Tertio oppones argumenta, quæ demonſtrant ad transfuſionem peccati neceſſarium fuiſſe aliquod pactum, vi cujus voluntates poſterorum fuerint voluntati Adæ moraliter conjunctæ. Primum eſt: Hoc pactum expoſitum eſt à Janſenio lib. 1. de ſtatu nat. lapſæ cap. 6. ubi appellatur Commentum à Theologis excogitatum. Quam doctrinam Janſenius mutuatus eſt à Luthero in Pſalmum 51. & à Calvino libro 1. Inſtitutionum cap. 1. Hæc præmittit Edmundus Simonnet Tract. v. diſp. v. art. v. nam cætera, quæ profert ſunt pervulgata & communia. Alterum eſt: Potuit Deus ſupremus univerſorum Dominus decernere, ut ſi Adam ſtetiſſet, omnes cum originali juſtitia procrearentur, ſi cecidiſſet autem, omnes culpam contraherent, ac in primo homine, tanquam morali capite noſtri generis, noſtras quoque voluntates cenſere. Temporales enim principes includunt in voluntate tutoris voluntatem pupillorum, & debita ac vota parentum, in quos filiorum arbitrium translatum eſt, in iſtos pertranſeunt. Cur non potuit Altiſſimus Dominator in Adam voluntates includere poſterorum? Tertium argumentum eſt: Geneſ. XVII. 14. de puero non circumciſo legitur, *Pactum meum irritum fecit:* quod de peccato originali S. Auguſtinus exponit, ut diximus capite 1. Et Oſeæ VI. 7. dicitur: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum.* Pactum ergo à multis Theologorum aſſertum commentitium non eſt, ſed traditum in Scripturis, & Auguſtino probatum.

Ad primum reſpondetur fruſtra in nos odioſo Janſenii & hæreticorum nomine conflari apud imperitos calumniam. Traduci originale peccatum per ſeminalem originem, & concupiſcentiæ vehiculo, quod negat Simonettus, ſcribit Auguſtinus, ſcribit Magiſter, ſcribit Sanctus Thomas, ſcribunt Theologi probatiſſimi: & pactionem, ad quam permulti confugiunt, rejiciunt Tridentini Theologi Soto, Paſchalis, & quotquot huic differenti de hac quæſtione aſſenſerunt. Mitto Noſtrates fere omnes, & aliorum Scholaſticorum catervam. Sat enim nos à damnatis erroribus diſtare præcedenti capite evicimus; atque in iſto poſitionis noſtræ fontes uberrimos commonſtravimus. Nec Scholaſticos reliquos nobis adverſantes irridemus, ſed utimur utrinque monumentis, illi ſuis, nos noſtris: juncto adverſus Refractarios agmine, & comitatu virtutis.

Nunc ad alterum. Tametſi modo inquirimus quid factum ſit, non quid ſupremus Dominus poſſit; concedimus decreviſſe Deum hac lege hominem condere, ut eo peccante, peccarent omnes; eo ſtante ſtarent: fatemur conſtitutum Adam ſuæ poſteritatis morale caput: annuimus latam ei, vel ab eo legem obſtringere poſteros: nemo noſtrum eſt, ut id neget, tam bardus ac ſtupidus. At Deum potuiſſe includere voluntatem meam, quæ niſi mihi intrinſeca ſit, mea non eſt, in voluntate primi hominis, & hujus voluntatis causâ alienum peccatum vere, intrinſece, ac proprie meum eſſe, id vero non aſſequor. Repugnantia enim eſt rerum, non defectus poteſtatis ſupremæ. Allata exempla nihil prorſus efficiunt. Non poteſt à Magiſtratu pupillorum voluntas transferri in voluntatem tutoris in ordine ad peccandum, ut peccante tutore peccet pupillus; ſed in ordine tantum ad permutationem, & alienationem bonorum, atque alia iſtiusmodi, quæ ſunt pœnes Magiſtratuûm juriſdictionem. Ita peccante patre, exilio mulctatur filius, quoniam natus eſt à parente, quem à ſua ditione princeps expulit; & exilium eſt filio conditio nativ-

tivitatis, non proprii pœna peccati. Princeps enim potest damnare morti homicidam, punire seditiosum; at nunquam efficere, ut filius habeat in se homicidii, ac seditionis reatum, hoc solo, quod genitus sit à patre talium scelerum auctore. Visum proinde est Tridentinis Patribus, exempla quæ nobis objiciuntur demonstrare in posteris Adæ transfusionem pœnæ, non culpæ.

16. Objectio 5. tollitur.

Dices: Si filii ob parentum scelera exilio, aliisque pœnis plectuntur, & nihilominus non contrahunt illorum scelerum maculam: eccur ex miseriis, quibus parvuli afficiuntur, infertur hos trahere originalem nequitiam? = Resp. oppositionem istam ad quæstionem, quam nectimus, non spectare. Illam solvit Augustinus in Epistola ad Auxilium 75. nunc ordine 250. Corporali pœna inficiuntur interdum ii etiam, qui ejusdem impietatis non fuerunt participes *ad terrorem viventium*, quoniam corpora quandoque moritura sunt ob Adæ delictum; spiritualis autem pœna non potest sine proprio crimine infligi, cum in Ezechielis 18. scriptum sit: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Infantium ergo corpora perimuntur, quoniam propter Adæ peccatum morti miseriisque subjecta sunt, nec soluto etiam originariæ culpæ reatu jus habent, ut in terris vivant, neque calamitates experiantur. Nam etiam baptizatis inest antiqui peccati substratum, ac moriendi & ingemiscendi necessitas. Ergo visitantur quandoque à Deo peccata parentum in filiis, ut legimus 20. Exodi, temporalibus suppliciis, quia traxerunt ab Adam carnem peccati: non possunt autem puniri pœna spirituali, nisi etiam peccatum trahant aut imitatione, aut origine. Quare ab exclusione à regno cœlorum, ab ignorantia, à libidine aliisque animorum suppliciis monstratur peccato proprio esse obstrictos, nisi fuerit regeneratione expiatum. A morte autem, morbis, cæterisque miseriis corporum infertur, granditate primi peccati jus ad corporalem vitam perdidisse. Itaque filius qui homicidium unâ cum patre non perpetravit, mulctatur exilio, quia jus non habet ne de muliere natus repleatur miseriis, & potest indebito beneficio expoliari.

Ad argumentum tertium hæc sit responsio. Omne Dei præceptum, maximè comminatione, aut promissione latum, appellatur *pactum* in sacris literis. Deus enim præcipiendo quasi de mercede, & de supplicio paciscitur. Ita præcepta legis *pactum* appellantur Levitici XXVI. 15. Adam ergo prævaricatus est pactum, quoniam transgressus est legem. Quod ex ipsis verbis Oseæ satis liquet; ait namque de idololatris: *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum;* atqui pactum, quod transgrediuntur idololatræ, est Dei lex: ergo Dei lex est pactum illud, quod prævaricatus est Adam. Eadem est sententia Augustini lib. XVI. de Civ. Dei cap. 27. ubi hæc habet: *Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: Qua die ederitis morte moriemini. Testamentum enim est à sæculo morte mori eos, qui transgrediuntur præcepta Dei.* Videas, quæso, an hoc loco arbitrariam illam conventionem agnoverit, & compendiose expresserit Augustinus, ut scribit Simonnet disput. v. de Peccatis art. 3. an potius explosserit, nullam aliam, præter Dei mandatum, pactionem commemorans.

17. Objectio 6. solvitur.

Præterea objicies: Absque hujusmodi pacto vix, ac nec vix quidem potest intelligi quomodo primum Adæ peccatum sit proprium posterorum: quippe horum voluntates non sunt ex Adamo per seminalem originem, cum anima, cujus voluntas proprietas est, per semen non traducatur. = Resp. nec intelligi quomodo aliena voluntas, me nolente, sit mea. Proprium est peccatum meæ voluntatis, animique mei, quia voluntas & animus meus per unitionem corporis contrahunt habitualem à Deo aversionem, non voluntate Dei creantis animam, sed voluntate primi hominis, à quo est primus motus generationis, quod supra auctoritate, & exemplis satis explicatum.

18. Objectio 7. declaratur.

Objicies adhuc: Si per seminalem propagationem traheretur originale peccatum, non solum in nos transiret prima Adæ transgressio, sed quodcunque peccatum proximorum parentum. = Resp. neque ipsam transgressionem Adæ in nos pertransire: quandoquidem originale peccatum non est ipsum peccatum Adæ nobis imputatum, sed singulis proprium illud est. Prima illa transgressio fuit originariæ maculæ causa, neque ad hanc ullatenus pertinent alia peccata, vel Adæ vel proximorum parentum. Quare? Ob primum peccatum communis natura vitiata est, & soluto vinculo originalis justitiæ inducta omnimoda perturbatio, anima sese à DEO avertente, voluntate à ratione, sensuum officiis à voluntate. Hanc naturam tanta perversitate vitiatam

tam seminali propagatione recipimus: atque ita peccatum in omnes pertransiit per unum hominem, quatenus primâ prævaricatione communem naturam vitiavit. Peccata reliqua sive Adami, sive proximorum parentum non induxerunt in naturam humanam tale vitium, sed invenerunt. Per hæc jam manenti concupiscentiæ voluntas obtemperans non inficit naturam, sed ad istum, vel illum actum illicitum declinat, & cum prona sit ob vitiatam originem ad omne malum, reddit ad unum, aut alterum procliviorem. Hæc etiam proclivitas interdum de parentibus in prolem trajicitur, quando ex ebriosis ebriosi, ex idololatris idololatræ generantur. Ita parentes in filiis originale peccatum quodammodo aggravant; ut scribit sententia 306. Sanctus Prosper: & concupiscentia est in uno, quam in alio vehementior, actualis scilicet, non habitualis, cui reatus originarius substernitur. Porro hujusmodi actualium peccatorum macula, & privatio justitiæ nequit in posteros pertransire simul cum hac peculiari concupiscentiæ pronitate, quia concupiscentiæ motibus non inest ratio *formalis* peccati, nisi iis voluntas assentiatur. Inest tamen concupiscentiæ habituali, non cuicunque, sed ei tantum, quæ etiam animam à Deo avertit, ac separat; & hanc per seminalem originem hæreditario jure contrahimus. Quapropter ubi anima per gratiam baptismatis *habitualiter* Deo conjungitur, tollitur peccatum, & remanet concupiscentia. Animadverte, quod Augustinus, qui cap. 46. & 47. Ench. videtur dubitare an parvuli obligentur non solum noxâ originali; sed etiam peccatis parentum suorum, lib. 1. de Peccatorum meritis & rem. cap. 15. omnem dubitationem deponit, & in VI. Operis Imperf. contra Julianum n. 21. docet solum Adæ & Evæ peccatum mutando in deterius naturam communi reatu hæreditarii debiti obligare Chirographum, & habere suam vim, & meritum singulare. Observa ibidem objectionem hanc esse Juliani; nec dilui ab Augustino recurrendo ad aliquod pactum, sed ad qualitatem, & effectum primi peccati.

19. Objectio 8. Refellitur.

Oppones ultimo cum pio, eruditoque Scriptore Joanne-Nicolao Chiesa Congregationis S. Joannis ad Carbonariam Antistite, qui fere unus est ex Ordinis nostri viventibus Theologis, qui pactum propugnat. Trahitur peccatum ex Adam non naturaliter, sed quia ille personam gessit posterorum; Præter enim argumentum nuper productum, quod magnam vim habet, quia per primum peccatum non est totaliter infecta persona, ideoque nec totaliter est infecta natura: & si peccatum contrahitur ob concupiscentiam, quæ est effectus transgressionis Adæ, trahi etiam deberet ob concupiscentiam, quæ est causa aliorum peccatorum: præter hoc argumentum, duo sunt, quæ hactenus dicta prorsus elidunt. Unum, quia decimatio Levi non fuit ex natura rei: ergo nec peccatum humani generis in Adam fuit ex natura rei. Deinde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 19. & lib. 3. cap. 2. docet parvulos dici fideles ac pœnitentes propter fidem & pœnitentiam gestantium, quemadmodum propter Adæ prævaricationem sunt obnoxii peccato. Atqui fides & pœnitentia gestantium non est ex natura sua fides & pœnitentia parvulorum: Ergo peccatum Adæ non est ex natura sua peccatum posterorum.

Resp. hujus Theologi positionem esse contrariam Augustino scribenti XIII. de Civ. Dei cap. 3. *Quod pœnaliter præcessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequitur in nascentibus cæteris.* Est etiam objectio Juliani loco nuper laudato negantis *peccatum quod Adam commisit, potuisse fieri naturale.* Originaria ergo culpa naturalis est, non quidem institutione naturæ, quod foret blasphemia Manichæorum, sed transfusa vi propagationis naturæ vitiatæ per Adam, non vi alicujus conventionis, & pacti. Instantiæ autem ad præcedentem argumentationem sunt nullæ, eoquod concupiscentia prior est universarum animi facultatum perturbatio; concupiscentia alia est actualis pronitas voluntatis, aut sensuum, & primæ tantum inest aversio habitualis animi à Deo: unde hæc sola naturam inficit, & animam labe originali commaculat. Quæ dicuntur de Levi decimatione, sententiam nostram corroborant. Enim vero Levi decimatus est non ratione pacti, sed per seminalem originem, ut ostendimus supra ex Agustino lib. IV. Operis Imperfecti cap. 103. Itaque & nos per originem seminalem fuimus in lumbis Adæ, & hac ratione peccavimus *originaliter.* In his, quæ scribit Augustinus de peccatorum meritis, est aliqua dissimilitudo, & aliqua æquiparantia. Dissimilitudo est, quod in baptismo est generatio spiritualis, vi Sacramenti, quod gratiam confert ex Christi institutione: in procreatione hominis trahitur peccatum per vitium carnis, quæ traducitur genera-

tione naturali. Paritas in eo est, quod sicut gratia confertur per Sacramentum institutum à Christo etiam parvulis nondum credentibus propria voluntate; ita originalis noxa per vitium carnis contrahitur à parvulis nondum propria voluntate peccantibus. Audias Augustinum lib. 3. de peccat. meritis cap. 2. *Sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generavit peccatores; illa enim carnalis generatio est, hæc spiritualis, &c.* & loco altero, qui objicitur, *Totum hoc*, inquit de regeneratione spiritus, *in spe fit vi Sacramenti, & Divinæ gratiæ, quam donum donavit Ecclesiæ.* Inepta autem est consecutio: Naturale non est, quod parvulis confertur per gratiam: Ergo naturale non est quod contrahunt per carnalem generationem. Ac de quæstione perdifficili dictum sit.

COROLLARIUM.

20. Corollaria. Ex nostra sententia sequitur absque ulla ambiguitate, quod perseverante Adam, si Cain Dei legem prævaricatus esset, is communem naturam peccati inquinamento fœdasset, atque in posteros per seminalem originem, & carnalem concupiscentiam transfudisset originalem reatum. Sed stante Adamo exornasset Deus probabilius majori gratiarum cumulo universam cum genitore progeniem, ne ullus homo ulterius ab incommutabili bono descisceret.

Sequitur etiam, quod si Deus absque virili semine hominem conderet; quoniam is non esset ex Adam per seminalem originem, non inficeretur peccato originali. Quamquam enim tota massa corrupta est, & homo ille ex hac eadem massa plasmaretur; tamen caro non inficit animam, nisi in quantum est principium generationis, ut docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 81. art. 4. ad 3. tum quia non fit proprium posteris peccatum Adæ, nisi ab eo sit motus generationis, sicut actus corporalium membrorum non pertinent ad peccatum, nisi in quantum moventur à voluntate: tum etiam, quia nullibi, ut in semine, ferveſcit libido, nec causaliter continetur tota substantia, quæ omnium virium & sensuum, in quorum inordinatione stat originalis culpæ substratum, fit subsidium, atque instrumentum.

Postremo consequitur, quod, etiamsi sola Eva peccasset, vel solus Adam, posteri nascerentur obnoxii peccato. Me non latet magnum numerum Theologorum sentire oppositum, quod, inquiunt, est homo primus generationis auctor, & principium efficiens: quod Magistro Beato Thoma citata quæstione, art. 5. potest validissime propugnari. Sed opinor principium generationis non esse maritum sine uxore, neque semen virile absque semine mulieris, quocunque modo istud concurrat; quod apud Philosophos controvertitur. Quoniam ergo cœuntium fit una caro; in ea seminum permixtione, si alterum pollutum sit, oportet ut vitietur utrumque, & modicum fermentum totam massam corrumpat. Atque id fiet, etiamsi muliebria permisceantur ad solam fermentationem. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Sive autem à muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet, quoniam sicut novimus mulier ex viro est, & utriusque caro una est. Unde & illud quod scriptum est, & erunt duo in carne una: igitur non jam duo, inquit Dominus, sed una caro.* Ita Augustinus in 1. de Peccatorum meritis cap. 16. Etsi ergo Pater præcipuus gignendorum filiorum sit auctor, eique generationes tribuantur, ut præclare idem Augustinus animadvertit lib. 3. Op. Imperfect. num. 90. nihilo tamen minus non exerit motum ad generationem idoneum, nisi complexione mulieris, ac seminum permixtione. Puto autem nihil referre, num aqua effluat impura ab ipso fonte, num lutulenta efficiatur in vase. Sed quoniam vereor ne hæc sententia, vel potius opinatio mea minus nostris arrideat, quamvis illam cum Estio 22. §. 8. valeam pluribus communire, non eam nimium loquax obtrudam.

CA-

CAPUT VII.

De singulari quadam opinione asserente peccatum Judæorum Crucifixionis Domini auctorum esse genere suo originale.

SUMMARIUM.

1. Refertur opinio Baji, & S. Augustini.
2. Ponitur conclusio, & probatur.
3. Refutatur responsio contraria.
4. Refutatur alia responsio.
5. Discrimen inter peccatum originale, & actuale.
6. 7. 8. 9. 10. & 11. Solvuntur objectiones.

1. Refertur opinio Baji, & S. Augustini.

STATUIMUS supra præter originale peccatum nullum aliud ad posteros hæreditario jure transire. Solus Bajus prop. 52. asseruit, *omne scelus ejus esse conditionis, ut suum auctorem & posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio*: sive quod Bajus existimaverit omnem pravum motum concupiscentiæ esse *formaliter* peccatum, sive quod nullum reatum agnoverit præter obligationem ad pœnam: quæ duo affirmavit propositione 75. & 56. Nam & pravam inclinationem à proximis parentibus trahimus, & visitat quandoque Deus peccata parentum in filios corporalibus saltem supplicijs. A qua Baji doctrina, ut à media nocte meridies, absunt sententiæ Augustini. Is enim, ut ex præcedentibus liquet, in Adæ primo peccato ad mutandam in deterius naturam agnoscit meritum singulare, libro VI. contra Julianum cap. 21. & in reatu concupiscentiæ demonstrat aversionem à Deo, sive, ut loquitur lib. 1. de peccat. meritis cap. 1. *interclusionem, quæ hominem à suo creatore separat*, ideoque etiam reatum culpæ. Nunc excitata est nova quæstio scriptis Magistri Mansii plurimum collustrata, an saltem scelus Judæorum qui Matth. XXVII. 25. clamarunt, *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, illorum progeniem inficiat. Ferunt namque Judæi illius sceleris pœnas, easque gravissimas, non solum captivitatem ac dispersionem, sed etiam intestinum in Dei filium odium, maximamque cordis obdurationem. Et hanc si dicatur comitari intima macula, quæ dici possit vitium naturæ, habeatque singulare meritum, ut prima Adæ transgressio, naturam ipsam inficiendi; nihil hæc assertio habebit cum erroribus Baji commune. Versemur itaque in hac dissertatione nuper nata; ac lepidula ad punctum temporis.

2. Ponitur conclusio & probatur.

PROPOSITIO. Scelus Judæorum, quibus auctoribus Christus cruci suffixus est, nequit appellari peccatum naturæ pervadens in posteros.

Demonstratur 1. Ex verbis Apostoli ad Rom. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Ubi inter Adam, & Christum, & inter illius inobedientiam, istiusque ad mortem usque singularem humiliationem hæc statuitur antithesis, quod quisquis carnali generatione propagatur per Adam contrahit maculam originalem, & quisquis regeneratur per Christum justitiæ gratia exornatur: sed *non sicut delictum, ita & donum*, cum generatione carnali non contrahatur nisi unum delictum, gratia autem Christi, quæ nos justificat, non solum originarium illud dispungit, sed etiam actualia, quæ voluntate propria patrantur. Unum est ergo peccatum quod trahitur per originem & causa est condemnationis posterorum: Atqui non unum esset, si etiam scelus Judæorum pertransiret in posteros: Non ergo pertransit.

3. Refutatur responsio contraria.

Respondet Manso Tom. 2. Theol. Scholasticæ p. 514. utique peccatum originale, quo singuli nascuntur obnoxii unum esse; sed quid inde ad determinata peccata hujus, vel alterius determinatæ familiæ? Sed persistit adhuc præcedens argumentatio. Comparatio enim facta ab Apostolo inter Adam & Christum est, quod sicut *Christus est unus in quo omnes justificantur, quia non sola ejus imitatio justos facit, sed per spiritum regenerans gratia: ita & Adam unus est, in quo omnes peccaverunt, quia non sola ejus imitatio peccatores facit, sed per carnem generans pœna.* Quod & satis manifestum est, & hisce iisdem verbis asseritur ab Augustino in primo de peccatorum meritis cap. 15. Atqui determinata scelera capitis hujus, aut alterius familiæ non habent pœnam, quæ generet per carnem; non enim Judæorum pervicacitas, & ferveſcens in Christum invidia excitat motus, quibus propagatur natura, & carnalis generatio peragitur, sed ii efficiuntur dumtaxat

taxat carnis concupiscentiâ, quæ est memorata *per carnem generans pœna*. Ergo determinata hujus, aut alterius familiæ scelera nequeunt esse naturæ, & genere suo originalia. Similiter ideo per Apostolum *non sicut delictum, ita & donum*, Quia *generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum: regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Ita eodem loco Augustinus. Atqui si Judæorum scelus pertransiret in filios, generante carne non traheretur tantummodo illud, quod est originale peccatum. Igitur scelus Judæorum in filios nequaquam culpæ reatu pertransit.

4. Refutatur alia responsio.

Accedit argumentum ex postremo Augustini contra Julianum Opere lib. VI. Num. 21. petitum. Ubi Hæretico objicienti, quod si primum Adæ peccatum fieret naturale, tale etiam evaderent quæ voluntas criminosa quotidie committit, respondet: illud solum *habere suam vim, & suum meritum singulare*, propterea quod potuit *omnium ex viro & muliere nascentium in deterius mutare naturam.* Hoc vero potuit, quoniam ante illud peccatum, *natura illa talis fuit, ut nec mori posset, si peccare noluisset: natura illa talis fuit, ut in se discordiam carnis & spiritus non haberet: natura illa talis fuit, ut contra vitia sua nulla certaret.* Atqui ante peccatum Judæorum in Christi cædem conspirantium talis in eis natura humana non erat, sed morti subjecta, discordiis lacessita, affecta vitiis: Ergo illud Judæorum scelus non habuit vim ac meritum singulare, (non quidem in se inspectum, sed quoniam jam naturam vitiatam invenit) ut deberet omnes inde nascentes inficere. Vide quæ diximus præcedenti capite ad objectionem penultimam.

5. Discrimen inter peccatum originale, & actuale.

Eodem loco Augustinus ostendit quænam culpa sit originalis, quænam vero actualis ex pœnis, quæ inde consequuntur. Ut enim culpa originalis sit, & contrahatur propagatione naturæ, necesse est, ut quisquis illam naturam habet, iisdem pœnis afficiatur. Nam si pœna non pertranseat ad omnes, est peccatum actuale, quod pœnis temporalibus etiam in posteris quandoque punitur ad terrorem malorum pœnâ autem æternâ non punitur nisi in iis, qui illud imitantur. Ex quo probat primum Adæ peccatum originariam labem in nos transfundere, quod pœnis, quas Deus primis hominibus fuit comminatus, singuli afficiuntur. Etenim *nullum hominem videmus à pœna laboris alienum: nullam parientium à suppliciis scimus immunem, &c.* Si ergo scelus Judæorum evasisset naturale, scilicet cum propagatione naturæ culpam trajiciens in posteros, omnes Crucifixorum Christi nepotes easdem spirituales pœnas luerent, quæ juxta Cl. Theologum sunt amissio juris ad promissiones factas Abrahæ, velamen cordis, & obcæcatio, & culpa ac vindicta effusi sanguinis Jesu. Atqui his pœnis non afficiuntur Judæi omnes, sed ii soli, qui imitantur Majorum suorum flagitia; ut enim legimus Act. XXI. 20. multa millia ex Judæis crediderunt, atque auctore Apostolo ad Rom. XI. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Israel.* Ergo scelus Judæorum non est peccatum naturæ, nec reatu pertransit in posteros.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

6. Objectio I.

Ob. 1. Judæi, ex quo propagati sint ex semine Abrahæ, peculiare jus ad divinas promissiones habebant. Etenim Gen. XVII. 7. Deus statuit pactum cum Abraham, ut esset Deus *seminis illius.* Christus Matth. 15. 24. testatur se tantum missum fuisse ad oves, *quæ perierunt ex Israel:* atque Lucæ XIX. 9. Zachæus salutem consecutus est, eoquod & ipse *filius* esset *Abrahæ* Atqui post Domini Crucifixionem hoc jure privati sunt, ut liquet ex parabola apud Matth. XXI. de dispersis agricolis ob occisionem Filii Domini sui, nec non ex ipsa Vpostolorum prædicatione; nam principio Matth. X. 6. præcepit eis Jesus, ne abirent in vias gentium, at post mortem cap. XXVIII. 18. jussit, ut omnes gentes docerent. Judæi ergo ob crimen Deicidii nedum se, sed posteros quoque suos jure ad promissiones Divinas privaverunt. Atqui peccatum quod privat bono aliquo non solum personam, sed ejus progeniem ex D. Thoma q. 4. de malo art. 5. est peccatum inficiens naturam; Judæorum ergo scelus peccatum naturæ est.

7. Solvitur.

Resp. dist. ma. Judæi jus habent ad Divinas promissiones ex quo sint filii Abrahæ *secundum carnem*, nego: *secundum spiritum*, concedo: ait enim Apostolus ad Rom. 4. 13. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei:* & Augustinus in Ps. 148. *Quisquis imitatus fuerit Abraham, filius est Abrahæ: quisquis degeneraverit à fide Abraham perdidit progeniem Abrahæ. Judæi degeneraverunt; perdiderunt.* Ita

Chana-

Chananæa non erat filia Abrahæ, quia nondum credebat, unde ei eodem cap. xv. Mat. v. 28. ob fidem concessum est quod petebat. Zachæus etiam erat filius Abrahæ *imitando fidem, quia non erat in vanitate somniantium, sed in fide evigilantium*, ait Augustinus in Ps. 75. Alioqui si Zachæus non propter imitationem fidei Abrahæ salutem consecutus esset, sed ob carnalem propagationem, salvi facti essent Judæi omnes. Hæc ad majorem propositionem. Minor eadem ratione distinguenda est: Judæi privati sunt jure promissionum divinarum quantum ad terram Chanaam, aliaque bona temporalia, concedo: quantum ad sempiternum regnum Messiæ, subdistinguo: Judæi omnes procreati ex semine Crucifixorum, nego: Judæi, qui horum crucifixorum imitantur infidelitatem concedo. Enimvero post mortem quoque Christi Judæis Evangelium prædicatum est, & Apostoli conversi sunt ad gentes, quoniam Judæi ipsi contradicebant blasphemantes, & verbum Dei refutabant. Videantur Acta Apostolorum cap. XIII. 26. & 46. Distinguenda est pariter minor subsumpta: Est peccatum naturæ illud quod privat aliquo dono naturæ, ut originale quod privat originali justitia, & recta facultatum ac sensuum ordinatione atque harmonia, quale donum primitus collatum fuit Adam, trajiciendum, si stetisset, in omnes posteros, esto: Peccatum est naturæ, quod privat aliquo dono collato fidei, meritoque personæ, quale donum fuit promissio Abrahæ participanda ab his tantum, qui ejusdem fidei imitatores sunt, nego. Atque hæc etiam est expressa doctrina D. Thomæ 4. q. de malo art. 8. ubi definit peccata proximorum parentum non esse originaria, quoniam non auferunt *aliquod donum naturæ*, idest donum in singulos naturali generatione propagandum.

8. Objectio 2. Ob. 2. Ad Rom. XI. 24. Judæi dicuntur inserti olivæ, idest, Ecclesiæ fidelium *secundum naturam*. Cap. XV. 8. asseritur Christum fuisse ministrum circumcisionis *ad confirmandas promissiones patrum*, & cap. IX. 3. 4. Apostolus ait Israëlitarum esse adoptionem, gloriam, legislationem, promissa; de iis loquens, qui erant ejus *cognati secundum carnem*. Itaque naturaliter, & vi propagationis ex semine Abrahæ spectabant ad promissionem, à cujus jure ob mortem illatam Christo exciderunt.

9. Rejicitur. Resp. nego consequentiam. Nam ad Rom. XI. Judæi dicuntur olivæ rami naturales, quia naturali propagatione erant ex radice, sive genere Abrahæ, in quo per fidem servabatur Ecclesia: quemadmodum Gentes erant rami oleastri, quia inter eas vigebat idololatria. Ut ergo idololatria gentium non est peccatum originale, sed actuale transiens in posteros imitatione, non semine; ita benedictio Abrahæ spectat ad omnes, qui imitantur illius fidem, non qui gignuntur ex ejus semine. Et quomodo gentes insertæ sunt in bonam olivam per gratiam fidei, ita rami naturales fracti sunt *propter incredulitatem*. Ita ibidem Apostolus v. 20. *Propter incredulitatem*, inquit, non per seminalem originem non contigisset in Israel *cæcitas ex parte*, nec salvus fieret *omnis Israel*, ut è vestigio addit Paulus, idest, *qui & ex Judæis, & ex gentibus secundum propositum vocati sunt: ipsi verius* (sive verus) *sunt Israel*, inquit Augustinus Ep. 59. nunc 149. 19. Nam pœna respondens peccato naturæ posteri omnes mulctantur. Ex his patescit sensus aliorum verborum, maxime quod Apostolus appellans Israelitas *cognatos secundum carnem* ostendit alium modum cognationis secundum fidem, ut animadvertit Augustinus serm. 63. de diversis cap. 18. De ea autem cognatione ad Rom. IX 8. scriptum est: *Qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.*

10. Objectio 3. tollitur. Ob. 3. Judæi Crucifixores Domini clamaverunt Mat. XXVII. 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, id est, *culpa & pœna* habet Glossa interlinearis: Atqui *perseverat usque hodie imprecatio*, ut scribit Hieronymus laudatus à Corn. à Lapide Comment. in hunc locum Matthæi; Ergo pertransit ad posteros Judæorum *culpa & pœna*.

Resp. dist. majorem: Clamaverunt invidentiâ excæcati, & nescientes quid imprecarentur, conc. quod posset sceleris sui in filios culpa & pœna transire, subdist: pœna temporalis, quâ ad terrorem impiorum interdum puniuntur posteri nullum jus habentes ad terrenam felicitatem, licet sint innocentes, concedo: pœna sempiterna, quâ puniantur Judæi, tametsi non imitentur incredulitatem patrum suorum, nego. Atqui perseverat usque hodie imprecatio, scilicet temporalis pœna, & abominatio prædicta à Daniele, ut inquit ibidem à Lapide, conc. pœna sempiterna, si imitentur Judæi incredulitatem Majorum, esto; nisi illam imitentur, nego.

11. Objectio 4. refutatur. Ob. ultimo: Scelus Judæorum appellatur à Jeremia cap. XVII. 1. *peccatum scriptum stylo ferreo in ungue adamantino*, & ab Amos II. 6. scelus, à quo Israel non convertitur. Id vero non solum ob temporalia supplicia, verum

etiam ob cæcitatem ac pervicaciam, quæ in Judæis tanta est, ut perpauci Christi fidem amplectantur: & si quis Christo nomen dederit, continuo ad relapsum vehementi inclinatione excitatur. Ex solo lacte Judææ nutricis infici puerulos experientia compertum est. At ubi pœna est, etiam culpa invenitur, frequenter Augustino Julianum interpellante: *Fatemini pœnam, culpam dicite*; Itaque in Judæos culpa Majorum trajicitur.

Resp. peccatum Judæorum scriptum esse stylo ferreo, quoniam ejus causa in perpetuam captivitatem sunt deportati, & quemadmodum idololatræ amuleta Deorum suorum suspendunt ad cor, ita Judæi dispersi, quasi insignia deferunt χαράγματα patrati sceleris. Id vero non est culpam contrahere, sed quasi sanguinis infamiam, & infortunium natalium. Ita posteri Cham secum ferunt maledictionem paternam: ita peccato Salomonis ejus filii diminutione regni puniti sunt: ita furciferorum ac rebellium nati absque proprii reatus macula habentur infames. Causam reddidi superiori capite ad 3. At, inquit Manso, trahunt Judæi parentibus etiam pravum habitum, cæcitatem, pervicaciam, & inclinationem ad imitandum crucifixores. Quid inde? Filii omnes, ut plurimum, pravam affectionem contrahunt parentum; & eorum artes, vitia, moresque imitantur, maxime si eadem sit parentum ac filiorum educatio. At hæc prava affectio non substernitur reatui culpæ, nisi præbeat voluntas assensum. Nemo quippe damnatur propterea quod inclinationem malam ob corporis dispositionem induat semine, aut lacte. Enimvero culpæ reatus vel est privatio originalis justitiæ, vel actualis: illam privationem induxit peccatum Adæ, quia naturam vitiavit originaria justitia exornatam: hanc privationem efficit actualis voluntas, quia iterum animam exuit superinducta justitia. Judæi ergo, ut generantes reliqui, in filios affectiones malas trajiciunt; quæ, ut in parentibus, ita in posteris nequeunt esse proxima causa damnationis, id est, nocere non possunt nisi volentibus. Qui volunt, ac pereunt, non sunt discreti a massa perditionis, neque eis auxilia, quæ nullum durum cor respuit, sunt Dei proposito præparata. Cur sic discreti non tuerint, non est peccatum Crucifixorum, sed illud, quod trahimus ex Adam; & qui discreti sunt, velamen cordis abjiciunt, eisque sive Judæi sint, sive Gentiles, sive mali improbique Christiani, *durum est contra stimulum calcitrare.* Act. IX. 5.

CAPUT VIII.

De pœnis, quæ in altera vita originali peccato respondent.

SUMMARIUM.

1. Referuntur opiniones acatholicorum.
2. Sententia S. Augustini defenditur.
3. Referuntur sententiæ catholicorum.
4. Ponitur conclusio prima.
5. Opinio Gersonis & aliorum refutatur.
6. Ponitur conclusio 2da.
7. Quæ probatur ulterius.
8. Ponitur conclusio 3tia.
9. Quæ confirmatur & authoritate.
10. Et ratione.
11. Conclusio 4ta adstruitur.
12. 13. & 14. Refutantur placita Adversariorum.
15. Probatur conclusio ex scriptura.
16. Probatur Authoritate Patrum.
17. 18. & 19. Refutantur responsiones Adversariorum.
20. Refertur sententia S. Augustini.
21. Probatur ulterius conclusio Authoritate Patrum.
22. Ac ratione.

1. Referuntur opiniones acatholicorum.

PUEROS non regeneratos baptismate ante rationis usum concedentes naturæ Pelagiani excludi quidem à regno cœlorum senserunt, sed frui tamen felicitate quadam, ac vita perenni. Hanc Pelagianorum fuisse hæresim nullus ignorat, traditque expresse Augustinus Hær. 88. de peccato origin. cap. 21. serm. 14. de verbis Apostoli, lib. 11. de orig. animæ cap. 12. in v. Operis Imperf. contra Julianum n. 200. & aliis in locis compluribus. Eosdem pueros frui naturali beatitudine, & post judicium extremum super terram esse commoraturos censent Catharinus, Pighius, & Cardinalis Sfondratus. Puniri exclusione regni cœlorum, quod supplicii genus dicitur pœna damni, consentiunt uno ore Catholici. Sunt ex his nec pauci, nec infimi ordinis, qui ex hac pœna nullum animi dolorem illos experiri arbitrantur. Augustiniana tandem sententia

tantia est, illos nedum dolore aliquo macerari, sed etiam plecti pœna sensibili, licet comparate ad eos, qui actualia patrarunt, leni admodum, & mitissima.

2. Sententia S. Augustini defenditur.

Antequam hujus doctrinæ positiones afferam, dissimulandum non est, Augustinianæ sententiæ assertores passim appellari à Scholasticorum nonnullis *Tortores puerorum*. Quibus si vicem rependere velimus, nihil est, quod facilius possimus præstare. Nam Florentius Conrius Archiepiscopus Tuamensis, & is quidem non Augustiniani instituti, sed Ordinis Minorum, in libro, quem de hoc argumento conscripsit cap. 26. hos Scholasticos stupendæ animositatis redarguit, à penetrandis Augustini principiis remotissimos esse pronunciat, parum Divinas Scripturas penetrare, & Romanam Ecclesiam, dum Augustini placitum labefactare conantur, non levi forte injuria afficere. Sed nos ab his penitus abstinemus, hac una responsione contenti, tortores damnatorum esse dæmones; & universorum judicem, ante cujus tribunal etiam pueri sisti debent, esse Deum. Ipse illorum causam aperte novit; nos quæ audivimus ab Augustino, referemus commiserantes Filiorum Adæ conditionem: quæ nisi talis erit, qualem nos opinamur, gratulabimur maximopere. Næ tortores dicuntur, qui nec percutiunt, nec damnant, & commiserantur damnatis!

3. Referuntur sententiæ catholicorum.

Vetustis hisce conviciis, quæ late expungit Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 5. nunc prætermissis; animadvertendum est, quod Edmundus Simonnet Jesuita doctissimus Disput. v. de peccatis art. 12. ingenue fatetur, Latinos Patres post exortam hæresim Pelagianorum magno consensu nostram tenuisse sententiam; quamquam oppositam post sæculum XII. amplexi fuerint fere omnes Doctores Scholastici. Imo nostram definitam in Concilio Florentino arbitratur Petavius alter celeberrimus Jesuita Tom. 1. Theolog. Dogmatum lib. IX. cap. 10. prope finem: quod sine ulla hæsitatione fatetur Nicolaus L'Herminier Tom. VI. pag. 441. Quod vero de Scholasticis dictum est, nos utique negare non possumus. Cum enim Magister sententiarum scripsisset dist. XXXIII. infantes nullum ignis materialis vel conscientiæ vermis pœnam sensuros, qui primum in eum Commentaria ediderunt, fortasse de hac quæstione minus soliciti, nec data opera Patrum testimoniis expensis Magistro subscripserunt, tria quoque Scholasticorum lumina D. Thomas, Scotus, & S. Bonaventura. Ob quorum auctoritatem, absit, ut huic assertioni vel minimam erroris notam nos audeamus impingere. At vicissim immerito à nonnullis vexamur, si ab istis recedimus. Nam major pro nobis stat numerus & auctoritas Patrum, si verum est nobiscum cum Augustino Latinos reliquos consentire; quod num verum sit, postea inquiremus. Nec destituimur Scholasticorum suffragiis. Nam parvulos luere pœnam ignis, si Thomam de Argentina exceperis, tenent omnes instituti nostri Doctores. Commemorandus primo Gregorius Ariminensis in 2. dist. 33. q. 3. qui tamen quæstionem his verbis absolvit: *Quia hujus quæstionis non vidi partem aliquam expresse determinatam ab Ecclesia, & tremendum mihi videtur negare auctoritates Sanctorum, econtra etiam non est tutum contraire communi opinioni, & consensioni Magistrorum nostrorum; idcirco neutri parti alteram præferens, dijudicationem earum lectori relinquo.* Atque hanc moderationem nos tenere volumus lectoris judicium expectaturi. Sequuntur Alipius Rayloc lib. VIII. de Anima cap. 2. Carolus Moreau Tom. 1. Tertul. p. 2. pag. 89. Cardinalis Norisius in Vind. cap. 3. Gevardi de Peccat. Originali q. 2. art. 5. Petrus Manso Tom. 2. q. XV. Nicolaus Girken Tom. 2. Tract. 3. dub. 4. q. 2. Leonardus Vanroy de Peccatis quæst. ultima, Aurelius Piette Tom. 2. cap. 2. q. IX. atque ut omittam Musæum, Paludanum, aliosque innumeros, Antonius Guerrero Tract. III. §. IX. prioris voluminis Operis Moralium, quod adhuc sub prælo sudat. Ex externis plures laudat citato loco Norisius præsertim ex discipulis Scoti, ut Joannem Poncium, Patrem Macedo, Florentium Conrium, alios. Sylvius 1. 2. q. 86. art. 2. fatetur sententiam nostram esse *tum Scripturis, tum Patribus conformiorem.* Estius §. VIII. in dist. 33. secundi libri utriusque argumenta proponit, & affirmat hanc nostram, in quam magnopere inclinat, poni à Fulgentio inter regulas fidei; etsi neutra tanquam fide tenenda sit, nec possit econtra damnari, tanquam hæretica. Ex Sorbonicis Doctoribus luculenter pro nobis scripsit L'Herminier tom. 6. pag. 415. Augustini aliorumque Patrum Africanorum, & Gregorii Magni hanc esse mentem confirmat Ludovicus Habert de Peccatis cap. VII. §. 7. q. 10. Eidem assentitur Juvenin. P. 7. dissert. 7. cap.

cap. 2. quæst. v. Hos commemorasse sufficiat. Nunc dirimendæ controversiæ bonis, ut inquiunt, avibus tantillum operis commodabo.

4. Ponitur conclusio prima.

PROPOSITIO I. Pueri decedentes priusquam sint regenerati baptismate, supernaturali beatitudine minime potiuntur.

Hæc propositio est de fide adversus Pelagianos definita à variis Conciliis, ut scribit S. P. lib. 11. de Orig. animæ cap. 12. id est, à Diospolitano, Carthaginensi, & Milevitano. Quibus adde Tridentinum sess. v. can. 4. & Florentinum sess. ultima. Demonstratur 1. ex Scripturis; nam Jo. 111. 3. habetur: *Nisi quis renatus fuerit, &c. non potest videre regnum Dei.* Quo testimonio perculsi Pelagiani fatebantur parvulos baptizandos esse *non propter salutem, & propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum*, ut Augustinus refert Serm. de verbis Apostoli quartodecimo. Atqui non solum à regno cœlorum, sed etiam à salute & vita æterna hujusmodi parvuli excluſi sunt. Ergo supernaturali beatitudine non fruuntur. Minorem probamus primo, quia commentitia est illa à Pelagianis excogitata inter regnum Dei, & inter æternam vitam distinctio, quemadmodum evici cap. 1. hujus libri propos. 2. argum. 3. Deinne ex eodem cap. Joannis versu 16. *Ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam*, satis apparet eos, qui habituali fide non exornantur, esse æterna vita privandos. Quod in eodem Evangelio repetitur cap. v. 24. 40. &c. Demonstratur 11. Patrum auctoritate, maxime Augustini scribentis laudato Serm. de verbis Apost. 14. *Nos dicimus aliter salutem, & vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo.* Et in 11. de peccat. meritis cap. 16. *Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem.* Adstipulantur Patres Concilii Carthaginensis, & Milevitani in Epistola ad Innocentium 90. & 92. inter Augustinianas: illi enim scribunt, *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos* (Pelagiani) *negant, & sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant: promittentes etiam si non baptizentur habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.* Quam Pelagianam assertionem subinde anathemate feriunt. Et Milevitani Patres: *Pueros quoque parvulos, si nullis inoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam nequam præsumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus, Per unum hominem &c.* Vide & Innocentii Epistolam, ejusque sententiam apud S. Patrem libro 11. ad Bonifacium cap. 4. Nec non Gelasii ad Picenos Episcopos. Tertio refutatur hæresis Pelagianorum ratione: nam repromissa beatitudo est Dei visio, ut docet Apostolus ad Corinth. 1. cap. 13. 12. & Joannes 1. cap. 3. 2. Hi pueri non videbunt Deum, ut est in se; Ergo privabuntur supernaturali beatitudine. Accedit nec Pelagianos potuisse percipere, quænam sit hæc vita sempiterna extra regna cœlorum, ut liquet ex Augustino cap. 21. de Peccato originali.

5. Opinio Gersonis & aliorum refutatur.

Advertendum obiter distare ab hæresi Pelagiana opinionem Gersonis affirmantis serm. de Nativ. Virginis quosdam pueros nondum natos, si forte morituri sint priusquam ad baptismum fluminis pervenire valeant, & præsertim parentes assidue orent, & in votis habeant, ut baptizentur, baptismo Spiritus Sancti misericorditer consecrari. Cujus opinationis suffragator est Gabriel Biel in IV. dist. 9. q. 2. & Cajetanus in 111. partem q. 68. art. 1. 2. & 11. Hi enim parvulis per Christi gratiam absque baptismo noxa originali deleta beatitatem, regnumque cœlorum statuminant. Sed paucos habet patronos commentum istud, meritoque refellitur. Primo enim diserte Augustinus lib. 11. de Origine Anim. cap. 12. adversus Victorem affirmat, neminem, qui non renatus fuerit Christianæ fidei lavacro solvi ab originali peccato, nisi mysterium fidei in parvulis perficiatur atque impleatur, & perperam illius peccati abolitionem promitti absque Christi baptismate. Legatur & Epist. 57. ad Dardanum. Deinde non esse de parvulorum fine baptismo decedentium damnatione dubitandum, liquet ex Epistola 1. Siricii Papæ cap. 2. & ex Conciliis Africanis nuper laudatis, nec non ex plenariis Florentino, ac Tridentino, quæ definiunt necessum esse, ut peccatum originale lavacro regenerationis expietur, alias decedentes pueros æternam vitam non consequi. Legito Petavium lib. 1x. Theologorum Dogmatum cap. x1. Tandem si fide ac voto parentum possent pueri interiori baptismate consecrari; quamplures filii fidelium in utero matrum expiarentur, neque puerulos recens natos necesse foret ob damnationis periculum sacro fonte levari. Quod est nimium plaudere Novatoribus;

bus; à quorum dogmate Catholici omnes abhorrent.

6. Ponitur conclusio 2da.

Propositio II. Fictitia est illa naturalis beatitudo, quam benigniores quidam pollicentur infantibus.

Evincitur pluribus argumentis, quorum esto primum. Hæc assertio nullum in Scripturis vel Patribus fundamentum habet, quin, ut visum hactenus, cum ex illis, tum ex his constat omnes ob Adæ delictum damnari, & excludi à regno, nisi lavacro regenerationis inundentur. In quo exilii ac damnationis statu puerulos beatitate quadam potitos quasi ludere, & in arundine longa equitare, nos quidem anilem fabulam arbitramur. Alterum est, quod si ad naturalem aliquam beatitudinem hujusmodi parvuli pervenirent, foret hæc medius ille locus inter regnum cœlorum, & condemnationem, quem locum commenti sunt Pelagiani, & de quo Augustinus in primo de Origine animæ cap 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum, quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum, hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Ubi non solius supernaturalis felicitatis, sed *cujuslibet*, parvuli, qui non renati decedunt, asseruntur expertes. Tertium argumentum illud est, quod hi parvuli non sunt immunes à pœna & miseria, ut sequenti propositione demonstrabitur. Nequit autem beatitudo aliqua cum oppressione animi, ærumnisque consistere. Proximum est, quod hi parvuli stant sub dæmonis potestate, ut S. Pater affirmat lib. VI. contra Julianum cap. 8. & lib. III. de Nuptiis cap. 18. quod etiam liquido colligitur ex baptizandorum exsufflationibus. Sub vexatione autem Dæmonum, *nonne universa, quam Deus instituit, natura turbatur?* Ait ipsemet Augustinus lib. I. Operis Imperf. cap. 88.

7. Quæ probatur ulteriùs.

His accedit, quod gravissimorum Theologorum judicio, non aliam beatitudinem parvulis decedentibus sine baptismate promittebat hæresis Pelagiana, quam naturalem felicitatem. Ita sentit Estius in distinctionem 33. §. 7. ita Petavius lib. IX. de Prædest. cap. XI. n. 2. ita L'Herminier loco citato Concl. 2. & ex Nostratibus Norisius, & quos supra commemoravi. Id vero mihi satis compertum est. Nam Pelagiani duo genera vitæ distinguebant; unum est ἀναμαρτησία, sive expers peccati animus, cujus quisque naturæ viribus sibi net esset auctor, ita ut sine peccato vitam degens congruentem felicitatem assequeretur. Posterior vita est adoptio, & dignitas filiorum, ad quos regnum cœlorum hæreditario jure devolvitur. Atqui Pelagiani fatebantur pueros non baptizatos tali hæreditate privari: Ergo iis non aliam beatitatem pollicebantur, quam quæ naturæ viribus posset comparari, & nullum haberet supernaturalis beneficii ornamentum. Præterea Pelagiani fatebantur parvulos non esse vasa in honorem, nec eis deberi vitam æternam paratam credentibus, sed quamdam tantummodo felicitatem, in qua sine cruciatibus vitam agerent. Ita nimirum constat ex Augustino lib. I. de Prædest. Sanctorum cap. 13. lib. I. Operis Imperf. cap. 137. lib. II. de Nat. & grat. c. 21. Ergo Pelagiani nunquam parvulis absque Christi Sacramento denatis aliam beatitatem spoponderunt, quam naturalem.

8. Conclusio tertia probatur.

Propositio III. Parvuli cum originali reatu morientes dolore aliquo afficiuntur.

Mihi quidem, nisi omnino perdidi communem sensum, videtur hæc thesis manifestissima. Quæ est enim pœna, quæ damnatio, quodnam supplicium, ubi nullus dolor excruciat? Certe pœnæ ideam percipere non valeo, nisi animadversionem, incommodum, mulctamque cui reus animo, aut corpore subjicitur. Nec pœnam subire ac luere crediderim, qui nec suscipiunt, nec perferunt. At non ea est cæterorum perceptio. Age ergo, disceptetur de propositione paulisper. Primum ob originale peccatum pueri nascuntur filii iræ, ut Apost. loquitur 2. cap. v. 3. ad Ephes. id est filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, ut lectione 1. docet S. Thomas: iram ergo, vindictam, pœnam, gehennam perferunt, ac dependent. Deinde fides docet illos damnari & arceri à regno cœlorum, quod gravissimum supplicium esse tradunt unanimi consensione Patres, maxime Chrysostomus hom. 47. & 57. ad Populum Antiochenum, & Basilius in Psalm. 33. Insuper per Concilium Florent. sess. ult. definitum est, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quid est autem puniri, nisi castigari, plecti, supplicio affici?

9. Quæ confirmatur & authoritate.

Ex Augustino autem hæc delibo. Cap. 112. Enchirid. *Perire*, inquit, *à regno Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei . . . . tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari, si illa sit æterna.* Bene habet, inquiunt; sed hac pœna parvuli non excruciantur.

Verum S. Pater lib. VI. contra Julianum cap. X. ita hanc responsionem expungit: *Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, , & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac separatione patientur?* Et serm. 294. cap. 6. *Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit Sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate; si autem desiderat, pœna est defraudata charitate.* Vide etiam lib. III. contra Jul. cap. 3. & 12. & Operis Imperfecti lib. III. n. 97. Præterea S. Pater lib. primo contra 2. Epistolas Pelagianorum cap. 22. expressis verbis scribit parvulos *secundæ mortis subire supplicium.* Item lib. 1. Operis Imperfecti n. 5. non solum rejicit medium illum locum Pelagianorum inter regnum Dei, & gehennam, sed etiam negat medium *inter regnum bonis, & supplicium malis præparatum:* & denique lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16. & v. contra Julianum cap. 11. ait parvulos non baptizatos futuros *in damnatione mitissima.* At damnatio parvulorum dici non potest mitissima considerando in se pœnam damni: hoc enim sensu *nulla tormenta possunt ei comparari*, auctore ipsomet Augustino. Mitis est ergo & minus aspera, ut conficit premitque puerulos, quorum non est cruciamentum egregie summum, omnique immanitate eterrimum, ut in adultis.

10. Et ratione.

Suppetit ad auctoritatem ratio. Primum quia cruciatur quisquis appetit adipisci non potest: Parvulorum animus quod appetit adipisci non potest, nempe Deum, ad cujus imaginem creati sunt: Ergo excruciantur. Deinde quomodo exules à patria, ac sub dæmonis potestate, ferrei scilicet, ac truculentissimi hostis, possunt non ingemiscere, nec indolere? Rursus adversa opinio, ut inquit Clariss. Theologus Estius cit. §. 7. dist. 33. veritatem peccati originalis evacuat; etenim peccato proprie dicto pœna proprie dicta respondet: Parvuli non regenerati rei sunt peccato proprie dicto: Ergo necesse est, ut ei pœna aliqua vera, ac propria respondeat. Postremo cur hi pueruli supplicium subire non debent? Num quod sint innocentes? Hæc est vetus querimonia Pelagianorum. An quod Deus speciali providentia efficiat ne triste quidquam illis accidat? Somnium istud est; nam in vasa contumeliæ apta in interitum non talis cura exercetur, sed ira. Fortassis cœlestis regni ignorantiâ laborant? Sed illud amant, ergo norunt: sunt Dei imagines, ergo illius desiderio exardescunt: judicabuntur, ac stabunt ante Christi tribunal; ergo audient esse regnum ante mundi constitutionem præparatum electis. Hæc de tertia propositione; nunc agamus quod instat.

11. Conclusio 4ta. ponitur.

Propositio IV. Pueri cum Originali peccato decedentes plectuntur aliqua pœna sensus, licet in comparatione adultorum, mitissimâ.

Sit primum pro hac sententia argumentum. Describitur universale judicium Matth. III, 12. XIII. 36. XXV. 32. Apocalyps. XX. 15. aliisque in locis. Priori loco hæc verba occurrunt: *Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit arcam suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quæ verba repetuntur Lucæ cap. III. 17. Altero in loco legitur. *Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* In tertio habetur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris:* & v. 41. *Tunc dicet his, qui à sinistris erunt, discedite maledicti in ignem æternum.* Postremo ita tragœdia absolvitur: *Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Parvuli sane non sunt triticum, quod congregetur in horreum: non sunt oves, quæ statuantur à dextris: non sunt prædestinati, qui scripti inveniuntur in libro vitæ. Sunt ergo paleæ, & zizania alliganda ad comburendum: sunt hœdi locandi à sinistris, & in gehennam trahendi: sunt reprobi detrudendi in stagnum ignis. Notissima sunt Augustini verba hoc argumenti genus mirifice comprobantis: *Venturus est Dominus* (inquit serm. 14. de verbis Apostoli cap. 3.) *& judicaturus de vivis, & mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram & sinistram. Sinistris dicturis est: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: hanc regnum nominat: hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.* Et paucis interjectis: *Qui non in dextera, proculdubio in sinistra. Ergo qui non in regnum, proculdubio in ignem æternum.*

Con-

12. Refutatur responsio A. A.

Contrariæ sententiæ patroni respondent primo parvulos non esse à Christo judicandos. Sed hæc responsio evertitur validissimis momentis. Ac primum iisdem, quæ produximus, literarum sanctarum testimoniis. Nam Matt. XXIII. 36. rogantibus discipulis ut ediſſereret parabolam zizaniorum respondit Dominus: *Ager est mundus: bonum vero semen, hi sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio sæculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.* Omnis ergo qui in agro mundi nascuntur, sive triticum sint, sive zizania, in die messis sunt colligendi, atque vel in horreum congregandi, vel igne inextinguibili comburendi. Cap. autem XXV. *Congregabuntur*, inquit Evangelista, *ante eum omnes gentes.* Deinde futuros parvulos in sinistra definit Concilium Africanum celebratum an. 418. declarat. in Epist. ad Picenos S. Gelasius: connumerat inter regulas fidei Augustinus in Epist. 107. ad Vitalem, ut demonstrat laudato in loco Norisius. Rursus: Pater *omne judicium dedit Filio: & potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*, ut habetur Joan. v. 22. 27. nimirum ideo Christus est judex, quia Redemptor; atque, ut explicat Augustinus, *totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Quid ergo? Redemit omnes; omnes judicabit.

13. Rejicitur & aliorum opinio.

Respondent alii esse quidem parvulos judicandos, sed non ituros in ignem. Verum hos non moror. Nam si judicandi creduntur, aut in dextera statuendi sunt, aut in sinistra: ergo vel in regnum ibunt, vel in ignem æternum. Ibunt, inquiunt aliqui, sed non cremabuntur. Nil solidius hi crepant. Enimvero *paleas comburet igni inextinquibili: Zizania alligabuntur in fasciculos ad comburendum: Ibunt in supplicium æternum*; clamat Evangelista. Habet Græcus: εἰς κόλασιν αἰώνιον, *in punitionem, & cruciatum sempiternum.* Deinde: quare hi parvuli mittuntur in ignem? Num ut inter flammas cum pueris Babyloniis Deo benedicant? At inquit Regius Vates Psal. CXIII. 17. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:* & Ps. VI. 6. *in inferno autem quis confitebitur tibi?* Rursus: ne igne torqueantur, erunt flammæ singulari beneficio cohibendæ. Sed cur tantus amor in vasa iræ, & vindictæ? Denique si fas est hoc pacto sacras literas detorquere, dicamus & sceleſtissimos in ignem æternum fore compingendos, non concremandos. His autem obviam it Augustinus in I. de Fide & Operibus cap. 15. *Neque illud dici potest, in quo nonnulli se seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam: cum & hoc prævidens Dominus sententiam suam concluserit, ita dicens: sic ibunt illi in combustionem æternam; justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis.* Itaque si parvuli ibunt in ignem; ibunt in supplicium, in combustionem, in operationem ignis, in cruciamentum, εἰς κόλασιν αἰώνιον.

14. Refutatur quoque Responsio aliquorum.

Sunt qui reponunt cum Bellarmino, hœdos & agnos esse fideles, quorum unus est pastor, & agrum in quo germinat triticum cum zizaniis ac paleis Ecclesiam Catholicam. Quæ facillime convelluntur. *Quid enim si dicatur nomine areæ intelligi etiam posse mundum universum?* ait eruditus Jesuita Simonettus in hac quæst. resp. 2. ad opp. 2. Ego, quod ita intelligatur, contendo; quoniam Christus parabolam illam ediſſerens ait: *Ager est mundus;* & Evangelista explicans ovium, hœdorumque magnum gregem, inquit: *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Animadvertit gravis & præclarus Theologus L'Herminier Tom. 6. pag. 419. Bellarminum hoc loco sibi non constare, nam fatetur quod universali judicio *omnes omnino aderunt pusilli cum magnis, fideles cum infidelibus, justi cum peccatoribus.* Hi ergo sunt agni & hœdi, frumentum & paleæ, triticum & zizania.

14. Probatur conclusio ex scriptura.

Addam ex Scripturis nonnihil. Apocalypseos XX. 6. legitur: *Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima: In his secunda mors non habet potestatem.* Prima resurrectio est animarum, secunda corporum: prima mors est separatio animæ & corporis; altera animæ & corporis ab omni felicitate divulsio, & damnatio perpetua. Ita docent Augustinus XX. de C. D. cap. 6. Fulgentius lib. I. ad Monimum cap. 6. & colligitur ex eodem loco Apocalypseos v. 14. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda.* Itaque sic argumentari fas est. Mors secunda habet potestatem in eos, qui non habent partem in resurrectione prima. Parvuli decedentes cum originali peccato non habent partem in resurrectione prima. Ergo in parvulos decedentes cum originali peccato mors secunda habet potestatem. Argumentum istud suppeditat mihi Augustinus scribens serm. de Oct. Pasch. 6. sive 162. de Temp.

Mors autem secunda ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem vero secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo cruciatur. Utraque ergo mors omnem hominem tenebat obstrictum, quia naturæ transgressio unumquemque peccatis propagat obnoxium. Quo in loco non solum Augustinus declarat secundam mortem esse illam, quâ & anima & corpus torquetur, quod etiam affirmat in capite nuper commemorato Fulgentius; sed asserit quoque deberi hanc mortem originali peccato.

16. Probatur auctoritate Patrum.

Insuper probatur thesis sanctorum auctoritate. Augustini nonnulla recitata sunt: restant, quæ possent in medium afferri, longe plura: curabo manifestissima delibare. *Absit*, inquit cap. 12. de dono persev. *ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum utrum in Christo regenerati si moriantur parvuli transeant in æteram salutem: non regenerati autem transeant in mortem secundam.* Citato sermone de verbis Apost. XIV. explicata Dominica sententia; *Ite in ignem æternum*, inquit: *Ecce expositi tibi, quid sit regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum. Regnum enim cælorum est vita æterna. Nec aliud etiam Paulus Apostolus cum terreret homines, non parvulos non baptizatos, sed sceleſtos, facinorosos, contaminatos, perditos, non eos terruit quod erunt in igne sempiterno, quo sine dubio ibunt, si non corrigantur: sed tantum terruit quia in regno non erunt; ut cum viderint se perdere spem regni, non viderent esse consequens, nisi pœnam ignis æterni.* In Epistola etiam 28. num. 166. Ad Hieronymum: *Certus sum, quæcunque anima* (inquit) *sine gratia Mediatoris & Sacramento ejus, in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœna futuram, & in ultimo judicio recepturam corpus ad pœnam.* Libro V. contra Julianum cap. 8. nunc XII. aperte pronunciat de parvulis non renatis *ignibus æternis arsuros.* Et denique in tertio Operis Imp. num. 199. ita Julianum alloquitur: *Si non eruitur à potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus: quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non finitur?*

17. Refertur responsio adversariorum.

Quid ad tam aperta loca Adversarii? Quidam respondent, Augustinum rem habere cum Pelagianis, & impugnare duntaxat fictam illam beatitatem, quam hi parvulis p omittebant: asserere, cum cæteris peccatoribus etiam pueros damnari, comparate ad carentiam visionis Dei, & loci infernalis horrorem; abreptum denique æstu disputationis adhibuisse rigidiorem, & Scythicam orationem. Arbitror solâ librorum Augustinianorum lectione hæc magnorum virorum dicta refelli. Augustini sententia est, parvulos non baptizatos ire in ignem æternum, affici pœna ignis æterni, arsuros ignibus æternis: nec rejicit tantummodo medium locum confictum à Pelagianis, sed qualemcunque inter dexteram & sinistram, inter regnum electorum, malorumque supplicium. Ac opinione nostra nec fallitur, quia Divinarum Scripturarum ducitur auctoritate: nec rigidiorem sententiam amplectitur, quoniam per unum hominem peccatum in omnes pertransiit, & qui gerantur ex Adam, sunt natura filii iræ, filii vindictæ. Debita reverentia dictum velim. Etiam Julianus Pelagianorum pestilentissimus lib. 1. Op. Imperf. num. 48. sententiam Augustini immanem ac funestam appellitat, negans DEum æternis ignibus parvulos tradere. Nunquid objectum sibi rigorem Augustinus emollit? Nunquid affirmat igne pueros non confici? Annuit, & agnoscendum deprædicat *Judicium occultissimum quidem, sed sine ulla dubitatione justissimum.*

18. Aliæ responsiones AA. refutantur

Respondent alii, mentem Augustini aliunde ex ejus libris patescere. Nam memorata ad Hieronymum Epistola, *Sed cum ad pœnas*, inquit, *ventum est parvulorum; magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio.* Quibus videtur nihil S. Patrem finite pronunciavisse. Futuros etiam hujusmodi parvulos in damnatione mitissima scribit libro V. contra Julian. cap. XI. in 1. de peccator. meritis cap. 16. & Ench. cap. 93. Si autem loca Augustini penitius inspicicantur; his quoque assertum nostrum firmatur. In Epistola enim illa, integra Augustiniana periodus est: *Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio, non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illam damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christianæ gratiæ Sacramento, sed eas ipsas, quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus, quam exempla deficient.* Ergo ut in hac vita, ita in damnatione, ad quam trahuntur, parvulos

vulos pœnam dare, Auguſtinus cenſet indubitatum. Arduum putat ac perdifficile demonſtrare humana ratione quomodo traducatur peccatum, quod tantorum malorum eſt cauſa: unde inquirit, quid de animorum origine ſentire commodius valeat; aut ſi pœnis tantis mulctari poſſunt parvuli ſine peccato, rogat ut id ei velit Hieronymus edifſerere.

19. Novæ reſponſiones A. A. rejiciuntur.

Hæc pariter de mitiſſima parvulorum damnatione in v. contra Julianum libro leguntur: *Ego autem non dico, parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tantâ pœnâ eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret; cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros?* Itaque mitiſſima eſt parvulorum damnatio, quia non tanta pœna plectuntur, ut peccatores nequiſſimi; qualis eſt Judas, cujus immane flagitium Salvator Matth. XXVI. 24. his verbis expreſſit: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Eſt enim in damnatis, ut unus altero iniquior, ita pœna magis, aut minus acerba. Adde quod Auguſtinus pœnam damni, ut propoſit. 3. dictum eſt, cenſet eſſe graviſſimam. Erit ergo mitiſſima parvulorum damnatio, non pœna damni, ſed ſenſus.

20. Refertur ſententi S. Auguſtini.

Confidentius regerunt alii, Auguſtinum proprio marte, & absque opinionum delectu contrariam cæteris Patribus ſententiam cudiſſe, Hos detineam paullulum, opus eſt. Principio meminiſſe juvat, S. Patrem ſermonem 14. de Verbis Apoſtoli recitaviſſe Carthagine ad populum, jubente Aurelio Primate totius Africæ anno 413. ex quo recte infert Noriſius Auguſtinianam doctrinam nec novam fuiſſe, nec ſingularem. Secundo vetuſtiſſimus Auctor Hypognoſticon, id eſt, *ſubnotationum*, lib. v. cap. 5. ſic placitum, ſcitumque noſtrum confirmat: *Finge Pelagiane locum ex officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni à Chriſti gratia vitam requiei, & gloriæ poſſidere parvuli poſſint. Dextera eſt juſti judicis ſedentis, & ſiniſtra: regnum, & gehenna: vita & mors: juſti, & iniqui. In dextera igitur juſti ſunt conſtituti, in ſiniſtra operarii iniquitatis: in regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum: vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & ſtridorem dentium: juſti in regno Patris cum Chriſto, iniqui in igne æterno parato diabolo, & angelis ejus.* S. Fulgentius in libro de Fide ad Petrum cap. 27. *Firmiſſime*, inquit, *tene, & nullatenus dubita, non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive jam de matribus nati, ſine Sacramento ſancti baptiſmatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.* Quæ non proprio privato ſenſu Fulgentius ſcripſit, ſed, ut conſtat ex priore capite libri, ei ſubſcripſerunt Epiſcopi quindecim: nec ibidem contra Pelagianos diſceptat, ſed Petro Diacono clariſſimo, doctiſſimoque viro quadraginta capitula ad regulam fidei, ut ait cap. 44. pertinentia proponit. Quare Fulgentii verba ſub nomine Auguſtini à Gratiano in canonem relata ſunt de Conſ. diſt. 3. can. *Firmiſſime.* Idem confirmat Fulgentius in libro 1. de verit. Prædeſt cap. 12. & de Incarnat. & gratia Chriſti expreſſiſſimis verbis. Vide Petavium Tom. 1. pag. 376. & Voſſium Tom. 6 pag. 637. & judex eſto, num Fulgentius ita poſſit exponi, *ut parvuli interminabilibus ignis æterni pœnis non cruciantur.* In hæc enim verba ſtatim offendes: *Neceſſe eſt cum corpore interminabilia gehennæ ſubſtinere ſupplicia:* tum in hæc: *interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis.* Quisnam? *In originali peccato quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab ejus obligatione ſolvatur: Imago Dei, quæ nihil potuit per ſeipſam delinquere.* Hæc Fulgentius. Addas librum de Incarnatione editum nomine omnium Epiſcoporum in Sardinia ob fidei cauſam exulantium.

21. Probatur ulterius concluſio authoritate Patrum.

Jam ſummatim reliqui ſunt perſtringendi. Hieronymus in fine tertii contra Pelagium Dialogi ait: infantulis originaria labe inquinatis *æternæ miſeriæ cruciatus præparari.* Magnus Gregorius lib. 9. Mor. cap. 12. ſcribit: *Propterea tormenta percipiunt.* Prudentius Tricaſſinus Antiſtes de Prædeſt. cap. 16. *Perpetua plexione damnantur.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. num. 26. diff. ſp. *Cum carne commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* Aelredus Anglus Synchronus S. Bernardi lib. 1. ſpeculi charitatis cap. 15. *Injuſtum æſtimas, ut lignum inutile & infructuoſum ignis depaſcat? Co-*

gita quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, justissimis addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi. Aelredi sententia deprompta videtur ex cap. 111. Matth. vers. 10. Alcimi Aviti in Carmine ad Fuscinam Sororem hæc sunt verba,

Quæ flammis tantum genuerunt pignora matres.

Plura ex his collegit primum Ariminensis: selegit illustriora Petavius: permulta Vossius: omnia cumulate & erudite Norisius; hinc posteriores degustarunt.

Allata sunt propositione 3. verba Florentini Concilii. Horum sensus est: *Iisdem inferni pœnis puniendas eorum, qui cum solo originali peccato moriuntur, animas, quibus cæterorum, qui in actuali mortali decedunt. Horum autem pœna sunt combustio ignis, ut Augustinus supra citatus à nobis observat. Ut igitur quamvis eorum, qui in lethali culpa pereunt, dissimile sit in eadem concrematione judicium, una est tamen cruciantium pœna flammarum: ita parvuli inæquali quidem flammarum cruciatu torquentur; sed torquentur tamen.* Agnoscis opinor, verba Petavii. Hactenus dictis satis superque refelluntur, qui verba Augustini aut detorquent, aut elevant.

22. Ac ratione.

Sit postrema argumentatio à ratione; quamvis Theologo nulla validior est ratio, quam à Divinis Scripturis, eorumque Patrum auctoritate, qui dirimendæ controversiæ contulerunt quantum ipsorum animo erat roboris, & nervorum. Sæpenumero dictum est parvulos esse sub diaboli potestate: quod probant exsufflationes Ecclesiæ, scribit Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 34. lib. 1. de Nuptiis cap. 23. lib. 111. Operis Imperf. cap. 200. & definit Tridentina Synodus sess. v. de Originali peccato. Atqui Diabolus, dum ei occulta justitia permittitur, captivos parvulos in hac vita vexat, *animam & corpus affligit, sensus, sanitatemque pervertit*, ut experimento compertum est, & idem Augustinus docet in 1. Op. Imperf. cap. 88. Jactabit ergo vehementius, affliget, pessundabit, cum direptos, inferisque asservatos vindice flamma constringet. Deinde si verum esset, quod Adversarii confidentissime urgent, Originali peccato nullam sensibilem pœnam correspondere, non possent absque injustitia plecti morte corporis: *Habet enim asperum sensum, & contra naturam vis ipsa, qua utrumque divellitur quod fuerat in vivente conjunctum atque consertum, quamdiu moratur, donec omnis adimatur sensus, qui ex ipso inerat animæ carnisque complexu*, lib. XIII. de C. D. cap. 6. Atqui ob peccatum originale pueri morte corporis afficiuntur. Ergo originali peccato pœna quoque sensibilis correspondet. Quidquid enim sit de statu puræ naturæ, in quo plurium sententia homines nascerentur morti obnoxii; indubitatum nunc est, mortem merito inflictam esse peccati. Postremo (videor enim satis de hac quæstione disseruisse) parvuli baptizati de alieno merito reportant bona corporis, quoniam in regeneratione spirituali evacuatur caro peccati, & per baptismum adsciscuntur in Ecclesiam Christi, qui sanctificat animam, & glorificat corpora: ergo non baptizati reportant mala corporis, quia generatione corporali trahunt ex Adam carnem peccati, & per noxam originariam numerantur in familiam diaboli, in cujus domo est cruciatus animi, & corpus esca flammarum. Vide quæ diximus cap. 1. hujus libri ad ultimam objectionem.

CAPUT IX.

Refelluntur oppositæ sententiæ argumenta.

SUMMARIUM.

1. Objectio 1. Solvitur.
2. Objectio 2. Refutatur.

à N. 3. Usque ad N. 13. aliæ adducuntur objectiones.

1. Solvitur 1. Objectio.

QUI arbitrantur parvulos, si non regenerati è vita excesserint, nullo ignis supplicio in inferis confici, primum adversus nos literarum sanctarum auctoritate belligerant. Apostolus, inquiunt, in 2. ad Corinth. v. 10. ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Apocalypsis 18. v. 7. habetur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

ctum. Et ipse judex ad sinistram positis dicturus est, Matth. xxv. 41. 42. *Ite in ignem æternum. . . . esuri. Vi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Atqui parvuli nihil mali gesserunt, nunquam in delectamentis deliciisque fuerunt, neque denegarunt eleemosynam indigentibus. Igitur parvuli referre non debent mala corporis, non sunt plectendi tormentis nec perpetuis ignibus concremandi.

Resp. primo hoc esse argumentum Juliani apud Augustinum lib VI. cap. 10. quod à Parente adversus callidum versutumque dialecticum retorquetur. Nam parvuli baptizati de alieno recte facto reportant bona corporis: ergo possunt de alieno peccato reportare malum. Vide ob. ultimam 1. capitis. Hac ratione alia loca in adversarios retorquentur. Quippe parvuli corporis delicias & oblectamenta non despexerunt, nec sunt elargiti pauperibus obulum, minimumque teruncium; & referent nihilominus gloriam corporis, regnumque electorum. Præterea respondetur nihil esse magis verum, quam mundi illecebris obscænisque voluptatibus deberi sensuum afflictionem ignisque supplicium, & judicandum fore sine misericordia, qui misericordiam non fecerit. At nunquid damnati horum tantum scelerum pœnas dabunt? Ergo neque hæresis, neque ambitio, nec desperatio, aliaque hujus generis crimina absque carnali delectamento patrata non erunt flammis ultricibus punienda? Ergo qui pauperem alit & stipem erogat, volutatur autem in cœno libidinum, regnum Dei possidebit? Ergone, quia in judicio durius agetur cum fidelibus, qui fuerunt naturâ asperi, & humanitatis expertes, infideles atque idololatræ absolventur? Unum itaque genus peccatorum pro reliquis positum est, & maleficia magis nefaria pro noxis cæteris. Responsum reddo breviter & absolute: Distinguo majorem: Hæc dicta sunt ad exclusionem aliorum peccatorum, nego: sine tali exclusione, concedo.

2. Solvitur Objectio 2.

Opponunt 2. verba Jobi cap. 3. ubi posteaquam ait diem nativitatis suæ fuisse atrum ac tristem; peroptat perjisset in utero matris, vel statim in lucem editus; redditque v. 13. hanc rationem: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Itaque parvuli decedentes ante usum rationis nullo sensibili supplicio torquentur. = Resp. dist. ant. Et Job puerorum, qui immaturâ morte abripiuntur, dormitionem & quietem appellitat, quatenus immunes sunt à doloribus, miseriisque hujus sæculi, concedo. Quatenus ex hac vita migrantes in peccato, requie ac felicitate potiuntur, nego. De præsentis vitæ afflictione loquitur Jobus, de qua & nos, dum moritur homo infortuniis miseriisque jactatus, licet impius sit, dicere consuevimus, Pœnis & calamitatibus obrui tandem aliquando cessavit. Nimirum ob oculos nostros hujus vitæ conditio versatur, non futuræ. Ita Job: qui proximo vers. 17. suorum verborum sensum exponit: *Ibi impii* (scilicet in sepulcro) *cessaverunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi labore. Et quondam vincti pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. Parvus & magnus ibi sunt, &c.* Quietem ergo ac dormitionem appellat mortem, qua omnes sive parvuli, sive adulti ab angustiis sæculi eximuntur. Exhibet ergo nobis miserorum lamenta, veluti ille, qui Elegia XIII. ajebat in 3. Tristium:

Ecce supervacuus, (quid enim fuit utile nasci)
Ad sua natalis tempora noster adest.

Præterea Gregorius lib. IV. moral. cap. 3. docet, hæc verba Jobi non esse literaliter accipienda. Atque premuntur eadem difficultate Theologi omnes, qui ob pœnam damni censent parvulos contristari. Vide in hunc locum Hieronymum.

3. Solvitur Objectio 3.

Tertio objiciunt auctoritatem Decreti de Baptismo Tit. 42. cap. 3. *Majores*: Ubi Innocentius IV. (non ut citari solet, III. cum sit Rescriptum an. 1250.) ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuus cruciatus.* = Resp. primo in Decretorum Codice dist. 4. de Consecrat. c. 3. *Firmissime* definiri originale peccatum puniri *ignis æterni sempiterno supplicio.* Hujusmodi ergo decretum adeo perspicuum expressumque alteri valde ancipiti & ambiguo est præferendum. Deinde non addit Pontifex particulam *Tantum:* ideoque si ob peccatum actuale punitur damnatus & cruciatu gehennæ & privatione visionis Dei; plecti etiam potest propter originale privatione visionis Dei, & cruciatibus gehennæ. Insuper ibidem declarat Pontifex, pueros ante usum rationis esse baptizandos, quoniam *originale quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti: actuale vero quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.* Objicientit autem cur pariter non baptizentur amentes ac dormientes, & in eis deleatur per baptismum originale peccatum, remanente actuali, respondet Pontifex

tifex primo *quod Dominus, qui totum hominem sanum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit: & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit.* Alteram dat responsionem, eoquod *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuus cruciatus: unde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna propter reatum criminis actualis: sed hæc tanquam incompossibilia minime patiuntur, imo sibi mutuo adversantur.* Quarum rationum priorem probamus: altera ab imperito Secretario, ut habetur in Glossa, addita est; constat enim, adultum cui dimissum est peccatum originale, & decedit cum actuali mortali, utrâque pœnâ puniri. Vide Gregorium Ariminensem.

4. Solvitur Objectio 4.

Arguunt 4. auctoritate Augustini: qui in tertio de libero arbitrio cap. 23. ait: *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, atque peccatum, & sententia judicis media esse possit inter præmium atque supplicium.* In eo autem loco sermonem habet de parvulis. Rursus in v. contra Julianum cap. XI. non solum scribit parvulos futuros *in damnatione mitissima*, sed etiam negat *tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret.* Quod falsum esset, si torquendi forent ambustione perpetuarum flammarum. Rursus serm. 14. de verbis Apostoli cap. 6. ait: *Hæc illis sola pœna est non esse in patria.* Igitur præter pœnam damni nulla alia parvulis irrogatur. Tandem Tract. 19. in Joannem asserit Judicis sententiam, *Ibunt in ambustionem æternam*, esse *de quibusdam sinistris.* Non ergo ad omnes, qui in sinistra erunt, est referenda.

5. Ulterius sententia S. Augustini manutenetur.

Respondetur frustra hæc perpauca & contorta Augustini amplissimis ac expressissimis testimoniis opponi. Quæ antequam Adversariis nostris eripiantur, summam illorum erga Augustinum observantiam gratam acceptamque habeo, qui palam recedere à tanto Magistro erubescunt. Non enim probare me finit ingenium meum acrimoniam styli, quo L'Herminier Tom. VI. p. 453. scibit, *At ego miratus sum persæpe illorum omnium audaciam, qui in opinionis suæ præsidium Divi Augustini auctoritatem super hoc negotio proferunt, &c.* Non est audacia hæc, sed reverentia. Jam vero ex dictis constat, S. Patrem damnationem parvulorum apellare *mitissimam* comparate ad adultos; neque de illis usurpandam Dominicam sententiam *Melius erat si nati non fuissent*; quæ nec de omnibus peccatoribus qui æterno igne cremantur, pronunciata est, sed de scelestissimis tantum, ad ostendendam inæqualitatem tum pœnarum, cum peccatorum. Quæ sunt Augustini verba legentibus manifesta. Nam eodem cap. 92. Ench. ubi damnationem puerorum appellat *mitissimam*, ait: *Quicunque vero ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, resurgent quidem etiam ipsi unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo, & angelis ejus puniantur.* Atque hoc loco istud addidi, ut videant Augustini mentem, qui docent ignem inferni non posse in parvulorum corpora vim nativam exercere. Quamquam non satis percipio istiusmodi subterfugiorum acumen; sive enim ignis corpora adurat naturali virtute, sive collatâ divinitus, ad præsentem controversiam nil attinet. Verba ex serm. XIV. de verbis Apostoli, sunt ex concessis à Pelagianis illatio dogmatum Catholicorum. Illi fatebantur parvulos excludi à regno cœlorum, frui tamen aliqua tranquillitate. Sic eos revincit Augustinus: Hoc tantum non esse in patria maximum supplicium est: quam ergo quietem ac beatitatem fingitis in iis, qui à Patria perpetuo exulant? Ac subinde probat reprobos omnes ituros in combustionem æternam, ut præcedenti capite demonstratum est. Tractatu in Joannem 19. n. 18. plectendos supplicio ignis appellat *quosdam sinistros*, relate ad omnes gentes, turbamque judicandorum universam. His ergo excussis, unum restat ex tertio libro de lib. arbitrio, quod jam expediam.

6. Ac declaratur.

Agit S. Pater in hoc libro adversus Manichæos, qui existere principium malorum omnium nitebantur ostendere argumentatione petita à parvulis. Hi enim cruciatibus corporis affliguntur, cum nullum peccatum patraverint. Cum ergo mali non sint propria voluntate, consequens est, ut tales sint constitutione naturæ. Rursus dicebant, qualis in judicio futuro deputabitur, cui neque inter justos locus est, cum nihil recte fecerit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Itaque oportet, ut parvulus, qui damnatur, nec ullius reus est iniquitatis, sit malus conditione, ac substantia. Quid ad hæc Augustinus? Cum Manichæi fateri nollent originale peccatum voluntaria Adami prævaricatione transfusum, conterit argutationes istas ex illorum assertionibus.

Reci-

Recipiebant novum Testamentum, sciebantque necatos ab Herode infantes ab Ecclesia cum Martyribus honorari. *Quis ergo novit* (ait de pueris, qui doloribus ac mortibus flagellantur) *quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus?* Sic explodit unam Manichæorum instantiam, quod si nullum est peccatum in parvulis, temporales afflictiones non erunt pœna peccati, sed meritum occultæ retributionis. Diluit eadem ratione quod objectabant Manichæi de parvulorum judicio. Potest, inquit, horum parvulorum vita esse media inter recte factum, & peccatum? igitur poterit etiam sententia judicis esse media inter præmium, & supplicium; ideoque nec ex temporalibus cruciamentis, neque ex futuro parvulorum judicio infertur illorum malam esse substantiam. Hæc vident omnes non cæci; qui legunt laudatum caput tertium ac vicesimum. Quid ergo juvat Adversarios nostros locus iste? Sequiturne ex Augustiniana responsione parvulos morte non plecti propter Adæ peccatum? Minime. Sequitur vitam parvulorum esse mediam inter peccatum & recte factum? Minime. Sequitur in judicio futurum locum parvulorum inter justos & malos? Minime. Ergo nec sequitur sententiam judicis posse mediam esse inter præmium ac supplicium; sed hoc sequeretur duntaxat, si parvuli nullum peccatum contraherent. Addo ex hoc Augustini testimonio Adversarios nostros contendere S. Patrem hic admittere statum *puræ naturæ* possibilem. Nonne hinc statum illum medium inter justitiam & peccatum se evincere jactitant? Igitur, velint, nolint, fateri debent sententiam illam *mediam* non spectare ad parvulos obnoxios originali peccato.

Ad hanc responsionem meam accedunt observationes Norisii, Augustinum in Epist. ad Hieronymum 28. nunc 166. cap. 7. differte contestari, quod in III. de lib. arbitrio nihil dixerit de damnatione eorum parvulorum, qui sine baptismo emigrant de hac vita; imo cum Pelagiani, ac Massilienses hunc locum S. Patri objectarent, respondet de dono Perseverantiæ cap. 12. se minime de pœnis parvulorum dubitasse, & adversus Manichæos instituisse disputationem; ac etiamsi cum scripsit de libero arbitrio in hac dubitatione versatus esset, neminem debere esse tam injustum, atque invidum, qui se *proficere prohiberet, atque in ea dubitatione remanendum esse judicaret.* Unde lusit operam Bellarminus scribens Augustinum nunquam quæ scripserat in eo cap. 23. retractasse. Ideo enim non retractavit quod olim docuerat de pœnis parvulorum, inquit Norisius, quia de iisdem non dubitaverat. Sunt qui ulterius respondent, quod sicut vita parvulorum dicitur media inter recte factum atque peccatum, intelligendo peccatum actuale; ita sententia sit *media* inter præmium & supplicium, accipiendo mercedem & pœnam, quæ retribuitur meritis personalibus. Quemadmodum ergo pueri baptizati non habent retributionem adultorum, habent tamen animi corporisque beatitudinem: ita non baptizati non afficiuntur cum adultis æquali supplicio; sed afficiuntur tamen. Sed vera est responsio prior, quamquam & hæc contrariam argumentationem atterit & eliminat.

Opponunt 5. aliquorum Patrum auctoritatem, qui videntur ab Augustiniana sententia recedere. Sunt hi Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, Bernardus, & cum plurimis Scholasticis D. Thomas, ac S. Bonaventura. Ambrosius libro 2. de Abraham cap. ultimo scribit de parvulis sine baptismo ex hac vita migrantibus: *Habeant tamen illam apertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.* Nazianzenus Orat. 40. quæ est in Sanctum Baptisma, eorum, qui non baptizati ex hac vita discedunt statuit tertium genus, id est parvulorum, qui lavacrum nec contempserunt, nec consequi poterunt; de quibus ait, *Nec cœlesti gloria nec supplicii à justo judice afficientur, utpote qui licet signati non fuerint improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.* Habet consimilia Nyssenus scribens Orat. 1. hujusmodi pueros *in doloribus ac tristitia non esse.* Bernardus vero in Serm. de resurrect. 3. *Cesset* (inquit) *Voluntas propria, & infernus non erit.* Porro D. Thomæ aperta est sententia 3. p. q. 1. art. 4. & q. 5. de malo art. 2. sicut & D. Bonaventuræ in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. hujusmodi pueros supplicium ignis evadere. 7. Solvitur 5. Objectio.

Resp. 1. Gregorium Nazianzenum & Nyssenum, aliosque ante exortam Pelagianam hæresim, non tam fuisse in hac controversia versatos, quantum in ea Augustinus & Africani Patres sese exercuerunt, unde, quemadmodum in materia de Prædestinatione & Gratia, ita in hac quæstione post illam hæresim ventilata, Latini Græcis præferendi sunt, maxime quod hi tantum duo Adversariis favere videntur, & si rigorose accipiantur, scribunt pueros ante baptismi lavacrum carere improbitate & peccato,

quod falsum est. Pro nobis autem stant Augustinus, Fulgentius, Patres Milevitani, & Carthaginenses, & confessione Petavii, & aliorum, Florentini Concilii decretum. Et nihilominus ob horum duorum, necnon D. Thomæ ac Bonaventuræ reverentiam, oppositam opinionem Catholice propugnari fatemur, eique nos vel unam censoriam virgulam minime hoc nostro scripto adjicimus. Sed singula expendenda jam sunt.

In Ambrosii cap. ultimo lib. 2. de Abraham opinantur PP. Benedictini Tom. 1. pag. 351. nonnulla ab aliquo hæretico fuisse intrusa. Nec immerito; nam supra num. 79. Ambrosius affirmative dixerat parvulos non baptizatos excludi à regno. Quomodo ergo posthac scripsit: *Nescio an habeant regni honorem?* Deinde ultima pars postremi capitis cum præcedenti nulla ratione cohæret. Insuper absolute asserere quod hi parvuli habeant immunitatem pœnarum, videtur sapere Pelagianismum. Optima tamen est responsio nostri Vanroy loqui Ambrosium per figuram concessionis, siquidem ait, *Habeant*, non, *habent*. Etenim perspicuum est illum tam de adultis, quam parvulis verba facere, & probare sancti lavacri promiscue necessitatem. Solent proferri & quædam de Ambrosii in Epistolas Pauli Commentariis: sed liquet hæc perperam sub tanto nomine celebrari. Observarunt in iis viri docti semina Pelagianismi: nos autem suspicamur conscripta ab Hilario Diacone, qui vixit sub Damaso, & Luciferianis adhæsit, ut diximus ad cap. 2. ad ob. ultimam. Idem asserendum est de Auctore QQ. ad Antiochum, scribente q. CXIV. de parvulis, qui non baptizati decedunt, ἅτε εἰς βασιλείαν οὐσέρχονται, ἀλλ' ἅτε πόλιν εἰς κόλασιν, ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἔπραξαν: *Neque in regnum ingrediuntur, neque rursus in pœnam: peccatum enim non commiserunt.* Spuriæ sunt enim quæstiones illæ, licet diu Athanasianæ habitæ sint, & alicubi nonnulla præferant ex Athanasio translata. At continent longe plura obscuri & imperiti Scriptoris: atque cum olim non excederent num. 35. jam extant 136. *Librariis* (inquiunt eruditi Censores Tom. 2. p. 252. edit. PP. S. Mauri) *novas quæstiones semper addentibus.* Laudatum D. Bernardi Sermonem habitum ad adultos liquet legentibus. Testimonium Nysseni premit eos etiam, qui ob pœnam damni parvulos mœrore aliquo affici tenent, quod sentit Adversariorum nostrorum pars major, & si perpaucos Thomistas exceperis, omnes propemodum. Dubitat etiam Nyssenus an *quælibet anima ante Judicis tribunal sistatur*, cum postea id fuerit definitum, ut cap. præcedenti dictum est: unde qui negat parvulos judicandos, auctore Beda in Prœmio Canticorum, *contradicit Catholicæ fidei.* Quare dicendum est cum Norisio Gregorium Nyssenum in ea quæstione, quam appellat *difficilem atque perplexam*, dubitanter locutum esse: alioqui erit in hac parte ipsius opinatio penitus rejicienda.

8. Ac ulteriùs declaratur.

Unus restat Gregorius Nazianzenus. Hunc Nostrates satis commode exponunt; quod sicut dum ait parvulos *carere improbitate, & jacturam potiùs pati quam facere*, loquitur de neglectu baptismatis: ita dum addit, *nec cœlesti gloria, nec supplicio illos affici*, accipiendus est de punitione respondente huic neglectui, ac despicientiæ; ob quam proculdubio adulti contemptores baptismatis supplicio multo acerbiori plectentur. Atque hanc responsionem magnorum virorum consensione probatam refutare non ausim. Nazianzeni tamen sententia videri posset aliquibus manifesta; nam paullo ante scripserat medium quid intercedere inter gratiam, ac mortem, γένεσθω τὶ μέσον τῆς κάμτος, ἢ τῆς ἀναλύσεος. Tum post ea, quæ nobis objiciuntur, scribit non propterea quemquam aliquo dignum esse supplicio, quia non meretur honorem: ἐ γὰρ ὅσις ἀτιμῆς, ἤδη ἢ κολάσεος: parvulos vero sine lavacro decedentes neque gloriæ honorem, nec supplicium subituros, μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι. Insuper Græcus illius Scholiastes Nicetas ad hanc ipsam Orationem ita Nazianzeni sententiam explicat: *Nec cœlestis regni voluptates sentiunt, nec pœnis ullis torquentur.* In nonnullis etiam latinis editionibus, ut in Parisiensi an. 1609. additum est in margine, *Parvuli nulla pœna sensus mulctantur.* Sed primum animadvertendum est Nazianzeni verba etiam eos premere, qui censent pueros pœnam damni sentire. Deinde hæc scripta esse ante exorta dogmata Pelagiana; postea vero medium locum inter gloriam & supplicium à Patribus, & Conciliis fuisse explosum, atque exsibilatum. Scholia autem, atque interpretationes non sunt eadem cum textu æstimatione probanda. Quid vero de Divo Thoma Aquinate? Is quidem communem Scholasticorum sui Ævi sententiam tutatus est; sed ut erat Augustini studiosissimus, hujus sparsit ubique semina. In 4. sent. dist. 46. q. 2. docet, *Peccato originali non tantum deberi carentiam visio-*

visionis pro pœna, sed etiam subjecti annihilationem : ex quo probat Godoy celebris & peracutus Thomista disp. 38. de peccat. §. 3. originali peccato obnoxios etiam pœnâ sensus fuisse ex rigore mulctandos. Subjecti enim annihilatio est pœna omnium gravissima, & ideo pœna sensus est vera pœna, quia ad subjecti annihilationem quodammodo tendit. Plura sunt, quæ idem evincunt, ab eodem Auctore ex D. Thoma deprompta Sylvius in 1. 2. q. 86. num. 6. ait, Beatum Thomam variis quidem in locis loqui juxta sententiam suo tempore communem. Si tamen suam Summam Theologicam absolvisset, non deest ratio existimandi eum in partem alteram fuisse declinaturum, quia lib. 111. contra Gentes cap. 156. habet pro absurdo, quod sint aliqui homines, qui nec beatitudinem consequantur, nec pœnam à Deo patiantur, quod juxta Scripturam Matthæi 25. omnibus in Divino judicio existentibus dicetur, *Venite, possidete paratum vobis regnum,* vel, *discedite in ignem æternum.* Multo magis ad nos accessisset, si postremum contra Julianum opus datum ei esset perlegere, ubi sententia nostra traditur expressissime, lib. 1. n. 48. lib. 3. n. 200. &c. Dictum supra, quod in Epistolam ad Ephes. lect. 1. scribit ob originale peccatum nasci unumquemque pœnæ, & gehennæ addictum. Verba Beati Thomæ sunt: *Hoc est quod dicit, Eramus natura, id est per originem naturæ, non quidem naturæ, ut natura est, quia sic bona est, & à Deo; sed naturæ ut vitiata est, Filii iræ id est vindictæ, pœnæ, & gehennæ: & hoc sicut & cæteri, id est Gentiles.* Hæc pauca pro mea erga D. Thomam observantia satis sit innuisse. De D. Bonaventura, omissa responsione Vanroy Tom. 1. pag. 288. tantum commemorabo Apostolicam ad Rom. XIV. 5. hortationem, *Unusquisque in suo sensu abundet,* quæ nec Ovenum fugit dicere solitum,

His ego censuerim vetus hoc debere reponi,
Illa tibi placeant dum magis ista mihi.

Id vero non assero facta comparatione inter eximium Ecclesiæ Doctorem, nosque miserrimos in summa ignorantia versantes: sed propositis mihi Augustini, ac Bonaventuræ doctrinis hac in parte pugnantibus, in utrumque obsequentissimus illius placita debito filii officio complector; hujus sapientiam condignis laudibus prosequor. Atque hoc idem, ubicunque Divi alicujus oppositam sententiam non sequor, aut verba absque interpretatione prætermitto, me profiteor sensu animoque tenere.

9. Solvitur Objectio 6.

Sexto objiciunt argumenta quædam à ratione petita. Ac primum : Pœna sensibilis non est originali peccato proportionata : non ergo hac pœna mulctantur pueri è vita migrantes absque baptismate. Probant antecedens I. quoniam peccatum originale non contrahitur per actum propriæ voluntatis : ergo nec illi respondet mulcta, ac supplicium proprii sensus. II. Peccatum illud est vitium naturæ, non personæ, igitur ejus causâ persona plecti non debet. III. Pœna sensibilis debetur conversioni ad bonum commutabile; quæ non est in pueruli. IV. Ob pravam inclinationem & pronitatem ad malum, quæ ratione concupiscentiæ posset sensui puerorum hærere, nemo damnari potest, nisi illius motibus obsecundet. V. Nec quispiam reprehendi potest in eo, quod nequit vitare. VI. Etiam Augustinus lib. de duabus Animabus cap. 11. affirmat illud impio imputandum esse, *unde illi liberum fuerat abstinere.* VII. Nulla ob originale peccatum injungitur pœnitentia: non ergo ei debetur mulcta, qua animadvertitur in adultos ob actualia.

Hæc omnia placuit simul congerere, quoniam facillimæ sunt solutionis, scitumque Augustinianum quatere non valent, magisque corroborant. Itaque nego antecedens. Ac priorem probationem primum in adversarios retorqueo : Parvuli non contrahunt noxam originalem actu propriæ voluntatis, & nihilominus eorum voluntas à summo bono, quod appetit, ac tristitia cum pœna divellitur: Ergo licet non deliquerint proprio sensu, juste poterit illorum sensus flammarum cruciamenta experiri. Deinde nego consequentiam; nam cuicunque peccato mortali, sive origine contrahatur, sive propria voluntate, cum displiceat Deo summo bono, debetur, si Deus velit, omnis pœna, etiam *infinite acerba si dari posset,* inquit S. Thomas in 2. dist. 42. q. 1. art. 5. ad 2. Præterea peccatum quod in Adam fuit actuale, in posteris originale est : ideoque omnis pœna, quæ debetur peccato actuali primi hominis, infligi potest peccato originali cæterorum. Insuper Doctores, qui adversum nos hæc objectant, putant originale peccatum esse proprium omnibus, quia omnium voluntates censebantur in Adam. Si id sufficit, ut pueri voluntate propria pec-

caverint, cur non sufficit ut in proprio sensu tormenta percipiant? Rursus, damnari potest exclusione regni anima quæ non continebatur in anima Adæ: ergo plecti potest supplicio ignis corpus, quod præexistebat in Adæ corpore.

Secundum ita diluitur. Primo retorquetur in Adversarios. Quod originale peccatum sit vitium naturæ, non personæ non evincit, quin hæc persona sit peccatrix, debeatque damnari ad tartara: Ergo nec efficit, ut hæc persona gehennæ cruciamentum non sentiat. Deinde distinguo ant. Originaria culpa naturæ vitium est, non personæ, id est, inducta voluntate protoparentis, qui naturam communem vitiavit, concedo: propagata per voluntatem Adæ, ita ut vere ac proprie non sit culpa omnium posterorum, nego antecedens.

Est tertium ejusdem similaginis. Principio in Auctores evibratur. Tametsi parvuli non sunt actu voluntatis suæ aversi à bono incommutabili, afficiuntur pœna damni: Ergo etsi conversi non fuerunt ad commutabile bonum, plecti poterunt pœnâ sensus. Deinde distinguitur ant. In parvulis non est conversio ad bonum mutabile, actualis per determinationem arbitrii sui singularem, concedo: habitualis per concupiscentiam inseminatam origine, nego. Et quoniam in idem recidit quod sequitur quarto loco, similiter retorquetur: Ob concupiscentiam, cui inest habitualis aversio à Deo, parvulus non baptizatus plectitur pœna damni: ergo ob pronitatem cui inest habitualis propensio ad illicita, mulctari poterit pœnâ sensus. Deinde distinguo propositionem: inclinatio mala non castigatur nisi accedente voluntatis consensu, ad Tribunal Magistratus, qui curat duntaxat externam civium politiam, concedo: ad Tribunal Dei, qui scrutatur renes & corda, subdistinguo: si pravæ inclinationi adhæreat reatus & macula peccati, ut adhæret concupiscentiæ non baptizatorum, & habituali peccato nondum remisso, nego: si concupiscentia, ablata interclusione, quæ separabat à Deo, soluta sit à reatu, ut est in baptizatis, atque in adultis, quibus peccatum habituale dimissum est, concedo. Vide quæ scripsimus ad propositionem 3. quinti Capitis.

Quod proxime sequitur, recidit in caput adversariorum. Parvuli posita Adæ prævaricatione vitare nequeunt reatum originarium, & nihilo secius illius causâ condemnabuntur. At qui potest damnari, potest etiam vituperari ac reprehendi. Ergo parvuli reprehendi possunt ob prævaricationem Adæ, quam evitare non potuerunt. Præterea distinguo antecedens: Non potest quis vituperari, ac reprehendi ob originale peccatum, tanquam malus arbitrii electione, concedo: tanquam malus nativitate, & vitiatâ naturæ origine, nego. Si enim hoc pacto nequit filius Adæ objurgari; quomodo est naturâ filius iræ, filius vindictæ? Cur audient infantes, qui sine regenerationis Sacramento extremam diem obierunt, Judicem sic eos alloquentem: *Ite in ignem æternum?* Etiamsi flammarum tormenta vitarent, an non ignominosum est, Imaginem Dei in exilium propelli, subire tenebras exteriores, ac degere sub dæmonis potestate? Num probrum, ac ignominia non est, furcæ alligari, damnari ad triremes, etiamsi cervicem non frangat carnifex, nec remigare opus sit, vitamque arreptitio pane miserrimam agere? Compellabimus, si hoc verum est, Adversarium nostrum iisdem verbis, quibus Augustinus alloquitur, serm. 14. de verbis Apostoli, hominem Pelagianum, *Videris tibi misericors, quia non aufers ei vitam, damnas tamen quem separas à regno cælorum. Damnas, non eum percutis, sed in exilium mittis.* Quod ex libro Augustini de duabus animabus addebatur, eidem à Juliano fuit objectum: sed respondit S. P. in primo Operis Imperf. num. 48. se ibidem definisse peccatum actuale, non illud quod peccatum est, & simul pœna peccati: idque necessarium est Catholicos profiteri; alioquin originale, quod infantes ante usum libertatis contrahunt, non posset reputari peccatum. Atque istud contendunt Pelagiani hac eadem fallaci argumentatione ducti, quod nemo potest damnari ob id, à quo liberum non est abstinere.

Postremum argumentum potest similiter retorqueri. Enimvero mors, & vitæ hujus calamitates, exilium, & concepta illinc amaritudo, sunt in pœnam originalis peccati. Falsum ergo est filios Adæ ejusdem peccati pœnitentiam non agere. Ad hæc Cathecumenus priusquam baptismate abluatur, monendus est, se inimicum esse Dei, ac sub dæmonis potestate captivum: quod audiens, inquit Norisius, dolore corripitur. Parvuli quoque pœnitentes sunt modo suo, *cum per verba gestantium Diabolo & huic sæculo renunciare monstrantur*, ait Augustinus in 1. de peccat. merit. cap. 19.

Op-

10. Solvitur Objectio 7.

Oppones 7. Parvuli, cum gratia destituti sint, nequeunt pœnam gehennæ patienter sufferre : ergo in cruciatibus in impatientiam prorumpent, ac Deum blasphemabunt. Rursus : quis ignorat hoc Augustinianorum placitum feritatem, ac immanitatem olere? Denique, ut ut sit, hujus sententiæ promulgatio plura inter rudiores scandala parere, & piarum matrum animum perturbare, ac frangere potest.

Resp. ad 1. Nego consequentiam: ex quo enim ob originale peccatum gerant parvuli voluntatem à Deo aversam, non sequitur, ut debeant mox in Dei odium, & blasphemias prorumpere, & eamdem malitiam habeant cum peccatoribus scelestissimis, ac sint à dominante malitia in omne scelus abrepti; ut commentus est Bajus propos. 48. & 49. Urgeri etiam potest istud argumentum de pœna damni: quam si ægre ac moleste ferant ; blasphemabuntne ? Ad alterum dixi nuper, quod si carent pueri peccato, nec in eos misericordes sunt, qui damnant, eosque in exilium mittunt, etsi non percutiant. Si peccatum contraxere, ut fides docet ; exclamandum est, *Quam inscrutabilia judicia Dei*! Vidimus etiam superiori capite, hanc esse veterem Juliani querimoniam. Ad postremum respondere possumus, fortasse si hæc nostra divugaretur assertio, nec rusticos tam audacter cæsuros prægnantes uxores, nec tam frequenter compressas puellas curaturas abortus, nec allaturos conjuges interdum vel intemperantia, vel alia causa filiis nascituris interitum. Tunc enim illacrymantes clamarent: Veh! in sempiternum ignem infantulus dejectus est ! Dignosceretur etiam facilius originariæ culpæ demeritum, atque ex illa, quam acerbum ferumque sit actualium criminum supplicium. Verum quandoque non expedit omnia dicere, nec in aures omnium, nec coram omnibus.

11. Adducitur Objectio 8.

Opp. 8. Quibus ergo deserviet terra illa nova, quæ futura prædicitur Apocalypseos primo ac vigesimo „ *Et vidi cœlum novum & terram novam?* Quibus, inquam, nisi parvulis immatura morte peremptis? Hi enim licet aversi à Deo auctore supernaturali, naturalem ordinem servant, ideoque visione quidem Dei privabuntur, at non communicatione cæterorum bonorum.

Respond. 1. cum S. P. Aug. 20. de Civit. Dei cap. 16. futurum novum cœlum, ac novam terram, *ut mundus in melius innovatus apte accomodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.* Quaproter non erit nova illa creaturæ facies pro iis, qui veterem hominem non exuerunt. Cum soleat propterea prophetica locutio propriis verbis metaphoras admiscere, eo sensu dictum est *cælum novum ac terram novam*, quomodo nova creatura, novum figmentum, novus homo, atque ipsomet loco nova Jerusalem. Illud vero, quod de aversione à Deo dictum est, ex præcedentibus abunde revincitur, cum in obnoxiis originario peccato sit virium omnium inordinatio ; imago Dei subjecta dæmoni, tota, inquit Augustinus, natura turbata. Rursus nec peccatum actuale naturalia prorsus tollit, cui tamen respondet gehennæ supplicium. Ac tandem, cum naturalia bona sint medium, ipse autem Deus finis ultimus creaturæ rationalis, atque ut D. Thomas docet 1. 2. q. 71. art. 6. ad 3. aversio à fine omnes alias inordinationes secum afferat, fieri non potest, ut qui avertitur à Deo, in recto ordine erga res creatas sese contineat.

12. Adducuntur reliquæ Objectiones.

Tandem sunt aliqua argumenta pro illis pueris, quos optarent parentes ad baptismum perducere, sed in utero matrum præfocantur, vel statim ac nati sunt moriuntur priusquam sacro lavacro abluantur. Quos diximus Gersonem cum aliis perpaucis cœlestis patriæ civibus accensere. Pro qua opinione hæc possent proferri. Primum, *voluntas*, ut fert commune proloquium, *reputatur pro facto*, & aliud, *Ad impossibile nemo tenetur.* Insuper : In pueris ante usum rationis locum habet baptismus sanguinis, cum inter martyres habeamus omnes infantes, quos Herodes Bethlemi interemit : ita potest illis prodesse baptismus flamminis, scilicet votum, ac desiderium parentum. Item fides Elisabeth promeruit, ut Joannes Baptista sanctificaretur in utero. Præterea liberi Judæorum ante diem octavam sine circumcisione morientes haudquaquam Divina lege damnabantur; ideoque privatio sola sacramenti in necessitate non ducit ad perditionem. Tandem effectus sacramenti *impletur invisibiliter*, *cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit*, ait Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 21. Ambros. in Orat. de obitu Valentiniani, Innoc. III. in cap. *Aposto-*

Apostolicam, & Divus Bernardus epistola 77.

Jam diximus supra hanc Gersonis opinionem falsam esse, & fere ab omnibus refutari, quoniam & Evangelium Christi, & Concilia, & Patres non renatos baptismo excludunt à regno Dei. Nec votum parentum potest infantibus opitulari, quoniam spiritus ubi vult spirat, nec beneficia liberrimæ Dei voluntatis pendent ab hominum desiderio: sacramentis autem sunt vi solius Divinæ institutionis conjuncta. Eam ob rem Augustinus jure negat connumerandos inter filios Dei pueros decedentes sine regenerationis sacramento, etiamsi moriantur, paratis ministris, ac parentibus festinantibus, eoquod non sint de numero prædestinatorum, quos secundum propositum elegit Deus ante mundi constitutionem. Sed de his alibi. Nunc ad argumenta, quæ adversus hactenus dicta de parvulorum damnatione militant, ex| ordine respondendum est. Ac prima ratio, uti excusat parentes qui vellent filios renasci, ita non prodest pueris qui voluntatem propriam non habent. Neque hi damnantur, quod non accesserint suomet neglectu ad baptismum, quod exequi non potuerunt, sed quoniam traxerunt ex Adam iniquitatem. Altera eliditur, quoniam in martyrio in se recipiunt infantes stigmagta Salvatoris & sanguinem suum ad confirmandam fidem effudunt, ideoque merito, ut suos recipit Ecclesia fidelium. Voluntas autem parientium non est voluntas natorum. *Redimens enim terram Salvator per crucem & in latere vulneratus sanguinem & aquam emisit, ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alii vero tempore persecutionis propriis sanguinibus baptizentur*, inquit Catechesi 111. Joannes Jerosolymitanus. Retorquetur & illa argutatiuncula hoc pacto: Martyrium parentum nihil prodest natis, qui martyres non occumbunt: Igitur votum parentum non prodest filiis, qui votum illud minime eliciunt. De Joanne Baptista videtur esse opinio Augustini, fuisse quidem repletum Spiritu Sancto in utero, & sanctificatum in maternis visceribus, ut præconem Christi se gereret; sed nondum exornatum ea sanctitate, quæ vinculum solvit successionis obnoxiæ, id est, repletum per Spiritus Sancti gratiam dono prophetiæ, sed noxa originali adhuc obstrictum, priusquam circumcideretur octavo die. Quod Augustinus non solum scripsit Epist. 57. nunc 187. ad Dardanum, sed etiam lib. 4. Operis imperfecti contra Julianum num. 133. De qua sententia perlegendæ sunt Norisianæ Vindiciæ cap. 5. §. XI Responderi tamen potest, quod de Præcursoris exultatione & prophetandi munere docet in eadem Epistola S. Doctor, privilegia Joannis *habenda esse in miraculis Divinæ potentiæ, non trahenda ad humanæ exemplar naturæ, & de illo mirabiliter prædicari, quod in aliis non invenitur.*

Memorata ad Dardanum Epistola cap. 10. num. 33. singulare suppeditat argumentum, quo non solum evincitur adversus Gersonem vota prægnantium matrum non præstare salutem pueris mortuis in utero ipsarum, sed etiam adversus recentiores quosdam irritum esse baptismum eis collatum priusquam illinc egrediantur. *Quod si quisquam dicit jam esse natum hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, testimoniumque adhibet ex Evangelio, quia dictum est ad Joseph de prægnante Virgine Domini Matre, Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est: nunquid nam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin non erit jam secunda, sed tertia. Dominus autem cum hinc loqueretur, Nisi quis, inquit, renatus fuerit denuo, eam scilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater perperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero: sed illa nativitate non computata quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & spiritu.* Hæc vero, cum tam aperta sint, & duplicem quæstionem dirimant, non erant prætermittenda In veteri lege quemquam sanctificatum sine aliquo sacramento, sive circumcisio fuerit, sive aliud ignotum, negat in eadem Epistola S. Pater. Num itaque pueri ante diem octavum decedentes salutem æternam consequerentur, incertum omnino est; ac nisi eis subventum erat vel parentum sacrificio, vel alio gratiæ instrumento, certissime credimus condemnatos. Imo solam in sacris literis Circumcisionem invenimus, ob quam Deus perpercerit infantibus, ut exemplum commonstrat filii Sephoræ, ac Mpysi, cap. IV. Exodi

13. Ac refutantur.

di verſ. 25. Diximus quippe in primo capite hujus libri, non ſolum in ſignum populi Dei, verum etiam in remedium originalis peccati Circumciſionem fuiſſe inſtitutam. Nihil ergo prohibet, quin pueros omnes non circumciſos, quorum eadem erat cum decedentibus in uteris matrum originalis culpa & naturæ conditio, aſſeramus fuiſſe ſimili, rectiſſimoque judicio damnatos. In quarto denique libro de Baptiſmo cap. 21. docet S. Pater impleri inviſibiliter effectum baptiſmatis, cum exterius ſine contemptu prætermittitur, & valet quod ait Apoſtolus, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, videlicet in adultis ob fidei credulitatem & animi præparationem. Idem docet Innocentius in cap. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato, qui tamen Eccleſiæ diu humiliter miniſtraverat, eique ſe devoviſſet ſuſcipiens regenerationis lavacrum, ubi accepiſſet ſe non renatum. Eadem eſt in Epiſtola 77. doctrina Divi Bernardi. Hujusmodi ergo teſtimoniis nequit comprobari ſalus illorum, qui gratia fidei, ac animi præparatione ſunt deſtituti. Atque hæc dicta ſint de Originaria labe, & de anima non renatorum infantium:

Quæ, quia materiam peccati ex fomite carnis
Conſocianta trahit, necnon ſimul ipſa ſodali
Eſt incentivum peccaminis; implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantis mente ſub una,
Peccandique cremat ſocias cruciatibus æquis.

His itaque verbis ex Prudentii Apotheoſi exſcriptis finem libro tertio decimo conſtituimus.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS QUARTUS,

Qui Pelagianam Hæresim vellicat, & refellit.

I. Introductio ad materiam præsentem.

ORIGINALI peccato humanam obnoxiam esse naturam, atque ignorantiam & difficultatem, quam patimur ab exordio nativitatis, non conditionem instituti hominis, sed pœnam esse damnati negarunt Gratiæ Dei infensissimi hostes, hæretici Pelagiani. Opinantes iccirco peccatum Adæ posteris obfuisse non propagine, sed exemplo, & voluntatem actionemque nostram tam ad declinandum à malo, & faciendum bonum valere, ut Divino non indigeant adjutorio, istud in lege ac doctrina, non in sanctæ dilectionis inspiratione constituerunt; maximumque Redemptoris beneficium, licet speciosо verborum apparatu multipliciter viderentur deprædicare, coarctarunt ad revelationem, exempla, præceptorumque Instituta. At gratiæ Vindex Præsul Sanctissimus Augustinus, quum optime animadverteret neminem posse legem implere per legem, neque per doctrinam, sed per charitatem, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur, in omnibus fere libris contra Pelagium, Cælestium, & Julianum conscriptis, curavit ut simul originalis culpæ propagationem, & gratiæ necessitatem defenderet. Aequum est igitur, ut qui Doctoris præclarissimi sectamur vestigia, ejusque dogmata universa propugnandi suscepimus arduam, amplissimamque provinciam, posteaquam de originali peccato absolvimus disputationem, insectantes hæresim Pelagianorum pro Christi gratia, quæ superabundavit ubi abundavit delictum, nervos atque vires experiamur.

CAPUT I.

De Pelagianæ hæreseos Auctoribus Origene primum, Rufino, ac Theodoro Mopsuesteno.

SUMMARIUM.

1. Unde habeat originem hæresis Pelagina.
2. Quinam eandem primò secuti fuerint.
3. Ponitur & probatur conclusio 1.
4. Et eadem magis declaratur.
5. 6. 7. & 8. Solvuntur objectiones.
9. Ponitur Conclusio 2.
10. 11 12. & 13. Eadem Probatur ac declaratur.
14. 15. 16. & 17. Refutantur variæ Objectiones.
18. Ponitur Propositio 3.

I. Unde habeat originem hæresis Pelagiana.

JOANNES Garnerius cap. 1. dissertationum ad Pelagianam historiam pertinentium scribit videri sibi hujus sectæ primordia referenda ad Paulum Samosatensem; quem negasse veram Christi divinitatem, & asseruisse post Incarnatio-

nationem Deum factum ex profectu virtutis vitam ducendo studiosam, haud obscure colligitur ex Synodo Ariana habita Antiochiæ an. 344. apud Athanasium in libro de Synodis, atque ex ejusdem Athanasii Orat. 4. contra Arianos. At Norisius noster Pelagianæ sectæ auctorem facit Origenem: & hunc quidem de Gratia hæreticam tenuisse sententiam, adversus nonnullos defensores demonstrant alii viri clarissimi, ut Natalis Alexander sæc. 3. dissert. 16. art. 3. Daniel Huetius in Originianis lib. 2. q. 7. §. 12. Honoratus Tournelius q. 3. de Gratia, & qui primus commemorandus erat, Magnus Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem. Plura etiam de hoc argumento Jansenius lib. 6. Hist. Pelag. cap. 13. & sequentibus: ubi tamen à vero exorbitat improbans in Origine indifferentiam arbitrii, & hanc reprehendens, tanquam Pelagianorum Dogmatum scaturiginem.

2. Quinam primò eandem secuti fuerint.

Sequitur Rufinus, à quo errore imbutum Cælestium insignia monumenta demonstrant, Sed an fuerit Aquilejensis ille percelebris, an Syrus vel Palestinus, qui nobis innotuit ex Epist. 66. nunc 81. Hieronymi, inter Eruditos non convenit. Fuisse Aquilejensem tenet Baronius, Pagius, Norisius, & major pars illustrium Scriptorum. Negat Garnerius loco citato cap. 3. & alii perpauci, quibus accessere Auctores observationum Norisian. eruditi Presbyteri Veronenses lib. 1. cap. 2. Dubitare videntur PP. S. Mauri in notis ad cap. 3. libri de Peccato Originali S. Augustini, & ad Commonitorium Mercatoris, nec non in Præfatione Tom x. De Theodoro Mopsuesteno consentiunt Norisius & Garnerius, aliique comuniter. In his ergo, Origine scilicet, Rufino, ac Theodoro hæc prior dissertatio versabitur, nam de Paulo Samosateno solas habemus, quas leviter tetigi conjectuas.

3. Ponitur & Probatur conclusio 1.

Propositio I. Origenes de Divina Gratia pravam tenuit hæreticamque doctrinam.

Evincitur primo clarissimorum Scriptorum testimonio, illorum maxime, qui grassante hæresi Pelagiana floruerunt. 1. S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem designans Pelagianorum Amasium, *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est.* Idem repetit in fine Dialogorum. Orosius in Apologia: *Origenes* (inquit de Pelagianis) *in his vivit:* Et Vincentius Lirinensis Common. cap. 23, testatur, quod Origenes *omnium pene hæreticorum Magister evasit.*

Probatur 2. Origenes scripsit gratiam dari secundum merita nostra, posse unumquemque vivere absque ullo prorsus peccato, nec contrahi à parvulis ob Adæ prævaricationem originale peccatum. Hæc vero sunt Pelagianorum Dogmatum paradoxa. Itaque Origenes Pelagianorum hæresi viam aperuit. Et quidem existimasse gratiam dari secundum merita nostra asseruit ille libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. lib. 3. cap. 1. & 3. Philocal. cap. 20. & in Epist. ad Rom. lib. 7. & 9. Quæ loca congessit & illustravit Huetius. *Est* (inquit Origines) *alia Spiritus Sancti gratia, quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, impetrata autem à Patre secundum merita eorum, qui capaces efficiuntur.* Et *unumquoque vas vel ad honorem, vel ad contumeliam formatur, prout ex seipso causas, & occasiones præstitit Conditori.* Initium quoque fidei esse ex nobis, & profectum à Deo apertissime asseruit. Docuit insuper, ut cap. 1. demonstrat Norisius, Angelos diversa officia promeruisse ex suis meritis ac studiis: Joannem Baptistam in utero sanctificatum ob merita comparata, priusquam ipsius anima devolveretur ad corpus: eodemque pacto Christum Dominum promeruisse unionem hypostaticam, quæ est omnium gratiarum maxima. Præluit ergo Origenes primo errori Pelagianorum, affirmavitque gratiam dari secundum merita nostra.

4. Eadem magis declaratur.

Docuit præterea Origenes alterum Pelagiani dogmatis paradoxum, posse hominem vitare qualecunque peccatum, quod est famosa hæreticorum ἀναμαρτησία, id est, impeccantia. Id liquet primo auctoritate Hieronymi in Procœmio lib. IV. Commentar. in Hierem. ubi ait: *Hæresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας, ἢ ἀναμαρτησίας, impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in discipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit revivisscere.* Idem habet in Procœmio Dialogorum adversus Pelagianos. Deinde: Origenes Tom. 12. in Matth. exponens illud Christi ad Petrum, *Scandalum mihi est*, ait eum, qui in charitate perfectionem adeptus est, scandalo obnoxium non esse, & Tom. 15. in idem Evangelium scribit pueros, quibus Jesus manus imposuit, *jam amplius percellà non posse peccati illecebris:* quæ vix ullam admittere excusationem fatetur Huetius num. XVIII. q. 7. lib. 2. Origenianor. quamquam plura illic studeat emollire

Num Originale peccatum reapse negaverit, perdifficile est definire. Huetius qui loco citato n. 24. Origenem vindicat à querelis Jansenii, fatetur in Commentariis in Epistolam ad Romanos nonnulla occurrere Orthodoxæ fidei parum con-

consentanea: atque in Catena Græcorum Patrum in Psalm. 48. v. 6. referri testimonium Origenis, quod illum apertissime oppugnat. Sed inquit Commentarios interpolatos fuisse à Rufino, Catenarum vero fidem subleſtam esse atque incertam. Dixerim Origenem in tanta librorum copia non semper sibi constare, & aliquando peccatum originale saltem consequenter negavisse. Enimvero, hujus vitæ miserias non in Adæ peccatum, sed in habituale in superiori vita commissum referendas esse propugnavit, & Esau reprobatum, variisque calamitatibus affectum ob scelera ante conceptionem patrata, ideoque cohærenter ad falsam ejus doctrinam, ea scilicet quæ à nobis gesta fuerunt, antequam corpora subiremus, causam Deo præbuisse ut spiritus terrenis hisce molibus complicaret.

5. Objectio 1. Solvitur

Opp. 1. Pelagius adeo Origenem abominatus est, ut in Synodo Diospolitana, cum de æternitate Inferni ageretur, dixerit, *Et si quis aliter credit, Origenista est.* Nullum præterea pro se Origenianum testimonium protulit, licet sæpenumero Lactantii, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi aliorumque sententias recitaverit. Non ergo ex Origenis libris Dogmatata Pelagiana eruperunt. = Resp. Versute & callide animadvertisse Pelagium, ne Origenianæ scripta produceret: neque enim ipsum latebat, quam male apud Latinos Patres Adamantius audiret. Servarunt nihilosecius inter se Origenistæ ac Pelagiani arctissimam amicitiam: ut constat de Rufino, Theodoro Mopsuesteno, aliisque Pelagianis, qui sedente ad clavum Ecclesiæ Vigilio conati sunt Origenem, quamquam irrita molitione, defendere.

6. Reſicicitur 2. Objectio.

Opp. 2. Pamphilus in Apologia Origenem ab omni errori purgavit. Illam vero Apologiam Pamphili esse, non alterius Scriptoris tradunt Eusebius lib. VI. H. Ec. cap. 33. Socrates lib. 4. cap. 27. & Nicephoras Callistus lib. X. cap. 14. = Resp. 1. cum Huetio etiam Pamphilum in eadem cum Origene causa versari, si nos Rufini interpretamenta non fallunt. Defendit enim Origenianam Animorum præexistentiam, & anteactam vitam, sine qua asserit Deum fore injustum, si insontes animas in debilia ac mortalia corpora truderet. *Vides*, inquit doctissimus Abrincensis Episcopus, *labefactatum ac peremptum* (à Pamphilo) *gratiæ cœlestis auxilium.* Deinde respondetur prædictam Apologiam universam fuisse ab Eusebio elucubratam, quamquam priorem librum ipsemet Eusebius sub nomine Pamphili ediderit. Ita S. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. cap. 8. & in Apologia adversus Rufinum: quo in loco illud etiam animadvertit in primo Apologiæ Pamphili libro aperte Arianam hæresim contineri, quamquam Rufinus latinam reddendo sensum passim immutavit. Absit vero, ut Pamphilum Martyrem Christi gloriosissimum Arianis connumeremus.

7. Reprobatur Objectio 3.

Opp. 3. Origenes hom. 8. in Levit. dissertissime agnoscit originale peccatum. = Resp. 1. à Criticis hujusmodi homilias vel Cyrillo Alexandrino, vel incerto auctori passim attribui. = Resp. 2. existimasse Origenem non delictum Adæ, sed *præterita in cœlis*, & *antiqua delicta solvi in baptismo*, ut in fine Dialogorum scribit Hieronymus. Respondetur 3. juxta Originem animas delabi ad corpus inquinatum, & propagatum ex Adam ob anteacta flagitia, ideoque si revera originariam noxam agnovit, fuit hæc præcedenti merito comparata, quemadmodum debita meritis gratia posthac collata: unde nihil ad purgandum Origenem valent ea loca, in quibus videtur asserere omnes filios Adæ in peccato fuisse conceptos.

8. Objectio 4. Refutatur.

Opp. ultimo; Origenes cap. 8. lib. 2. Periarchon, hom. 4. in Psalmum 36. aliisque in locis divinarum gratiarum munera prædicat. = Resp. Gratiam, quam Origenes quandoque commemorat esse præcedentibus meritis erogatam: distinguit enim duplicem fidem; humanam, quam propriis viribus nulla gratia suffultis habere possumus, & divinam, quæ nobis per gratiam infunditur. Item virtutum incœptionem, illarumque profectum. Ita Tract. 33. in Matth. lib. 4. in Epist. ad Romanos, & lib. 3. Periarchon cap. 1. Vide Huetium in Origenianis p. 115. Ex his facile est genuinum sensum Origenis subodorari: gratiæ enim deputat secundam fidem, non primam; & incrementum virtutis, non inceptionem; splendideque ἡμιπελαγιανίζει, *semipelagianizat.*

9. Ponitur Conclusio 2.

Propositio II. Rufinus qui inter Pelagianos cooptatur, est Rufinus Aquilejensis, non Palestinus, vel Syrus.

Probatur 1. Marius Mercator in suo Commonitorio sermonem instituens de hæretico Dogmate, quod Adam & Eva sibi tantum prævaricando nocuerint, alteri penitus nulli, ait: *Hanc ineptam & non minus inimicam rectæ fidei quæstionem Anastasio Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifice Rufinus quondam natione Syrus Romam primus invexit: & ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens per se ferre non ausus Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit,*

pit, eumque ad prædicta apprime imbuit, atque instituit impiam veritatem. Rufinus ergo, quem Mercator appellat Syrum, fuit primus Magister ac deceptor Pelagii. Atqui Magister & deceptor Pelagii fuit Rufinus Aquilejensis, qui Romæ libros Periarchon latinos reddidit, ut scribit S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem; ubi Pelagianam de impeccantia hæresim ait primum à Manichæis derivatam, deinde à Priscillianistis, postremo ab Evagrio Pontico, atque à Rufino Librorum Periarchon interprete. Quod repetit Præfat. in lib. IV. Comment. ad Hierem. Rufinum sub Grunnii nomine indigitans. Igitur Rufinus Aquilejensis inter Pelagianos connumerandus est.

10. Confirmatur. Deinde: Rufinus Aquilejensis de libertate arbitrii male sensit, ita enim declarat in Cap. *Sancta Romana.* Concilium Romanum LXX. Episcoporum. *Rufinus vir Religiosus plurimos Ecclesiastici Operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus est: sed quoniam Beatus Hieronymus in aliquibus eum de libertate arbitrii notavit, illa sentimus, quæ prædictum Beatum Hieronymum sentire cognoscimus.* Nullibi autem legimus Rufinum liberum arbitrium negasse: erravit ergo duntaxat illius naturalem facultatem nimis cum Origine suo, Pelagianisque extollendo.

11. Probatur ulterius. Tertio: Recentiores Critici, ut Rufinum Aquilejensem vindicent à Pelagianismo, cum negare non possint aliquem hujus nominis hanc hæresim præformasse, damnant Rufinum alterum Syrum, aut Palestinum, qui nobis innotuit ex Epistola 66. Hieronymiana. At quo jure sanctissimus Hieronymi discipulus hæresis insimulatur? Compertum est hunc Rufinum ex Bethlemitico specu missum fuisse ad Venerium & Anastasium adversus Origenistas. Quis ergo dixerit talem virum, à Hieronymo eruditum, & in Italiam fidei causâ profectum, disseminasse hæreses, & partibus Origenis studuisse? Hunc Hieronymi discipulum (inquiunt ingenui, & eruditi Theologi Veronenses) tantæ hæresis doctorem non audemus suspicari. At quomodo probant hunc à Syro fuisse diversum, cum viri docti, ipsi quoque PP. Benedictini, disputent num Præcursor Pelagii sit Rufinus ille Aquilejensis, an alter qui circa annum 399. in Occidentem venit missus à Hieronymo Mediolanum ad Venerium? Qui vero ex his tres nobis Rufinos venditant, nulla vel probabili ratione ducuntur. Addo Cælestium in Carthaginensi Conventu pro suo Dogmate Rufinum, tanquam omnibus notum, produxisse. Syrum vero illum ab Aquilejensi diversum & famâ aut scriptis percelebrem nondum comperimus.

12. Confirmatur. Rursus: In Præf. ad IV. librum Comment. super Hierem. S. Hieronymus de Hæresi Pelagiana loquens, quam in Grunnio nuper asserit jugulatam, *Cui respondere*, inquit, *diu tacens, & dolorem silentio devorans crebra fratrum expostulatione compulsus sum, nec tamen hucusque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari.* Quo sane in loco non solum demonstrat sub Grunnii cortice latere illius hæresis prodromum, sed etiam intermissam à se Expositionem Hieremiæ, quam per intervalla dictabat, ut serpentem errorem eliminaret. At Grunnium ipsum esse Rufinum Aquilejensem, & libros interea temporis à Hieronymo editos eos esse, quos contra Pelagianos conscripsit, nemo jure negabit. Rufinus ergo Aquilejensis hæresim Pelagianam, saltem quantum spectat ad Dogma impassibilitatis, & impeccantiæ, invexit in Occidentem, eâque imbuit Cælestium. Neque hoc solo titulo Grunnius dicitur à Hieronymo Pelagianorum præcursor, quod Origenem Latio donaverit; etenim ipse Hieronymus plura Origenis scripta fecit Latina, eique hoc idem in I. Invectivarum libro ipse Rufinus objectat. Atque insuper non omnia Origeniana Dogmata Rufino attribuuntur, sed ea maxime, quibus Pelagianismus innititur.

13. Ac declaratur. Præterea: Rufinus in interpretatione librorum Origenis, quos pro suo lubitu immutavit, ut demonstrat in præclarissimis dissertationibus Origenianis Daniel Huetius, quæ Pelagiana erant, fideliter, & præter morem suum retulit, ut constat ex cap. 20. Philocaliæ, ubi peculiare auxilium gratiæ declaratur esse solam liberæ voluntatis facultatem. Et, quod caput est, verba quæ redolent Pelagianismum in I. libro Periarchon cap. 3. & quibus probant Natalis. Alex. & Jansenius Adamantium præluisse Pelagianis, in nullo Græco exemplari comparent: sed, ut Huetius ait libro 2. Orig. q. 7. n. X. & XIV. *de sua Pelagianismi officina largitus est Rufinus.* Falsum est ergo sententiam de Pelagianismo Rufini esse popularem credulitatem, ut illam appellitat in Appendice Augustiniana pag. 44. Phereponus: ac falsum, quod scribunt Veronenses, nullum adhuc inventum esse argumentum præter nominis Rufini similitudinem, ac suspicionem, in quam Aquilejensis incurrit propter scriptorum Origenis translationem. Quin,

ut mox ostendam, leviſſimæ ſunt conjecturæ Garnerii, quibus permoti Norisii Concivis ſui doctrinam maluerunt impugnare, quam defendere, tametſi illam pene certam ſcripſerint Pagius, Dupinius, Gerberonius, Natalis Alexander, & Huetius, qui Rufinum Aquilejenſem omni procul dubio adnumerant Pelagianis.

14. Objectio 1. Opponit 1. Garnerius: De Rufino magiſtro Cæleſtii Mercator loquitur, quaſi de homine minus noto: *Rufinus quidam*, inquit: Aquilejenſem autem totus orbis noverat ob eruditionis famam, opinionem ſanctitatis, & Melaniæ conſortium. II. Aquilejenſis venit Romam anno 13. Siricii, & Syrus ſub Anaſtaſio hæreſim Romam invexit. III. Rufinus, qui imbuit Cæleſtium, Romæ manſit apud Pammachium; Aquilejenſis vero nunquam virum cum Hieronymo conjunctiſſimum adjiſſet. IV. Rufinus Cæleſtii magiſter Romæ fuit, cum doceret non dari peccati traducem; ut liquet ex libro Auguſtini de peccato originali cap. 3. V. Rufinus Pelagianus appellatur à Mercatore natione Syrus. VI. Cæleſtius innuere videtur apud Auguſtinum loco citato, Rufinum tempore judicii Carthaginenſis adhuc fuiſſe ſuperſtitem, Sanctum illum appellando, non *beatæ recordationis*. VII. Paulinus Diaconus nihil excipit adverſus Rufinum à Cæleſtio appellatum; poterat autem plura adverſus Aquilejenſem propter hæreſes damnatum, & in damnatione extinctum.

15. Solvitur Reſp. ad 1. Mercatorem non ſcripſiſſe *Rufinus quidam*, ſed *Rufinus quondam*, atque ita etiam habetur in edit. Auguſtiniana PP. Bened. 2. p. Append. Tom. x. Tom. 27. Biblioth. Patrum pag. 129. in Appendice Phereponi, & in Op. Mercatoris. Ad 2. dico, Rufinum utique veniſſe Romam regnante Siricio, & anno 396. ſed conſtat ex Epiſtola Hieronymi diu illic moratum, & forte toto ferme biennio: unde poſſumus aſſerere Romæ conſtitiſſe initio Pontificatus Anaſtaſii, qui creatus eſt anno 398. pridie idus Martii, ut ſcribunt Anaſtaſius Biblioth. & Marcellinus Comes in Chronico. Deinde ſi Rufinus ante Pontificatum Anaſtaſii Roma diſceſſerat; ſub Siricio hæreſim diſſeminaverat, & invexerat, quam primum, operam navante Marcella nobiliſſima fœmina, Anaſtaſius compreſſit. Quare hæreſim negantem originale peccatum ſub Anaſtaſio exortam affirmavit Mercator, atque Hieronymus in Epiſt. VIII. ad Demetriadem. Ad 3. reſpondeo Rufinum fuiſſe hoſpitio exceptum à Pammachio, primum, quia ipſius domus commune erat Monachorum hoſpitium: deinde quia Rufinus maximâ erat amicitia conjunctus cum Paulino Pammachii amiciſſimo: rurſus quia in Peregrinatione Syriaca complures Pammachii amicos Rufinus noverat: ac tandem falſum eſt Rufinum inter ac Hieronymum ante annum 399. vulgatamque Interpretationem Origenis, fuiſſe amicitiæ vinculum diſſolutum. Ad 4. dico Cæleſtium in Synodo Carthaginenſi non dixiſſe, ſe à Rufino Romæ edoctum quod non ſit tradux peccati, ſed à Rufino, *qui fuit Romæ*: quamquam & Romæ Cæleſtium fuiſſe Rufini diſcipulum anno 397. mihi ſit perſuaſum. Ad 5. miſsâ reſponſione Rigbeerii in notis ad Mercatorem Tom. 27. Bibl. PP. pag. 147. ſcribentis Rufinum fuiſſe natione Syrum & Aquilejenſem titulo Sacerdotii, quomodo S. Felicem patria Italum, Presbyterio Nolanum, & genere Syrum teſtatur eadem ætate S. Paulinus Natal. 4. de S. Felice: miſsâ, inquam, ea reſponſione, dico cum Norisio ac Pagio Rufinum commoratum in Syria per annos viginti ſeptem; ideoque appellatum à Mario Mercatore Syrum, ut Fauſtus à Poſſeſſore dicitur natione Gallus: revera tamen in Britannia natum, & Rufinum in pago diœceſis Aquilejenſis, ſive Concordia fuerit, ſive ignotum aliud oppitulum. Ad 6. dico Rufinum objiſſe anno 411. & judicium Carthaginenſe habitum an. 412. verno tempore: unde fieri potuit, ut nondum nuntium obitus Rufini pervenerit ad Africanos. Ad ultimum: teſtatur Mercator Rufinum, ut erat argutus, ſe quidem ab hæreſis invidia ſolerter muniiſſe: unde Paulinus Diaconus illum tanquam hæreticum non excepit; imo nec in damnatione Origenis facta anno 401. ab Anaſtaſio expreſſe Rufinus nominatus eſt. Quare Pontifici gratias egit, quod calumniantibus ſe non accomodaſſet auditum, & propriæ exiſtimationi, quam ſibi apud plurimos comparaverat, inſigni ſimulatione conſuluit. Eapropter falſum eſt Aquilejenſem ab omnibus habitum tanquam hæreticum: neque enim S. Paulinus cum homine anathemate damnato tam arctam coluiſſet neceſſitudinem. Sed & Paulinus Diaconus, ubi Cæleſtius Rufinum Presbyterum laudavit, reſpondit duntaxat, *Eſtne alius?* Quæ verba commonſtrant inſtitutum ſermonem de Rufino omnibus noto: quem jure Paulinus nec reprehendit ob nominis celebritatem, nec pluris fecit ob Cæleſtii conſuetudinem.

Opp.

16. Objectio ulterior.

Opp. ultimo cum Veronenſibus Theologis. Valerent hæc aliquid, ſi aliunde exploratum eſſet, Rufinum Aquilejenſem fuiſſe Magiſtrum Cæleſtii. At obſtat teſtimonium Mercatoris, qui ait hæreſim ſub Anaſtaſio *invectam*, non *invaluiſſe*. Argumentum vero adverſus Rufinum Italum nullum eſt præter ſimilitudinem nominis. Ac inprimis damnari non debet, quod græca Origenis volumina latine reddiderit, niſi convincatur errores ibi contentos propugnaſſe. Deinde ex Apologia & expoſitione Symboli ſatis exploratum eſt, quantum ab erroribus Origenianis diſtaret. Inſuper S. Hieronymus illum vocavit Præcurſorem Pelagii, quod non tam Origenis interpretem, quam defenſorem exiſtimaret. Poſtremo non apparet Rufinum fuiſſe aliquando hæreſis convictum aut damnatum.

17. Refutatur.

Reſpondetur compertum quidem eſſe Magiſtrum Pelagii eſſe Rufinum Aquilejenſem, non ex nominis ſimilitudine, fatemur enim alios fuiſſe Rufinos, diſcipulum nempe Hieronymi, & alium quoque Romanum; ſed Aquilejenſis ille eſt, qui ἀναμαρτησίας opinionem evulgavit, qui liberum arbitrium extulit, qui interpretando Origeniana, omnia emollire ſtuduit, præter Pelagianiſmum, & hunc ubi non erat intruſit. Ita enim demonſtrat Huetius tam evidenti argumento, ut ſatis appareat æquitas Hieronymi, & mala Rufini fides. De Commonitorio Mercatoris dictum ſatis. Rufinus inimicam fidei quæſtionem invexit ſub Anaſtaſio jugulatam. Nam & Origenis translationem exornavit ſedente Siricio, & tamen ſcribit Hieronymus ad Virginem Demetriadem fidem Romæ Origenianis erroribus labefactatam ſub Anaſtaſio. Nec damnatur Rufinus, quia Origenis volumina latinitate donavit, hoc enim fecit & ipſe Hieronymus; ſed quia more ſuo quæ Pelagiana erant non caſtigavit, ſed auxit, iisque imbuit Cæleſtium. Ita non fuit tantum interpres Origenis, ſed & defenſor. Seſe ab omni invidia Apologiis & Epiſtolis præmuniiſſe, innuit non obſcure Mercator. Non damnatum expreſſe, & forte etiam proſcripto per Anaſtaſium Origene reſipuiſſe, ultro ac lubenter concedimus.

18. Ponitur Propoſitio 3.

Propositio III. Theodorus Mopſueſtenus eſt alter Prodromus Pelagianorum.

I. Probatur ex Mario Mercatore, qui in libro Subnotationum de Hæreſi Cæleſtiana ſcribit jam dudum motam apud nonnullos Syrorum, *& præcipue in Cilicia à Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni.* II. Quia ut conſtat ex eodem Mario Mercatore, & Photio in Biblioth. Cod. 177. non ſolum negavit filium Dei veniſſe ad tollendum Originale peccatum, ſed etiam de hoc argumento adverſus S. P. Auguſtinum quinque libros conſcripſit, negando Adam per transgreſſionem mortalem factum. III. Quia Domini comminationem factam Adæ, *Morte morieris*, ita exponit, ut poſt lapſum fraudatus deliciis ærumnoſiſſima converſatione mulctatus ſit, ſed non ob aliam cauſam morti fuerit obnoxius, niſi quia ex terra fuerat compactus: quod molitus eſt demonſtrare ex cap. 3. Gen. v. 19. iisdem plane argumentis, quibus poſtmodum uſus eſt Fauſtus Socinus; quemadmodum poteſt percipere quisquis contulerit fragmenta Theodori edita à Noriſio cap. 9. Hiſt. Pel. cum cavillis Socinianis à me refutatis lib. XII. cap. 13. Poſtremo quia in X. Act. Concilii Chalced. Ibæ Theodori diſcipulo, hæc plusquam Pelagiana Mopſueſteni ſententia fuit objecta: *Non invideo Chriſto; quod factus eſt DEus: quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundum illum.* De Theodori expunctione è ſacris Diptychis legendus Noriſius cap. 5. diſſert. de Synodo V.

CAPUT II.

De Pelagio, ejúsque geſtis, erroribus, variisque ſtatibus hæreſeos, quæ ab eo dicta eſt Pelagiana.

SUMMARIUM.

1. De Patria Pelagii.
2. De ejus inſtituto.
3. De Scriptis & geſtis illius.
4. De illius erroribus.
5. De gratia, quam pelagius ſubin agnovit.
6. De ſtatibus hæreſis Pelagianæ.

1. De Patria Pelagii.

Quantum ad Pelagii perſonam attinet, me paucis expediam: inquiri enim poteſt de ipſius Patria, profeſſione, moribus, ſcriptis, atque erroribus.

De Patria Pelagii.

Pelagius fuit patria Britannus, sive fuerit Scotus, sive Hybernus, vel Anglus. Etenim S. P. Augustinus Ep. ad Paulinum 106. ait: *Pelagius, quem credimus, ut ab illo distinguatur, qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum.* Prosper in Carmine de ingratis:

Dogma, quod antiqui satiatum felle Draconis
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

Beda libro 1. Hist. Anglorum: *Ab anno incarnationis 394. temporibus Arcadii & Honorii Imp. Pelagius Brito contra auxilium gratiæ venenum suæ perfidiæ longe lateque disperfit.* Idem docet Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem, & in Apologetico Paulus Orosius. Est aliqua nec levis suspicio fuisse Scotum; quia S. Hieronym. in Præf. ad lib. 3. Comment. Hierem. ait de Pelagio: *Habet progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia*: & ad lib. alterum, *Scotorum pultibus prægravatum* appellat. Garnerius tamen dissert. 1. cap. 4. rem incertam arbitratur. Norisius vero cap. 3. id etiam improbat, quoniam auctore Beda cap. 12. memoratæ Historiæ Scoti *sunt gentes à parte Britonum remotæ*; ac Pelagium Britonem omnes appellitant. Fallitur Lambertus Danæus Genevensis, qui ortum asserit in maritima Galliæ regione, quam vocant tractum Armoricanum; nam vivente Pelagio nondum Britannia ea Galliarum pars vocabatur; Britanni autem dicti sunt, qui partes australes à Gallia Celtica dissitas incolebant.

De Pelagii Instituto.

2. De ejus instituto.

Pelagius fuit professione Monachus. Constat ex Commonitorio Mercatoris præc. cap. prop. 1. ex D. August. lib. de hæresibus cap. 88. & de Gestis Pelagii cap. 35. Obiter notandum est. I. Nullis Ecclesiasticis muneribus Pelagium fuisse condecoratum, quoniam à Zosimo Papa in Epistola ad Episcopos Afros dicitur Laicus: ideoque errant Balæus & Prateolus, qui putant fuisse Episcopum, aut abbatem amplissimi cœnobii Bannochorensis. II. Facile ego subscripserim Garnerio, non fuisse Pelagium Cœnobitam, nec Eremi cultorem, sed ex illo genere Monachorum, qui veste ad pietatem composita domi vivebant, & disciplinis sedulam navabant operam, quales fuerunt Pammachius & Paulinus. Quamquam enim Augustinus aliquando Pelagium sanctum, bonum, ac prædicandum virum appellat; Orosius cap. 27. Apologetici asserit enutritum epulis, balneis & conviviis deditum, ut pinguedinem etiam in fronte prætulerit. Quod Hieronymus in primo adversus Pelagianos dialogo satis lepide carpit ita illorum signiferum compellans: *Catoniana nobis inflaris superbia, & Milonis humeris intumescis.* Atque his accedit, S. P. Augustinum memorato cap. 35. de Gestis Pelagii num. 61. scribere, quod Pelagiana hæresis fuerit invecta *à quibusdam veluti Monachis*; ab his scilicet, qui Monachorum instar pallio incedebant, quosque Græci Philosophos appellarunt. III. Decipitur Vossius, qui lib. 1. H. Pelag. cap. 3 ait Pelagii lapsum deploratum à Jo. Chrysostomo in Epistola ad Olympiadem scripta anno 405. ex oppido Armeniæ Arabisso. Hoc enim tempore Pelagius adhuc sanctimoniæ laude commendabatur: imo cum Cælestius anno 412. in Episcopali Carthaginensi conventu excommunicationem promeruisset, nondum Augustinus scripserat de peccatorum meritis; in cujus operis lib. 3. cap. 1. ait, existimari Pelagium Sanctum, & non parvo profectu Christianum. Si ergo Pelagius adhuc erat anno 412. sanctimoniæ ac religionis fama percelebris: quomodo Chrysostomus an. 405. poterat in remotissima regione exulans casum hominis deplorare? De alio itaque Monacho Pelagii nomine nuncupato loquitur S. Chrysostomus. Econtra Epistola Isidori Peluſiotæ 314. qua vocitat Pelagium *liguritorem, cupediosum, & obsoniorum condimentis maxime addictum*, de Pelagio Britone videtur intelligenda; etsi neque Vossius, neque Petavius id facile concedere videantur. Vixit enim Isidorus post annum 431. ac celebratam Synodum Ephesinam, quam commemorat Ep. 410. lib. 3. Neque aliud Pelagio tribuit, quam illam vivendi rationem superius ab Orosio damnatam in cap. 27. Apologiæ. Isidorus vero & Orosius eadem floruerunt ætate; atque eadem ab his de uno Pelagio narrari haud videtur inverisimile.

De Scriptis, Gestisque Pelagii.

3. De scriptis, & gestis ejus.

Pelagius ergo fertur venisse Romam circa annum 384. & ex urbe discessisse circa 408. vel insequentem. Cum adhuc Romæ consisteret edidit tres libros de Trinitate quorum meminerunt in Catal. de Scriptoribus Ecclesiasticis Hono-

Honorius Augustudunensis, & Gennadius. Videtur in his libris circa processionem Spiritus Sancti à solo Patre consentire Theodoro Mopsuesteno. Dicuntur editi ante adventum Rufini in urbem, ideoque nondum exacto anno 396. Ibidem scripsit commentarios in Epistolas Pauli distributos in libros 13. Vossius quartuordecim numerat. In his tollit prorsus Originale peccatum, asseritque Adæ lapsum transire in posteros duntaxat imitatione. Dedit & Epistolas ad Paulinum, & ad Constantium Episcopos: illam anno 405. ut constat ex cap. 35. libri Augustini de Gratia Christi, in eaque videtur Dei gratiam constituere in sola possibilitate & facultate naturæ: alteram anno ineunte 408. memoratam ab Augustino proximo capite laudati libri; in eaque gratiam aliquam præter liberum arbitrium commemorat: quare hujus Epistolæ præsidio errorem suum excusare nitebatur.

Cum primum Pelagius una cum Cælestio in Siciliam pervenit, aut fortassis paullo ante quam ejiceretur ab Urbe, id est, anno 408. vel ineunte 409. scripsit librum Consolatorium, & Hortatorium alterum ad Viduam. Hanc Garnerius suspicatur esse Julianam matrem Demetriadis, aut Albinam Socrum Piniani. Postquam vero aliquamdiu cum suo Achate Cælestio constitit Siracusis, anno 411. se contulerunt in Africam, appuleruntque Hipponem Episcopalem Augustini sedem, & inde Carthaginem. In hac urbe Cælestius judicio postulatus, cum liberius negaret dari originale peccatum, Synodali congressu damnatus est, anno 412. Videndus in libro de Peccato Originali S. P. Augustinus. Cælestius anathemate percussus in Asiam transmisit.

Interea Pelagius in Palestinam se recepit, ascivitque sibi plures discipulos, tretusque patrocinio Joannis Jerosolymitani latius errores spargere cœpit. Atque circa hæc tempora, anno scilicet 413. Hieronymus adversus Pelagianos stylum movit, incitatus à Ctesiphonte. Scripsit Pelagius eodem anno Epistolam ad Augustinum, & aliam ad Demetriadem, illam calliditatis, hanc erroris pleniſſimam. Edidit proximo anno librum de Natura, qui opera Timasii & Jacobi ad Episcopos Afros pervenit, & ab his missus ad Innocentium graviſſima censura proscriptus est. Sequenti anno 415. hunc librum S. P. Augustinus compressit altero, qui inscribitur *De natura & gratia*. Eodem anno 415. Heros S. Martini discipulus, & Lazarus Aquensis Episcopus Pelagium hæreseos accusarunt. Habita propterea est Synodus XIV. Episcoporum, quorum nomina sunt in primo Augustini contra Julianum libro, Diospoli in Palestina. Verum Pelagius absentibus Accusatoribus, & nonnulla accusationis capita damnans, ad alia callide ac versute respondens fuit ab omni erroris suspicione absolutus, atque per Epistolam absolutionis suæ certiorem reddidit Augustinum. Hæc Pelagii Epistola in Appendice Phereponi pag. 268. errore typographi scripta dicitur anno 412. Sed manifestum est datam hoc anno 415. Hanc Synodum non aliam ob causam appellavit Hieronymus *miserabilem*, in Epist. 79. nunc 147. nisi quia Patribus Pelagius illusit.

Anno 416. Episcopi Africani acceptis per Orosium literis Herotis, & Lazari, auditoque infelici exitu Synodi Diospolitanæ, duo contra Pelagianos Concilia celebraverunt, unum Carthagine, alterum Milevi in Numidia; datisque ad Innocentium Epistolis, Romanus Pontifex in Cælestium, & Julianum sententiam dixit.

Defuncto anno 417. Innocentio, ejus successor Zosimus deceptus principio literis, & Professione fidei, quam Romam misit Pelagius, acerrime reprehendit Episcopos Africanos, quod credidderint Heroti & Lazaro, & Cælestium Pelagiumque damnaverint. At rescriptis Africanorum admonitus, & hæreticorum fraude detecta, ipse Zosimus anno sequenti 418. utrumque proscripsit; necnon operam dedit, ut plenario Carthaginensi Concilio 214. Episcoporum, universus Orbis Pelagianam hæresim condemnaret.

Prætermittendus non est liber Εὐλογιῶν, *honestorum sermonum*, sive Testimoniorum, quem Pelagius ad exemplum Cypriani conscripsit. Nam ex hoc libro, ut Garnerius demonstrat, & etiam liquet ex Dialogis D. Hieronymi, maxime scatent dogmata omnia Pelagiana. Quo præcise anno Pelagius hunc librum ediderit, me fugit. Constat conscriptum ante annum 415. nam hoc annno Dialogi Hieronymi prodierunt. Plura ex hoc libro Pelagii perstringuntur etiam ab Augustino de Gestis Palestinis cap. 3. 4. 5. & 6. Scripsit etiam Pelagius libros quatuor de libero arbitrio ante annum 418. quos non semel commemorat S. Pater in libro de Gratia Christi, quem editum constat hoc ipso anno.

DE ERRORIBUS PELAGII. 4.

Solent recenseri ex Augustini ad Paulinum Epistola 106. nunc 186. errata duo- De illius errоribus.

duodecim, quæ in Synodo Paleſtina ipſe hæreticus anathematizavit, ut eo loco, & in 2. contra Julianum cap. 5. ait S. Pater. Sunt autem alia octo, quæ in libris Auguſtini deprehenduntur ac refutantur, quorum aliqua in memorata Synodo auſus eſt, ut potuit, tergiverſatione defendere, aliqua poſtmodum ore peſtifero evomuit. Ergo errores Pelagiani ad viceſimum numerum pervenerunt. Sunt autem priores illi duodecim his verbis ab Auguſtino memorata Epiſtola recenſiti: *Objectum eſt enim dicere 1. quia Adam ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. 2. Et quod peccatum ejus ipſum ſolum læſerit, non genus humanum. 3. Et quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. 4. Et quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. 5. Et infantes etiamſi non baptizentur habere vitam æternam. 6. Et divites baptizatos niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos poſſe habere Regnum Dei. 7. Et gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina. 8. Et Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari. 9. Et filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino absque peccato fuerint effecti. 10. Et non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere aliquid vel non facere. 11. Et victoriam noſtram non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio, 12. Et quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum, & laborem, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.* Hæc Auguſtinus, qui illico duodecim articulos ponit his è diametro oppoſitos Catholicâ fide tenendos. Hos in Canones redegit Creſconius, cujus collectio extat in Appendice Tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici.

Octo reliqui errores Pelagiaai ſunt 1. *Poſſe hominem, ſi velit, carere omni peccato.* Hanc impeccantiam, ut diximus, didicerat à Rufino, Rufinus ex Origene. Quid ſibi voluerit Pelagius explicat Auguſtins de Grat. Chriſti cap. 4. & de Geſtis Pelagii cap. 13. Tria enim diſtinguebat Pelagius, poſſe, velle, & eſſe; quorum unum ſtatuebat in natura, alterum in arbitrio, poſtremum in effectu. Itaque contendebat nos habere per liberum arbitrium tantam non peccandi poſſibilitatem, ut ſine gratiâ omnia Dei præcepta poſſimus implere. 2. Docuit conſequenter *non opus eſſe Deum rogare, ne nos inferat in tentationem, nobisque peccata dimittat*, cum in noſtra ſit libertate poſſe ſine gratia vitare & abſtergere omnem labem peccati; ita tradunt in Epiſtolola ad Innocentium PP. Milevitani. 3. Quod inde conſequitur, *negabat neceſſitatem orationum, quas pro infidelibus fundit Eccleſia, ut convertantur ad Deum.* Ita S. P. libro de Hæreſ. cap. 88. 4. Volebat *Eccleſiam in hac quoque vita eſſe ſine ruga & ſine macula*; ut S. P. Auguſtinus ſcribit de Geſtis Pelagii cap. 35. 5. Aſſerebat *tam à veteri lege, quam ab Evangelio ſanctiſſimos viros prodiiſſe*, eo fine, ut legem ejusque notitiam extolleret, quaſi in hoc ſita eſſet Chriſti gratia. 6. Ob eandem rationem *novum teſtamentum par veteri prædicavit.* 7. Oſtentans affectionem ac jactantiam perfectionis *aſſeruit peccatum eſſe jurare etiam in veritate.* 8. Poſtremo etiam labe Neſtoriana infectus fuit, affirmans *ſolitarium hominem de virgine natum, & eruditorem potius humani generis, quam Redemptorem*, eo quod hominibus nihil aliud præſtiterit quam religioſæ converſationis exemplum. Vide Caſſianum lib. 6. de Incarnat. cap. 14. Hinc Pelagiani in Ephéſina Synodo celebrata anno 331. unâ cum Neſtorianis fuere damnati.

Si quæras cur Pelagius negaverit Originale peccatum; Reſpondeo illud negaſſe primum, ne confitendo liberum arbitrium ob Adæ prævaricationem fauciatum, cogeretur gratiam Salvatoris admittere. Deinde, ut occurreret præcipuæ argumentationi Sanctorum Patrum, qui ex cauſa parvulorum, quorum unus aſſumitur, alter relinquitur, antequam aliquid fecerint boni vel mali, demonſtrabant gratiam non dari ſecundum merita noſtra. Legite Auguſtinum in libro de dono Perſev. cap. 12. Cenſuit nihilominus Pelagius parvulos baptizandos, ut hæredes fierent Regni cœlorum, coactus Evangelica ſententia Joan. 3. *Niſi quis renatus, &c.* at non baptizatis, utpote inſontibus, felicitatem quamdam, & vitam æternam pollicitus eſt: quod commentum à nobis libro præcedenti fuit explosum:

De Gratia, Quam Pelagius Interdum Agnovit.

§. De gratia, quam Pelagius interdum agnovit.

Quoniam vero Pelagius aliquando gratiam Dei neceſſariam confeſſus eſt; oportet animadvertamus, quidnam gratiæ

tiæ nomine intellexerit tortuosus callidusque tergiversator. Comperimus ergo plura admisisse gratiarum genera. Est primum *natura ipsa*, & *insitum voluntatis arbitrium*. Secundum gratiæ genus est *peccatorum remissio*: de qua Augustinus in 3. contra Julianum cap. 23. ait: *Putatis gratiam Dei sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia diffundendo charitatem in cordibus nostris*. Tertium gratiæ genus illud est, quod adest, & opitulatur extrinsecus, nimirum *lex, prædicatio Evangelii*, & *Christi exemplum* ad imitationem propositum. Ita Augustinus in lib. de Gratia Christi cap. 33. & 41. Quartum gratiæ genus est *mentis illuminatio*, qua Deus cordis oculos aperit, sed nullam efficit in voluntate motionem. Hanc gratiam admisisse Pelagium liquet ex eodem libro Augustini septimo capite. Quintum genus est *dignitas regenerationis*, & *adoptionis*, quæ per baptismum tribuitur. Asserebat namque Pelagius parvulos in baptismo nullius utique peccati consequi remissionem, sed adoptari tamen in filios Dei, regnique cœlestis fieri participes. Legatur in carmine de Ingratis S. Prosper ab eo versu, *Tam dives vero hoc donum baptismatis esse*, &c. Ultimum denique gratiæ genus à Pelagianis admissum est *vita æterna*; quam Pelagium aliam à regno cœlorum existimasse semel iterumque monui.

De Statibus Hæresis Pelagianæ.

6. De statibus hæresis Pelagianæ.

Status denique Pelagianæ hæresis tres à nobis statuuntur. Quorum primus est, in quo Pelagius nullum prorsus interioris gratiæ adjutorium agnovit, affirmans ad bene operandum sufficere liberum voluntatis arbitrium, præsupposita cognitione præceptorum, sive per lumen naturæ: sive per exteriorem legem atque doctrinam. Alter status est, in quo correptus aliquando à fratribus interiorem aliquam gratiam admisit, sed eam voluit dari *ad facilius*, non ad *simpliciter* operandum, ut Augustinus ait in libro de Gratia Christi cap. 40. In tertio sui erroris statu Pelagius etiam internam aliquam gratiam simpliciter necessariam confessus est, nempe internas supernaturales revelationes, se tenentes ex parte intellectus, sed non inspirationem dilectionis & gratiam voluntatis & operis: sive admisit Pelagius gratiam, qua ignorantia pellitur, non qua charitas inspiratur. Quartum statum hæresis Pelagianæ, in quo hæretici admiserint etiam gratiam operationis & voluntatis, sed talem, quæ consistat cum indifferentia liberi arbitrii, tanquam commentum Jansenianum rejicimus, affirmantes indifferentiam arbitrii non ad Pelagiana decreta spectare, sed ad Catholica Dogmata. Verum de his statibus hæresis Pelagianæ proximo capite quinto.

CAPUT III.

De Cœlestio, & Juliano Pelagianis.

SUMMARIUM.

1. De patria Cœlestii.
2. De ipsius gestis.
3. De ipsius instituto.
4. De patria Juliani.
5. De consanguineis.
6. De ejus gestis.

1. De Patria Cœlestii.

Cælestium, quem Baronius ad annum 410. Norisius cap. 3. nec non Usserius & Jansenius Scotum scripserunt, Joannes Garnerius mavult Romanum fuisse, aut Campanum. Mutum enim per Albinum Canem latrantem, de quo Hieronymus Præf. lib. 3. in Jeremiam, illi interpretantur Pelagium loquentem ore Cœlestii; Garnerius vero Rufinum hæresim docentem ore Pelagii. Sunt etiam qui mutum illum arbitrantur Joannem Jerosolymitanum, cum Tillemontio. Nos priori sententiæ subscribimus; nam Joannes Jerosolymitanus palam patrocinabatur Origeni, & Pelagium, quem Catholicum habebat, etiam coactis Synodis studuit aliquando defendere. Rufinus vero jam anno 401. libros Invectivarum contra Hieronymum compleverat & limaverat. Præfationem autem in 3. librum Comment. Jerem. ante annum 414. scriptam non esse, tradit ipse Garnerius. Mutum ergo latrantem per Canem Albinum, non Joannem Jerosolymitanum, non Rufinum esse arbitramur, sed Pelagium hæresim disseminantem ore Cœlestii. Is ergo erit *Albinus Canis*, id est Anglus, aut Scotus. Enimvero versum Prosperi,

Aut huic Campano gramine corda tument,

non de Cœlestio, ut Garnerius putat; sed de Juliano liquet esse conscriptum. Quod scribit ergo Sebastianus Paulus in Epistola ad Vallisnerium, Baronium ac Norisium deceptos depravato quodam loco Hieronymi, id est Præf. nuper commemorata, ubi *Albinum canem* legimus, non *Alpinum*; est ad evertendam clarissimorum Purpuratorum sententiam nimis futile. Nam hac etiam repudiata lectione, ac priori retenta, non efficitur Cœlestium non esse Scotum, sed magis id corroboratur. Albinus enim dicit ac Albione. Sic olim dicta Britannia apud Stephanum, ab Albis rupibus, quas mare abluit. Scoti vero incolunt Britanniæ partem, quæ vergit ad Septentrionem. Itaque *Albinus* Britannus erit, aut Scotus; nec Noris deceptus est depravato Codice, quo etiam emendato illius sententia magis firmatur.

2. De ipsius gestis. Verum quidquid sit de patria Cœlestii, natus creditur circa annum 370. studuisse Pelagio circa 400. induisse pallium anno 402. scripsisse adversus peccati traducem anno 408. comitatum in Siciliam Pelagium an. 409. transmisisse Carthaginem, ibique accusatum à Paulino Diacono, & Synodali congressu damnatum anno 412. Fugit deinde Ephesum, ibique traditur Presbyteri honore condecoratus. Epheso per tumultum ejectus exeunte anno 416. petiit Constantinopolim. Proximo anno hinc pulsus Romam concessit, ibique anno 418. damnatur à Zosimo. Pellitur ex urbe decreto Constantii anno 421. quamquam opinio est apud potentes quasdam fœminas latitasse. Ex quibus haud obscure colligitur, hunc hominem in vulgando hæresim audacissimum ac impudentissimum illum esse, ut dixi, quem cani, & Cerbero Hieronymus comparavit. Hinc Pelagiana hæresis Cœlestiana dicta est, & Cœlestius in Hieronymi ad Ctesiphontem Epistola *Ductor exercitus.*

3. De ejus instituto. Fuisse Cœlestium professione Monachum, atque ex Monasterio tres Epistolas pietatis atque eruditionis plenas scripsisse ad parentes suos, demonstrat Norisius cap. 3. H. Pelag. testimonio Gennadii. Garnerius, ut Pelagium, ita Cœlestium facit de illo Monachorum genere, qui palliati incedebant habitu ad exemplum composito, sed errones, suique juris. Augustino, qui Auctores hæresis Pelagianæ appellat *veluti Monachos* cap. 35. de Gestis Pelagii, accedit Timotheus Presbyter Constantinopolitanus, qui ait: *Pelagius & Cœlestius, quemadmodum ajunt, nec Episcopi, nec Clerici, nec omnino ex ordine sacro fuerunt, & veluti Monachi vagabantur.* Vide Append. Tom. x. Op. Augustini pag. 66. PP. S. Mauri. At Cœlestium post damnationem suam factum in Asia presbyterum, liquet ex Epistolis Zosimi ad Africanos. Dicitur Cœlestius ab Augustino lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *acerrimi ingenii homo*, sed à Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem *imperitus sermone, & per solœcismorum spineta decurrens*; atque hæc de Cœlestio.

4. De patria Juliani. Julianum Cardinalis Norisius H. P. cap. 18. Eclani natum suspicatur, cujus Urbis fuisse Episcopum Eruditi omnes consentiunt. Idem de Patria opinantur Pagius ad annum 419. & alii. Baronius scribit natum Atellæ: huic post memoratum virum Cl. Sebastianum Paulum, Presbyteri Ballarinii censent subscribendum. Horum argumentum est, quod S. Pater Augustinus in VI. Operis imperfecti num. 18. scribat Julianum genitum in Apulia; Prosper autem in Chronico illum appellitat Atellanensem. Fugit vero, inquiunt, Norisium præter Atellam, quæ sita erat prope Aversam, aliam fuisse Atellam in Apulia. Valeret nonnihil hoc argumentum, si constaret Chronicon Prosperi non esse corruptum. At Chronicon Prosperi in vetustissimis Codicibus habet Eclanensem, non Atellanensem, ut constat ex notis Ducæi, & Rosweydi ad carmen 14. Paulini. Habent Eclanensem etiam Editiones Scaligeri, & Arnoldi Pontaci, omnesque aliæ melioris notæ. Itaque Chronico Prosperi confirmatur sententia Norisii; cui inquirendum non erat an esset alia Atella, cum mendum in Chronico Prosperi deprehendisset. Nec est cur Ballarinii obtrudant Codicem Prosperi Colbertinum, quem vidit Pagius ad an. 419. n. 8. & Augustanum editum à Canisio; siquidem Pagius eodem loco asserit Colbertinum Codicem esse depravatum, & in eadem Bibliotheca num. 1286. extare alium, qui habet Aeclanensem, non Atellensem. Editum à Canisio non in uno loco corruptum & interpolatum demonstrant notæ ei supperadditæ Tom. XI. Antiquitatum Romanarum. Scaliger autem & Pontacus majorem ea in parte, inquit Vossius lib. 1. H. P. cap. 6. cum excusorum, tum Mss. codd. secuti sunt fidem. Confirmant sententiam Norisii notissimæ conjecturæ, uxor, & nuptiæ Juliani, de quibus infra; tum quod Beda & Gelasius appellant Julianum Celanensem, Petrus Diaconus Edanensem, alii Eraclensem: quæ facile errore Amanuensium

sium potuerunt ex priori nomine *Eclanensem* derivare. Addimus ex Atella non Atellanensem venire, sed Atellanum. Neque obstat, quod scribit Augustinus, Julianum genitum in Apulia; nam Eclanum in Apulia Peucetia constituunt, auctore Vossio, omnes Geographi. Pertinet tamen Eclanum ex divisione Adriani ad Campaniam: unde à Prospero, & Gennadio, si hujus meliores Codices videantur, Julianus Campanus dicitur, non, ut alicubi legitur, Capuanus. Hieronymus Vignier Præf. in 2. p. supplementi censet Julianum natum Celiæ in Apulia, quod Beda Præf. in Cantica, & Gelasius in cap. *S. Romana*, eum scripserunt *Celanensem*, quasi *Celianensem*. Verum addit è vestigio: *Si tamen Eclanensem aliqui dictum velint, funem contentiosum non ducam.*

5. De Consanguineis illius.

Asseruit eodem loco Norisius Jam Juliani uxorem fuisse filiam Aemilii viri Consularis, & Episcopi Beneventani, idque colligi ex Epithalamio Paulini. Id quoque falsum videtur Ballariniis; dubitantque Benedictini Patres: hisque argumentis ducuntur. Paulinus Julianum & Jam vocat Memoris domum, nunquam vero jam Aemilii filiam, cum tamen de Aemilio non pauca differat. Nominat quoque Paulinus Jam nurum Sacerdotis, filiam nequaquam: & Julianum, Jamque Sacerdotis pignora dicit, non Sacerdotum. Addit mulierem dici factam per nuptias filiam Domus ac Gentis Apostolicæ. Præterea laudant Cl. Ludovicum Muratori, qui Tom. 1. Anecdotorum differt. 8. ex quibusdam Paulini versibus conjicit Aemilium esse Memoris fratrem, minorem quidem natu, sed Episcopatu seniorem.

Hæc non tanti ponderis sunt, ut me à Norisii, Vignerii, Pagii, Garneriique sensu divellant, quin prædictis quoque objectis moveor, ut Jam credam Aemilii filiam. Cum enim Paulinus hanc nobilissimam clarissimamque fœminam appellet, non prætermisisset illius parentem commemorare, si alius is esset ab Aemilio. Hæc autem conjectura, si addantur verba Fulgentii, quæ ex inedito Ms. profert Vignier, *Nec illi* (id est Juliano) *sufficiebat paternæ nobilitati Aemiliorum fasces admovisse, quos hæresi degenere turpiter maculavit*, jam argumentum fecit plane certum. Non appellat quidem expressis vocabulis Paulinus Jam domum Aemilii, sed hujus filiam fuisse nihilosecius demonstrat; nam mulierem illam non solum vocat *Sacerdotis nurum*, sed etiam Sacerdotis *pignus*, non minus ac Julianum.

Sancta Sacerdotis venerando pignora pacto
Junguntur.

Et infra:

Nunc igitur prisca quoniam sub imagine sanctum
Fœdus Aroneis pignoribus geritur.

Quod enim, inquiunt, *Sacerdotis*, non *Sacerdotum* scripsisse Paulinum, nihil prorsus in contrarium evincit. Enimvero ut *Sacerdotis* est minoris numeri nomen, ita *pignora* dicuntur plurali. Igitur & Julianus, & Ia *pignora* sunt, id est, filii geniti à Sacerdote; & non quidem ab uno eodemque, cum non fiant conjuges eodem parente prognati. Cum ergo Ia sit Sanctum pignus Sacerdotis, pignusque Aroneum, clarissimisque orta natalibus, cujusnam, nisi Aemilii, filiam existimabimus? Ait etiam Paulinus, de Memorio atque Aemilio:

Infula Pontifices divino jungit honore,
Humano pietas jungit amore pares.

Itaque in utrisque erant iidem tituli amoris, & consuetudinis, etiam humanæ. Quod Norisius ut explicaret magis, apposite commutavit, *jungit amore patres.* De qua mutatione, cum se illius profiteatur Auctorem, eaque ambiguum sensum complanaverit, non redarguendus est, sed laudandus; nam & Paulinus paullo post, vocat Aemilium patrem ob Sacerdotii honorem Memorii, & ob necessitudinem, ac mulieris originem patrem nuptorum,

Communem sibi, pignoribusque patrem.

Ia per nuptias facta dicitur filia gentis Apostolicæ, quoniam & Episcopi nurus facta est, & uxor Lectoris: quamquam num per nuptias, num vero nativitatis origine ad Apostolicam domum pertineat Ia, Paulini carmina non declarant. Ludovici Muratori conjecturæ, præter viri hujus præclarissimi auctoritatem, quæ mihi aliorum multorum comparatione est maxima, magni roboris non videntur. Aemilium Beneventanum Antistitem, ac patrem Iæ missum fuisse in causa Chrysostomi Apostolicæ Sedis Vicarium scite observavit Norisius. Ergo dum Paulinus ait,

Surge Memor, venerare Patrem, complectere fratrem;
Posterius natus senior quia sede Sacerdos,
Gestat Apostolicam pectore canitiem

innuit duntaxat utrumque fuisse Episcopum, & Aemilium quidem juniorem ætate, fratremque charactere, digniorem

tamen Memore Eccleſiaſticorum munerum auctoritate. Id vero ex ipſomet Epithalamio poſſumus conjicere. Narrat enim Paulinus de Aemilio tam ſingularia ac præclara, ut dubitari non poſſit fuiſſe illus nomen honeſtiſſimum, ac celeberrimum. Legatur ab eo verſu:

Sed quis odor nares allabitur æthere manans.

At Aemilium alium à Beneventano Antiſtite *virum ſuperi luminis, divitem numeroſo munere Chriſti*, non exhibent monumenta hiſtoriæ, nec Eccleſiaſticæ tabulæ illius temporis. Necvulgare eſt dignitatis Aemilii teſtimonium, quod ei Memorius tradiderit ſponſos ſanctificandos ac benedicendos, idque poſtulaſſe, ut Paulinus ait, *rectum ordinem*. Quamobrem adhuc in ſententia Noriſii perſiſtere directum & æquum eſt.

6. De ejus geſtis. Ut ad Julianum revertatur oratio, fuit is olim Auguſtino chariſſimus cum ob Patris memoriam, tum ob egregiam, quam præſeferebat indolem, maxime vero propter eloquentiam ſermonis, ac perpolitam dicendi rationem. Soluto matrimonii vinculo, (aut communi cum uxore conſenſu, aut hujus morte id contigerit,) ætate florentem Innocentius Papa ad Epiſcopatum Eclanenſem promovit. Irruente fame omnia ſua bona in pauperes erogaſſe, auctor eſt in Catalogo virorum illuſtrium Gennadius. Ita factum eſt, ut virtutis ſpecie, & delectu orationis, plurium, etiam nobilium, ac religioſorum hominum animum in ſuam hæreſim illiceret. Negavit cum Pelagio originale peccatum, mortem tamen ex Adamo in poſteros derivare affirmavit, ut colligitur eſt poſtremo Auguſtini libro ad Bonifacium cap. 4. Imo deterior factus in poſtremis ſcriptis aſſeruit, etiam non peccante Adam homines morituros, quamquam leniter ac tranquille, ut idem Auguſtinus ſcripſit in VI. Op. Imperf. num. 27. Quod olim Theodorum Mopſueſtenum, poſtea Socinianos aſſeruiſſe, obſervatum eſt ſupra. Circa Chriſti gratiam videtur aliquo temperamento hæreſim Pelagianam moderatus, nempe, ut aliquam gratiam neceſſariam fateretur ad boni operis incrementum, nullamque ad initium, ſive præcedentem imperfecti boni cupiditatem. Hoc enim in 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 8. aperte Auguſtinus redargùit. Epiſcopatu expulſus ad Neſtorianos ſe contulit, apud quos quietam illum inveniſſe ſtationem ſcripſit ad hæreſiarcham Neſtorium S. Pontifex Cœleſtinus. Amiſſi Epiſcopatus cupidine tam vehementer exarſit, ut multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præſeferens non ſemel molitus ſit iterum in Eccleſiæ communionem irrepere. Verum obſtitit ejus conatibus S. Leo tunc Diaconus, poſtea Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus. Scripſit Julianus adverſus primum Auguſtini librum de Nuptiis libros quatuor, quos S. Pater rogatus à Valerio Comite altero libro de Nuptiis cum nonnulla inde decerpta accepiſſet, ſtuduit refutare. Poſtea perlectis etiam libris ipſis Juliani, hos egregio opere confutavit in libros ſex diſtributo. Cum ergo Auguſtinus primum librum de Nuptiis ſcripſerit vertente anno 419. ſecundum vero 420. & Reſponſiones ad Julianum 421. quatuor Juliani libros editos novimus circa finem prædicti anni 419. & circa initia ſequentis. Deinde octo alios libros Julianus adverſus Auguſtinum elucubravit: quibus & Auguſtinus oppoſuit Opus Imperfectum, cujus ſex libri extant, duo deſiderantur. Hos vero genuinum eſſe Auguſtini opus conſentiunt Critici omnes poſteri, & evincunt argumenta producta à Noriſio cap. 1. Appendicis ad v. Synodum, ut mirum ſit id quoque in dubium vertiſſe in Epiſtola ad Vallisnerium memoratum Sebaſtianum Paulum. Sed animadverſionibus Noriſii, Lupi, Suareſii, PP. Sancti Mauri, aliorumque complurium, jam in aliis hæc dubitatio ſatis caſtigata fuit, atque excuſſa. Juliani libros octo ſcriptos arbitramur ab anno 421. poſtquam ſecundus liber de Nuptiis illi delatus eſt, cum ſex priores libros Auguſtini non legerat. Serius ad Auguſtinum pervenerunt, eisque refellendis anno mortis ſuæ 430. impendit extremam operam. Scripſit Julianus & ad Zoſimum Papam Epiſtolas an. 418. item aliam ad Theſſalonicenſem Epiſcopum: vulgatisque inſuper voluminibus de Bono Conſtantiæ, & de Amore, ſive Commentariis in Cantica Salamonis, quos caute legendos monet Beda, egit vitam pro fugam ac dejectam.

De reliquis Pelagianis, ut Anniano, Faſtidio, etſi qui ſunt obſcurioris nominis alii, legito Garnerium diſſert. 1. in Commonit. Mercatoris, & Noriſium H. P. cap. 19. Etenim nos de hæreſis primis Auctoribus ac Ductoribus inſtituimus, quod perfectum eſt, agere.

CA-

CAPUT IV.

Hæresim Pelagianam Romanorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate, nec non Patrum, maxime Augustini lucubrationibus fuisse proscriptam, & profligatam.

SUMMARIUM.

1. Hæresis Pelagiana damnatur à conciliis.
2. Rejicitur per constitutiones Imperatorum.
3. Contra eam scripsit S. Hieronymus.
4. Uti & S. Augustinus.

1. Hæresis Pelagiana damnatur à Conciliis.

SI ulla unquam hæresis fuit, quæ omnium ferme indignationem subierit, crebrisque anathematismis & vellicationibus fuerit exagitata; ea profecto est Pelagiana. Viginti quatuor enumerantur Concilia, quorum definitionibus damnata est. Fuit 1. Carthaginense celebratum anno 412. Honorio IX. & Theodosio V. Coss. de quo Augustinus lib. de Gestis Pelagii cap. 11. & de Peccato Originali cap. 2. & 3. Alterum Hierosolymitanum habitum anno 415. Coss. Honorio X. & Theodosio VI. in quo Orosius disputavit cum Pelagio, ut idem scribit cap. Apologetici 3. Eodem anno coacta est Synodus Diospolitana ab Eulogio Cæsariensi, & Pelagius absolutionem suffuratus est, ut diximus 2. cap. Proximo anno 416. Coss. Theodosio VII. & Palladio celebrata est altera Synodus Carthaginensis, necnon Milevitana à Silvano Primate Numidiæ: & rursus habitus conventus Carthaginensis quinque Episcoporum. Meminit horum Conciliorum S. P. Augustinus Epist. 175. Innocentius in literis ad Afros Episcopos, & PP. Milovitani Epist. inter Aug. 176. Anno 417. Coss. Honorio XI. & Constantio II. in Synodo Romana Pelagius à S. Innocentio I. damnatus est, Iisdem Coss. congregata est Constantinopolitana ab Attico adversus Cœlestium. Eodem anno Zosimus successor Innocentii omnem Pelagianorum fraudem detexit, & vertente an. 418. Coss. Honorio XII. & Theod. VIII. AA. acceptis literis Africanorum, qui rursus ut eliminarent serpentem hæresim confluxerant Carthaginem, ibique aliam coegerant Synodum Innocentii damnationem firmavit. Inter hæc tempora etiam à Theodoto coacta est Synodus Antiochena. Prædicto Consulatu nondum exacto Africani acceptis Zosimi Epistolis celebrarunt Synodum collectam ex universis Africæ provinciis. Episcoporum CCXXIV. de qua cap. X. adversus Collatorem S. Prosper. Commemorat Garnerius eodem anno 418. alteram Synodum, quæ dicitur secunda Africana, alteram item Carthaginensem coactam ab aurelio ex tota Africa, alteram quoque Romanam sub Zosimo. Decima sexta est Synodus alia Carthaginensis celebrata ab Aurelio, Coss. Monaxio, & Plinta 3. Kalendas Julias, id est an. 419. Contra Julianum anno 422. Coss. Mariniano, & Asclepiodoto habita est Synodus Anaxabi Auctore Maximiano. Anno 424. Coss. Victore & Castino aut sequenti 425. Coss. Theod. XI. & Valentiniano Cæs. celebrata est ab Attico Constantinopolitana in causa Episcoporum, qui ex Occidente fuerant expulsi. Damnata est iterum Romæ Pelagiana hæresis à Cœlestino Pontifice eodem anno 425. quo pariter habita est Synodus universalis Africana. Coegit etiam in Galliis adversus Pelagianos Concilium Arelatense S. Honoratus Episcopus anno 427. Hierio, & Ardaburio Coss., nec non celebrata est Anglicana contra Agricolam Pelagianum anno 429 Coss. Florentio, & Dionysio. Proscripsit quoque Pelagianos in Synodo Romana celebrata anno 430. Coss. Theodosio XIII. & Valentiniano III. Sanctus Pontifex Cœlestinus. Postremo damnavit Pelagium, & Cœlestium Oecumenica Synodus Ephesina Coss. Basso, & Antiocho, id est, insequenti anno 431. De Arausicana, cæterisque adversus Semipelagianos alio in loco.

2. Reji itur per Constitutiones Imperatorum.

Extant adversus Pelagianos etiam Constitutiones Imperatorum. Honorius & Theodosius Pelagium, & Cœlestium damnarunt, ac statuerunt, ut execrandi dogmatis Capita pellerentur ab Urbe Roma decreto ad Palladium P. V. dato Ravennæ Coss. Hon. XII. & Theodos. VIII. id est anno 418. Sequenti anno Coss. Monaxio & Plinta idem decretum innovatum est, ut constat ex Rescripto eorumdem Imperatorum ad Aurelium Carthaginensem datum in eadem Urbe Ravennæ v. idus Julias. Exturbavit Pelagianos Romæ adhuc lati-

tantes Constantius Cæsar Coss. Agricola & Eustatio, anno scilicet 421. misso ad Volusianum P. V. edicto. Idem præstitit promulgata in hæreticos lege Valentinianus Imperator datis Epistolis Aquilejæ VII. idus Julias Coss. Theod. XI. & Valent. Cæs. hoc est an. 425. ad Amacium Præf. Galliarum. His accessit Theodosius Junior datis literis ad P. Orientis Asclepiodotum anno 424. Coss. Castino & Victore, & ad Florentium an. 429. Coss. Florentio & Dionysio. Post horum Imperatorum edicta alii Episcopatu dejecti sunt, ut Julianus; alii ab erroris semita revocati, ut Turbantius, cui Julianus priores quatuor contra Augustinum libros nuncupaverat. Vide Augustinum lib. 1. Operis Imperf. num. 1.

3. Contra eam scripsit S. Hieronymus.

Inter eos, qui adversus Pelagianam hæresim pro Catholica fide pugnarunt, primus in aciem prodit Hieronymus, quem jure meritoque in Carmine de Ingratis appellat Prosper,

Hebræo simul, & Grajo, Latioque venustum
Eloquio, morum exemplum, mundique magistrum.

Is adversus Pelagianos scripsit Epistolam ad Marcellinum 82. an. 411. alteram ad Ctesiphontem 67. quam Norisius scriptam putat anno 412. Garnerius 413. Pagius paullo ante annum 415. Hoc anno 415. edidit tres Dialogos affabre elaboratos collata inter Atticum, & Critobulum altercatione, ut liquet ex Apologia Orosii scripta hoc eodem anno, in qua Dialogorum Hieronymi meminit: quare scripti non sunt anno 416. post Synodum Diospolitanam, ut visum Baronio, & Vossio in H. P. lib. 1. cap. 12. Critobuli nomen conflatum est ex κείνειν, & βελή, quod jam in Cœlestio Pelagius in Synodo Carthaginensi fuerit damnatus. Attici nomine honor datus est Attico, qui magnis animis Constantinopoli exagitabat Pelagianos, sive eo vocabulo significatum est voluisse Hieronymum imitari Atticum dicendi genus. Vellicavit S. Pater hæresim Pelagianam etiam in Præfationibus ad libros quatuor in Hieremiam: quarum primam edidit anno 413. secundam & tertiam an. 414. ultimam paullo post. Sunt ejusdem argumenti Epistolæ Hieronymi ad Alipium & Augustinum conscriptæ anno 419. quo obiit Eustochium, ut observarunt viri doctissimi Garnerius, & Norisius. Anno insequenti 420. Theodosio IX. & Constantio III. Coss. pridie Kal. Octobris Magnum Hieronymum decessisse constat ex Chronico Prosperi, & perveniisse usque ad decrepitam ætatem testatur Augustinus in 1. contra Julianum cap. 7.

4. Uti & S. Augustinus.

Cum vero S. P. Augustini scriptis hæresim Cœlestianam esse jugulatam gratuletur in præfatis Epistolis præclarissimus antri Bethlehemitici hospes; quid in causa Pelagiana egerit magnus ille noster Institutor, ac Doctor, eâ modo breviter aperiendum. Igitur S. P. Pelagianos errores antequam vulgarentur, præfocaverat in libris de libero arbitrio, de duabus animabus, & in Quæst. ad Simplicianum, necnon in Sermonibus quibusdam, quos cum gratiæ Dei commendatione habuerat ad populum. Sunt hi in postrema PP. S. Mauri editione 170. 174. 175. & 176. Irrumpente vero pestifero dogmate, edidit an. 412. libros tres de Peccatorum meritis & remissione, in quibus maxime disputatur de parvulorum baptismate ad delendum originarium peccatum, ac Pelagius non sine laude commendatur, quoniam ejus vita adhuc prædicabatur à multis. Fuerunt autem conscripti ad Fl. Marcellinum V. C. qui proximo anno Donatistarum fraude fuit obtruncatus. Eidem Marcellino sub finem anni 412. inscripsit Augustinus librum de spiritu, & litera, in quo ostendit posse hominem divino auxilio fretum exercere multas magnasque virtutes, sed ad justitiam habendam præter legem necessariam esse gratiam, quæ imbecillem erigat voluntatem, oppugnatâ impeccantiâ Pelagianorum. Data est eodem anno Epistola ad Honoratum 120. nunc 140. quam in 2. Retract. cap. 36. S. Doctor librum appellat, & in qua novi hæretici exagitantur. Consequente anno 413. perstrinxit Ingratos Sermone, quem habuit in Natali S. Joannis Præcursoris in celebri conventu Carthaginensi, de Verbis Apostoli XIV. Scripsit anno 414. Epistolam 89. ad Hilarium contra Pelagianos in Sicilia commorantes, nunc ordine 157. Editum hoc anno 414. arbitratur Garnerius librum de perfectione justitiæ adversus definitiones Cœlestii: sed rejiciunt alii ad finem proximi anni 415. Hujus Operis non meminit Augustinus in libris Retractationum, quoniam cum scriptum sit ad Eutropium & Paulam, pertinere videtur ad seriem Epistolarum. Eodem anno 415. conscripsit Epistolas duas 28. & 29. nunc 166. & 167. ad Hieronymum: item librum de natura & Gratia contra illum, quem elapso anno scripserat Pelagius de natura, proditum à Jacobo & Timasio statim operâ Augustini ad bonam frugem revocatis. In hoc

Opere

Opere S. P. demonstrat naturæ vitia pertinere non ad institutionem, sed ad vindictam, detegitque Pelagii cavillationes, parcens adhuc, quod singularis charitatis exemplum est, ejus nomini. Scripsit S. Doctor insequente anno 416. Epistolas ad Joannem Jerosolymitanum, ad Mercatorem, ad Hilarium Narbonensem, & ad Innocentium. Eæ sunt in veteri editione num. 252. 94. 92. in postrema 179. 193. 178. & 176. iisque narratur damnatio Pelagii facta in Synodis Carthaginensi & Milevitana. Ineunte anno 417. edidit librum de Gestis Pelagii, in quo agit de Synodo Palestina, de calliditate ipsius Pelagii, & de Chartula defensionis suæ, quam ad eundem Augustinum miserat. Scripsit & ad Julianam matrem Demetriadis, & ad Dardanum epistolas 143. & 57. nunc vero 188. & 187. Anno 418. editus est liber de Gratia Christi, & alter de Peccato originali pertractantes de adjutorio possibilitatis & operationis, de peccato Adæ, de nuptiis, de libidine, & de effectibus baptismi. Garnerius scriptas putat hoc anno Epistolas ad Paulinum, ad Sixtum, & ad Optatum 106. 105. & 157. nunc autem 186. 194. & 190. sed ad Paulinum data videtur superiori anno 417. Exeunte hoc anno 418. ut videtur Garnerio & Norisio, vel circa initium sequentis scriptus est ab Augustino liber 1. de Nuptiis & Concupiscentia ad perillustrem virum Valerium Comitem, in quo de bono nuptiarum, de concupiscentia ac pudore pertractat enucleate. Edidit sub finem anni 419. libros de Anima & ejus origine, quibus Manichæi simul & Pelagiani in iis, quæ ad ignorantiam, & difficultatem, quibus anima conjuncta corpori subjicitur, refelluntur & confutantur. Cum vero pervenissent ad Augustinum objecta quædam Juliani excerpta à quatuor libris hujus hæretici editis contra memoratum de Nuptiis; anno 420. addidit alterum, quo depellit cavillationes Juliani, confirmatque superius dicta de peccato originali, de pœnis ejusdem, & de gratia regenerationis per baptismum collata. Interea scripsit Epistolam 107. modo 217. ad Vitalem, & quatuor ad Bonifacium libros contra duas Epistolas Pelagianorum. Exornavit anno 421. librum Enchiridii ad Laurentium, respondítque Quæstionibus sibi propositis à Dulcitio. Quo anno elucubraverit libros de Gratia & libero arbitrio, nec non de Correptione & gratia ad Monachos Adrumetinos Historici non conveniunt; perfectos anno 424. tradunt Norisius, Garnerius, & Vossius; editos 426. aut 427. Scriptores alii. Retractationum libros argumentis profligantibus hanc hæresim passim retectos elaboravit anno 426. & 427. operibus aliis distractus. Contra Julianum non uno anno stylum exercuit: secundum librum de Nuptiis scriptum esse an. 420. dictum est supra: postquam in ejus manum pervenerunt quatuor libri Juliani, sex notissimos doctissimosque S. Pater conscripsit circa finem anni 421. & initia sequentis. Addidit morti proximus Opus Imperfectum: de quo cap. præcedenti. Exaravit paullo ante mortem anno 429. etiam libros de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ, quibus Pelagianorum Reliquiæ prostratæ sunt. Decessit autem beatissimus Pater v. Kal. Septembris anno 430. Coss. Theodosio XIII. & Valentiniano III. AA.

His, quæ de Augustino breviter dicta sunt addo Appendicis loco, Garnerium differt. VII. §. 2. in ea versari sententia, quod S. Patri pronomen Aurelii addiderit popularis opinio, & hæc exorta sit ex cap. 1. Apologiæ Orosii, ubi librarii incogitantiâ ex Aurelii Carthaginensis & Augustini nominibus unum videtur esse conflatum. Comparat enim Orosius defunctis Ecclesiæ luminibus Cypriano, Hilario, & Ambrosio tres viventes Aurelium, Augustinum, & Hieronymum, scribens: *Patres enim, & qui jam quieverunt Martyres, & Confessores, Cyprianus, Hilarius, & Ambrosius, & quibus etiam nunc permanere in carne necessarium est, Aurelius Augustinus, & Hieronymus, &c.* At decipitur vir doctissimus; non enim his Orosii verbis *tres* Patres *tribus* æquiparantur: & Augustino Aurelii etiam nomen accessisse, præter Orosium, testatur Claudianus Mamertus lib. II. de statu Anim. cap. 9. ubi ait: *Aurelius Augustinus acumine ingenii, & rerum multitudine velut quidam Chrysippus, argumentandi virtute aut Zenon sensuum subtilitate, aut Varro noster voluminum magnitudine, &c.*

Demum adversus Pelagianos, ut eos interim mittam, qui Semipelagianis obstiterunt, scripsit inter annum 418. & 420. incertus Auctor Hypognosticon, id est *subnotationum*, libros sex, in quibus in unum studuit contrahere Augustinianas contra Pelagium elucubrationes. Hos libros tribuunt quidam Sixto Romano, quidam autem Mercatori: sed ab hujus stylo & eruditione videntur plurimum discrepare.

CAP.

CAPUT V.

Disputatur de statibus Pelagianæ hæresis enumeratis secundo capite, & ostenditur Christi gratiam non solum mentem collustrare, verum etiam adjuvare voluntatem per inspirationem sanctæ dilectionis.

SUMMARIUM.

1. Ponitur 1. Propositio de primo statu hæresis Pelagii.
2. Objectioni satisfit.
3. Explicatur S. Augustinus.
4. Ponitur Propositio 2da. de 2do statu hujus hæresis.
5. Ponitur Propositio 3tia & probatur authoritate extrinseca.
6. Præcipuè S. Augustini.
7. Responsio Adversariorum refutatur.
8. Alia objectio solvitur.
9. Probatur 2da pars conclusionis 3tiæ.
10. Probatur 3tia pars illius.
11. Magis adhuc declaratur.
12. Solvuntur objectiones.
13. Indifferentia liberi arbitrii an sit error Pelagii.

1. Ponitur 1. Propositio de primo statu hæresis Pelagii.

STATUS varii hæresis Pelagianæ superius explanati sunt: de his agendum nunc singillatim.

PROPOSITIO I. Pelagius in primo sui erroris statu admisit necessitatem legis, sive naturalis singulorum hominum inscriptæ cordi, sive per revelationem traditæ, quam Deus iis proponere teneretur, qui legi naturæ per liberi arbitrii facultatem obtemperarent.

Demonstratur 1. auctoritate Concilii Carthaginensis in Epistola ad Innocent, in qua his verbis Pelagii & Cœlestii proditur error: *Isti autem asserunt, sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in literis datam.* II. Synodus Palestina, quæ primum Pelagii hæresim damnavit, hanc, ut vidimus, illius assertionem præscripsit: *Gratia Dei non ad singulos actus datur, sed in libero arbitrio est, & in lege, atque doctrina.* III. S. Pater Augustinus De Grat. Christi cap. 3. damnatam à principio sententiam, & traditam à Pelagio in libris de libero arbitrio asserit, *Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero arbitrio, aut in lege, atque doctrina constitui.* IV. Idem Pelagius in Epistola ad Demetriadem totus est in demonstrando, quod possit homo per legem ac doctrinam instructus divinis obtemperare mandatis. V. Inverisimile omnino est, Pelagium in priori statu legem aliquam ac doctrinam non agnovisse; quandoquidem, ut ibidem Augustinus docet, basis Pelagianæ hæresis erat, tria distinguere, quibus divina mandata adimplentur, *possibilitatem, voluntatem, & actionem*, quorum primum dari fatebatur à Conditore naturæ: supponit ergo ea possibilitas legem aliquam divina præcepta proponentem. Quod S. Pater in lib. de Prædest. Sanctorum cap. 19. affirmat expressius, docens Pelagianos putare, *acceptis præceptis jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos, & immaculatos, &c.*

2. Objectioni satis fit.

Neque vero dicas in his consistere secundum statum Pelagiani erroris, non primum. Enimvero primæva Pelagii hæresis ea est, quæ in Epistola ad Demetriadem propinata fuit; quæ in libris Pelagii de libero arbitrio, aliisque latitat; quæ in prima Synodo celebrata contra eumdem Pelagium fuit anathemati subjecta; & quæ decantatam illam naturæ possibilitatem spectat, cui totam erroris molem callidus Architectus admovit. At in his omnibus legem ac doctrinam sive inditam naturaliter, sive exterius revelatam manifeste comprehendit.

Facit adversus prædicta, quod S. P. Augustinus in lib. de Hæres. ad Quodvultdeum cap. 88. ait Pelagium in tantum Gratiæ Dei inimicum fuisse, ut crederet sine hac posse hominem divina præcepta adimplere. Deinde ait, *increpatum à fratribus quod nihil adjutorio gratiæ tribueret, correctioni horum hactenus cessisse, dicendo gratiam dari hominibus, ut quæ per liberum facere jubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam, illam vero gratiam, sine qua nihil omnino possumus, non esse nisi in libero arbitrio, quod Deus adjuvaret per suam legem atque doctrinam.* Itaque in eo statu Pela-

Pelagius neceſſariam legem confeſſus eſt, in quo increpatus à fratribus agnovit gratiam *ad facilius*, non ad ſimpliciter operandum collatam. Qui ſtatus non eſt profecto hujus hæreſis primus. Idem S. Pater de Geſtis Pelagii cap. 23. ait, oblatum ſibi poſt Synodum Paleſtinam Pelagii libellum, in quo liberum arbitrium gratiam appellabat *non aperte ei conjungens legis adjutorium.* Ante Synodum ergo Paleſtinam, & in primo hæreſis ſtatu admiſit Pelagius ſolam facultatem arbitrii, quacumque lege præciſa.

3. Explicatur S. Auguſtinus.

His reſpondetur, S. Patrem prioribus verbis, quibus docet Pelagium principio adeo gratiæ inimicum fuiſſe, ut crederet ſine hac poſſe hominem omnia divina præcepta adimplere, etiam legem doctrinamque ſignificare; non enim præcepta poſſunt, niſi per legem proponantur, ſervari. Verborum ergo, quæ ſubſequuntur, ſenſus eſt, correptum à fratribus admiſiſſe aliquando etiam veram aliquam gratiam ad facilius operandum: ſed abſolute neceſſariam illam putaſſe tantummodo, quam etiam tradiderat à principio, id eſt, liberum arbitrium cum legis ac doctrinæ adjutorio. Quare ex libro ad Quodvultdeum quæ ſupra diximus confirmantur. De Geſtis autem Pelagii ſcribit S. Pater, hæreticum non admiſiſſe adjutorium legis aperte in illo libello, non quod non admiſerit reipſa. Subdolus enim tergiverſator non ſemper expreſſit quod ſemper admiſit, ut interrogatus an aliud gratiæ adjutorium confiteretur præter facultatem arbitrii, annueret illico; ac reſponderet ſe utique gratiam profiteri aliam, auxilium ſcilicet doctrinæ ac legis proponentis quid agere debeamus. Articulus quidem ſeptimus damnatus in Synodo Paleſtina legem atque doctrinam expreſſe memorat: & Pelagius in Epiſtola ad Conſtantium data jam ab anno 408. præter liberi arbitrii naturam, aliud gratiæ profitetur auxilium, ut conſtat ex Auguſtini libro de Gratia Chriſti cap. 36.

Ponitur Propoſitio 2. de ſecundo ſtatu hujus hæreſis.

PROPOSITIO II. Pelagius in ſecundo erroris ſtatu admiſit præter legem atque doctrinam, gratiam, quæ dilectionem inſpirat, ſed ad facilius, non ad ſimpliciter operandum, eamque præcedentibus meritis comparatam.

Id probatur 1. ex libro de Hæreſibus ad Quodvultd. capite ſupracitato. 11. Ex libro de Grat. Chriſti cap. 26. *Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri: ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non quomodo iſte, qui cum dicit propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur facilius impleatur, quid de illa ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet, quod etiam ſine illa, etſi minus facile, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, poteſt.*

Quod hæc gratia ad facilius etiam voluntatem excitaverit inſpiratione charitatis, probatur primo; nam capite nuper laudato Auguſtinus diſerte loquitur de Gratia, qua charitas Dei diffunditur per Spiritum Sanctum, in cordibus noſtris. Deinde quia ſequenti cap. 29. ait S. Pater, ſanum fore & catholicum ſenſum Pelagii, ſi tolleret *facilius*, & abſolute fateretur gratiæ neceſſitatem ad boni Operis adimpletionem. Præterea Pelagius in illo errore, quod gratia detur tantum ad facilius, ſemper obſtinate perſeveravit: gratiam vero interioris illuſtrationis, ut mox dicam, tandem confeſſus eſt. Illâ igitur gratiâ ad facilius operandum præter mentis illuſtrationem, etiam charitatem aliquam inſpirari, Pelagius non denegabat. Denique quod Pelagiani exiſtimaverint hanc gratiam meritis naturæ rependi, conſtat ex cap. 31. ejusdem libri de Gratia Chriſti, ubi de hæreſiarcha legitur: *Nempe manifeſtum eſt eum dicere gratiam ſecundum merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet ſignificet, quam tamen aperte non exprimit. Nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur, &c.*

§. Ponitur propoſitio tertia & Probatur authoritate extrinſeca.

PROPOSITIO III. Pelagius tandem admiſit gratiam internæ illuminationis, etiam ut *ſimpliciter* neceſſariam, nunquam vero gratiam excitantem voluntatem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, ſive per inſpirationem charitatis.

Eſt prima propoſitionis pars contra Leonardum Leſſium lib. de Efficacia Grat. cap. 17. P. Lugo diſp. 1. ſect. 2. aliosque perpaucos. Defenditur autem à Gregorio de Valentia in 1. 2. q. 3. puncto 3. à Suareſio lib. 3. Opuſc. cap. 2. & lib. 2. de cauſa Prædeſt. cap. 16. ab Edmundo Simonnet principio diſſert. de Gratia, à Dionyſio Petavio cap. 9. de Hæreſi Pelag. ab Honorato Tournely lib. 1. de Gratia cap. 3. pag. 70. à Thomiſtis & Auguſtinianis communiter. Ex his tamen aliqui tenent, nunquam

Pelagianos admisisse interiores collustrationes ut *simpliciter* necessarias, sed ad facilius tantummodo. Verum tradunt oppositum Schola Lovaniensis & Duacensis, nec non Thomistæ doctissimi cum suo Joanne Gonsalez controversia 4. de Auxiliis art. 6. Atque idem de Semipelagianis ingenue fatetur Petavius laudato capite, num. 12. Hæc vero est propositionis pars altera. Tertiam, quod Pelagius nunquam admiserit gratiam voluntatis & actionis, probant omnes Catholici in Augustino, atque in his controversiis parumper exercitati.

6. Præcipue S. Augustini.

Itaque prima pars demonstratur auctoritate Augustini scribentis cap. 7 de Gratia Christi: *Et tanquam explicaturus* (Pelagius) *quam dicat gratiam, secutus adjunxit dicens, quam nos non ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur. Quis non hic desideret, ut ostendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* En aperte confitetur Pelagius præter legem doctrinamque exteriorem, internas collustrationes mentis, & gratiam aliquam ex parte intellectus.

7. Responsio Adversariorum refutatur.

Solent respondere, ex præmissis Augustini verbis solam externam legis ac doctrinæ gratiam in Pelagiana confessione apparere: sed falsi sunt hac in parte Adversarii. Primum: Pelagius eo loco profitetur *Gratiam non in lege tantummodo, sed in Dei esse adjutorio*: atque petenti Augustino & expectanti, quidnam esset adjutorium istud à lege distinctum, respondit hæreticus, *Adjuvat per doctrinam, & revelationem suam, &c.* Non ergo iis verbis adjutorium legis designat, sed revelationem aliam intimam ac ineffabilem. Præterea S. Pater proximo cap. XI. demonstrat hanc revelationem non esse veram Christi gratiam, propterea quod nullus in hac vita pervenit ad magnitudinem revelationum Apostoli Pauli: cui tamen, ut gratia adesset, per quam resisteret stimulo carnis, Angelo Satanæ, nec ob sapientiæ altitudinem extolleretur, addenda erat charitas, quæ non inflatur, animique reprimit elationem. Quare Christi gratia in sola interiori revelatione sita non est, ut tergiversabatur Pelagius; etiamsi revelationem dixeris intimam, multiplicem, ac mirabilem, qualem habuit Apostolus. Insuper, ut eodem libro docet S. Pater cap. 41. affirmabat Pelagius, *Ipsas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat:* Quisquis autem orat, jam lege & exteriori doctrina instructus est, & donum orationibus postulat hactenus non impetratum: ideoque Pelagius præter externam legem, gratiam aliam dari annuebat.

8. Alia objectio solvitur.

Nec repugnat, quod S. Pater post verba supra allata eodem cap. 7. ait: *In his omnibus non recessit à commendatione legis & doctrinæ.* Qualiscunque enim gratia, etiam internæ revelationis, quæ proponit tantummodo quid faciendum est, & voluntatem non adjuvat submINistratione aliqua charitatis, in munere à lege ac doctrina non differt. Atque hanc mentem esse Augustini, consequentia verba demonstrant: *Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit, commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adaperitionem, & demonstrationem futurorum & aperitionem diabolicarum insidiarum, & multiformem & ineffabilem gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc utique, ut divina præcepta & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina.* Itaque per Augustinum Pelagius etiam admittens gratiam illuminationis à commendatione legis & doctrinæ nequaquam recessit, quia gratia illa hoc solum efficit, ut divina præcepta ac promissa discamus; non donat, nec adjuvat voluntatem, ut agat. Et cap. 10. ejusdem libri de Gratia Christi. *Ad doctrinam*, inquit Augustinus, *pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet, cum suadetur omne quod bonum est.*

9. Probatur 2da Pars Conclusionis 3iæ.

Secunda propositionis pars, quod Pelagius admiserit aliquando gratiam internæ illuminationis, ut *simpliciter* necessariam, probatur ptimo: Admisit, ut modo vidimus, Pelagius adjutorium aliquod distinctum ab exteriori lege ac doctrina, atque istud nullum aliud est, quam interna mentis illuminatio: Atqui adjutorium illud ab exteriori lege ac doctrina distinctum admisit aliquan-

quando Pelagius, ut *simpliciter* neceſſarium. Ergo admiſit ut *simpliciter* neceſſarium adjutorium internæ illuminationis. Probatur minor. Pelagius anathematizavit eos, qui gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari opinantur, & illud putant in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina; ut Auguſtinus docet lib. de Geſtis Pelagii cap. 14. Aliquando igitur admiſit neceſſarium etiam adjutorium illud ab exteriori lege diſtinctum. Iccirco autem Pelagius ad punctum iſtud pervenit, ut abjurationem ſuam in Synodo Paleſtina quoquomodo ſinceram oſtenderet, nec ſe à ſeipſo proderet eſſe damnatum. Cum enim ſeptimum articulum proſcripſiſſet, oportebat, ut gratiam aliquam neceſſariam confingeret diverſam à naturali facultate arbitrii, & ab exteriori lege ac doctrina. Quod præſtitit oppido, admittens gratiæ illuminationem, de qua nunc pertractatur. *Ecce anathematizat*, ait Auguſtinus, *qui hoc ſentiunt: ecce nec naturam liberi arbitrii, nec legem, nec doctrinam vult intelligi gratiam, qua per actus ſingulos adjuvamur.* Nec tamen veram Gratiam confeſſus eſt unquam, ut principio ſpecioſis verbis ſuadere nitebatur: quoniam per multiformem illam illuſtrationem non recedebat, niſi oretenus, à commendatione legis, atque doctrinæ. Probatur deinde aſſertio; nam S. Pater hoc unum adverſus Pelagianos contendit, ut non ſolum fateantur adjuvari à Deo poſſibilitatem per illuminationem mentis, & objecti propoſitionem, verum etiam adjuvari voluntatem & actionem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti. Atque de Gratia Chriſti cap. 47. ſcribit, quod ſi Pelagius *conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.* Tota ergo controverſia Pelagium inter & Auguſtinum erat de adjutorio voluntatis & actionis, quod ſitum eſſe conſtat in inſpiratione charitatis; & per conſequens de gratia, quæ proponit divina præcepta ac promiſſa, etiam per interiorem mentis illuſtrationem Pelagius Auguſtino minime diſſentiebatur.

10. Probatur 3tia Pars illius.

Ex his conſequitur tertia Propoſitionis pars, ſcilicet, quod Pelagius nunquam admiſit veram Chriſti Gratiam, quæ non ſolum proponit quid agere debeamus, verum etiam voluntatem adjuvat per ſubminiſtrationem charitatis. Quod tamen breviter confirmatur Auguſtini locupletiſſimis teſtimoniis. Ergo eodem libro de Gratia Chriſti cap. 12. S. P. ſermonem inſtituens de Gratia, quam Catholici profitentur, hæc habet: *Qua gratia agitur non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate tredatur infundere, non ſolum per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* Et cap. ejusdem Operis tertio ac triceſimo: *Nos autem*, inquit, *illam gratiam in eorum confeſſione requirimus, de qua dicit Apoſtolus, Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & charitatis & continentiæ. Non eſt autem conſequens, ut qui habet donum ſcientiæ, quo noverit quid agere debeat, habeat etiam charitatis, ut agat.* Huc ſpectat Concilium Milevitanum Can. 4. *Quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reveletur & aperiatur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, & faciamus, anathema ſit.* Et infra: *Utrumque Dei donum eſt, ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: nam ſicut de Deo ſcriptum eſt, Qui docet hominem ſcientiam; ita etiam ſcriptum eſt, Charitas ex Deo eſt.*

11. Magis adhuc declaratur.

Hæc cum adeo perſpicua ſint; aſſerendum eſt non confiteri veram Chriſti gratiam, qui admittunt ſolam illuminationem mentis trahentem voluntatem tantum moraliter per ſolam propoſitionem ac revelationem divinorum præceptorum, niſi aſſerant ejusmodi illuminationem fieri ineffabili ſuavitate, & inſpiratione virtutis humanam voluntatem roborantis. Quod mihi videtur ex dictis manifeſtiſſimum; atque poteſt inſuper ſequentibus rationibus commonſtrari. Primo hæc illuminatio exhibens tantum ſcientiam rerum faciendarum, & ſe tenens ex parte objecti, quantumvis interior ſit & ſingularis, non recedit in munere à lege, & doctrina, cum detur

ad hoc, *ut divina præcepta, & promissa discamus.* Non est ergo illa gratia, quam adversus Pelagium Augustinus invictissime propugnavit. Deinde per illam gratiam quæ demonstrat solum quid agere debeamus, quemadmodum per legem & doctrinam, adjuvatur à Deo sola naturalis *possibilitas*, non datur adjutorium voluntatis & operis; ut scribit Augustinus de Grat. Christi cap. 6. & 15. ideoque hanc gratiam confitentur etiam Pelagiani. Præterea, ut vidimus, hi non denegant revelationes internas, & consequenter nec motionem illam moralem, quæ per solam manifestationem objecti, ut ajebat Pelagius, stupentem excitat voluntatem. *Operatur* (verba sunt hæretici apud Augustinum de Gratia Christi cap. 10.) *in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.* Igitur motionem aliquam extrinsecam voluntati, ac moralem, per revelationem & doctrinam, sive internam, sive externam, nequaquam Pelagius inficiabatur. Insuper, si adhuc contendas Pelagium nunquam confessum interiores illustrationes; arbitror te minime negaturum, eas admisisse Semipelagianos, quos tamen certum est ad initium fidei veram Christi gratiam non existimasse necessariam, eam saltem, pro qua magnus Augustinus certavit; ut mittam Julianum, & Pelagianos posteriores, de quibus legendus est S. P. lib. IV. ad Bonifacium cap. 5. Dabo interim testem locupletem, ac bene Theologis auditum Dionysium Petavium: qui de H. P. cap. 9. 12. in hunc plane modum loquitur: *Nam etsi Semipelagiani gratiam Christi non in sola externa legis propositione, sed in interna voluntatis excitatione, verum metaphorica & moralis positam putarent, ut eruditiores Theologi fatentur, præter paucos illos, qui consensu majoris partis exploduntur; nihilominus eos Prosper queritur in Carmine de Ingratis, nullas alias gratiæ Christi mandasse partes, quam doctoris, monitoris, ac forinsecus insonantis.* Cujus sane rei veritas liquet ex dictis; quoniam proponere duntaxat, ac suadere quod bonum est, pertinet ad doctrinam. Postremo non est consequens, ut Augustinus superius monuit, ut qui habet scientiam & percipit quid agere debeat, habeat etiam adjutorium operationis ut agat; veluti si dormientem infirmum & in aliquo periculo constitutum quispiam à somno excitet, ad fugam arripiendam hortetur, non proinde illum adjuvat, nec subtrahit ab impendenti discrimine, nisi illius plantas consolidet. Proponere ergo imbecilli hominum voluntati divina præcepta ac promissa, eamque suscitare ac movere tantum moraliter revelatione, & propositione objecti; est commonere hominem, non adjuvare: est impertiri donum scientiæ, non charitatis; est denique commendare legem ac doctrinam, non gratiam.

Videntur mihi ex dictis penitus contrita Adversariorum objecta. Opponere solent verba Augustini in lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. ubi de Pelagianis ait: *Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum opus bonum voluntate, nihil eam credatis operari.* Nullam ergo Pelagiani admiserunt gratiam interiorem. Quod argumentum Bellarminus in Recognitione librorum suorum lib. 1. de Grat. cap. 13. putat validissimum. Verum Augustini verborum sensus est, Pelagianos nullam admisisse gratiam, quæ par inspirationem charitatis adjuvat hominis voluntatem, & facit ut agat: non gratiam illuminationis, & donum scientiæ, quo noverit quid agere debeat. Insurgunt S. Patrem de Gratia Christi cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 47. affirmare quod Pelagius nunquam recessit à commendatione legis & doctrinæ. Sed respondemus, ad legem & doctrinam pertinere, quicquid suadet quod bonum est, & excitat tantummodo metaphorice proponendo objectum, non adjuvat voluntatem impertiendo adjutorium operationis. Reponunt, Concilia, Patres, ac Theologos innumeros affirmare Pelagium, nunquam Christi gratiam fuisse confessum. At his occurrimus dicendo veram Christi gratiam non consistere in sola illuminatione mentis, sive in dono scientiæ; sed etiam in subministratione charitatis, qua facere velimus, & faciamus. Tandem inquiunt esse plurium Doctorum Catholicorum sententiam, quod Gratia Christi sit interna revelatio objective tantum & moraliter attrahens voluntatem: qui, si vera forent hactenus dicta, consentirent apertissime Pelagianis. Cæterum hi Theologi non affirmant internam subministrationem gratiæ exercere tantummodo munus Doctoris, & monitoris, ostendendo quid agere debeamus, quasi necessaria tantum sit ex parte objecti, nec poten-

12. Solvuntur objectiones.

potentiæ animæ rationalis debeant excitari & elevari ad opera ſupernaturalia, aut ſit virtus operationis & voluntatis in ſola facultate arbitrii, ut aſſerebat Pelagius. Sed ulterius fatentur tribui per gratiam intrinſecum voluntati adjutorium, quod tamen negant eſſe ſuapte natura inſpectum efficax, ac prædeterminans. De qua controverſia alio in loco.

13. Indifferentia liberi arbitrii an ſit error Pelagii.

PROPOSITIO IV. Non eſt connumeranda inter errores Pelagii indifferentia liberi arbitrii; niſi ita accipiatur, ut inſpecta ſola naturali facultate poſſit ex æquo bonum & malum.

Demonſtratur prima pars; quia hæc eſt communis liberi arbitrii notio, ut ſit poteſtas animi libera ad faciendum vel non faciendum; unde juremerito damnata eſt Janſeniana propoſitio, quod ad merendum vel demerendum in hoc ſtatu non requiratur libertas indifferentiæ, dummodo arbitrium ſponte & voluntarie velit; ita ut libertas cum neceſſitate conſiſtat. Quem errorem non ſemel in hoc opere profligavimus, & rurſus inſectabimur cum ad hæreſim Janſenianam perventum erit. Præterea S. Pater lib. 11. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 3. ait: *Non itaque ſicut te, atque alios fallens loqueris, ſi quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Cœleſtianus & Pelagianus vocatur: iſtud quippe Catholica fides dicit.* Idem tradit in Epiſtola ad Cteſiphontem S. Hieronymus. Non ergo redarguendi ſunt Pelagiani, quod liberi arbitrii indifferentiam aſſererent. Id in eis reprehenditur, & damnatur, quod ejusdem arbitrii vires adeo robuſtas eſſe jactabant, ut vellent ſine gratiæ adjutorio poſſe bonum & malum, dummodo illud per legem doctrinamque innoteſceret. Quare Auguſtinus poſt laudata verba proſequitur: *Sed ſi quis ad colendum recte Deum, ſine ipſius adjutorio, dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Cœleſtianus & Pelagianus vocatur.* Atque his verbis comprobata eſt propoſitionis pars altera.

CAPUT VI.

Num Pelagius Gratiam habitualem negaverit?

SUMMARIUM.

1. Opiniones Doctorum.
2. Pelagius agnovit gratiam habitualem in ſenſu non recto.
3. Satisfit objectioni.
4. Probatur 2da pars concluſionis.
5. & 6. Solvuntur objectiones.
7. Quid requiratur ad actus Supernaturales.
8. Confirmatur concluſio ratione extrinſeca.
9. Et intrinſecâ.
10. 11. 12. & 13. Solvuntur objectiones.

1. Opiniones Doctorum.

HABITUALEM gratiam negaviſſe Pelagium, ſcilicet intrinſecam illam animæ *habitudinem*, qua homo permanenter fit juſtus, opinatur Vega lib. VII. in Tridentinum Concilium, eique ſubſcribunt Suareſius in Prolegomeno v. de Gratia cap. 2. & lib. VII. cap. 7. num. 1. & Tournely lib. 1. de Gratia q. 3. p. 79. Oppoſitum tamen tradunt non ſolum Janſenius lib. v. de H. P. cap. 22. verum etiam Gonetus diſput. 1. art. 3. Martinonus in Anti-Janſenio diſput. 7. de H. Pelag. ſect. 13. cum aliis Theologis plurimis. Inter quos media via incedendum nobis eſt; nam arbitramur iſtiusmodi gratiam admiſſam à Pelagianis, non tamen eo modo, quo illam tenemur confiteri: atque id proxima poſitione explicabimus.

2. Pelagius agnovit gratiam habitualem in ſenſu non recto.

PROPOSITIO I. Pelagius habitualem gratiam agnovit, at non ſenſu recto, & Catholico.

Demonſtratur prima pars. Nam primum nullibi invenimus hunc errorem vel ab Africanis Conciliis, vel ab Auguſtino fuiſſe Pelagio imputatum. Deinde Pelagiani apud S. Patrem lib. 1. contra Julianum cap. 6. docebant parvulos baptizandos, non quidem ut illis originale remittatur peccatum, ſed ut ipſis addatur Sanctitatis decus atque ornamentum, uſurpantes verba Chryſoſtomi ex homilia, quam de Baptizatis habuit: *Non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti: non tantum ſancti, ſed & juſti: non ſolum juſti, ſed & filii; non ſolum filii, ſed & hæredes: non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti: nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes: non ſolum cohæredes, ſed & membra: non tantum membra, ſed & templum, non tantum templum, ſed & organa Spiritus.* Et infra: *Hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſti-*

justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. Qui hæc cum Chrysostomo profitentur, videturne sanctificantem gratiam denegare? Insuper manifesta sunt hæc alia Pelagii verba apud Augustinum de Gratia Christi cap. 37. *Vide quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum instaurata natura est, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio.* Addit S. Pater: *Naturam in melius instauratam, remissionem vult intelligi peccatorum. Quod alio loco in hoc ipso libro satis demonstravit, ubi ait, Etiam illi, qui longo peccandi usu quodammodo obduruere, instaurari per pœnitentiam possunt.* Tandem Concilium Milevitanum Canone 3. damnans Pelagium admittentem gratiam, quâ justificamur, non ideo damnat, quia gratiam per quam remittuntur peccata negaverit, sed quoniam asseruit, *Gratiam, qua justificamur valere ad remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur.*

3. Satisfit objectioni.

Respondent Suaresius & Tournely, Pelagium admisisse gratiam remissionis peccatorum, qualem Novatores permulti constituunt in sola extrinseca imputatione justitiæ. Sed refellitur hæc responsio. Gratia enim qua in meliorem hominem renascimur, quæ ornatum animæ confert, eamque reddit sine macula & sine ruga, qua meliores reddimur, animique virtute perficimur, hæc, inquam, gratia non extrinseca est, sed interna, Pelagius vero in Epistola ad Demetriadem his plane verbis gratiam remissionis peccatorum describit. Deinde Concilia & Patres in hac gratia id solum improbant, quod Pelagius cum ipsa non conjunxerit adjutorium ad vitanda peccata, & quod crediderit illam naturalibus meritis comparari, ut mox ostendam. His ergo erroribus explosis, Pelagius veram gratiam sanctificationis confessus est. Postremo Julianus apud Augustinum lib. 1. cap. 6. ut vidimus, Gratiam remissionis peccatorum describit verbis Chrysostomi: atque inter illius dotes hanc complectitur, quod ejus dono fit homo Dei templum, & organum Spiritus; & Pelagius fatetur per illam gratiam instaurari naturam. Quæ omnia proculdubio demonstrant donum aliquod receptum in anima.

4. Probatur 2da pars Conclusionis.

Secundam propositionis partem demonstrant verba Augustini capite de Gratia Christi tricesimo: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, in Pelagii & Cœlestii scriptis, quæcunque legere potui; nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Enimvero non confitetur gratiam remissionis peccatorum, quemadmodum confitenda est, quisquis asserit illam dari secundum merita per solam arbitrii facultatem comparata, atque arbitratur valere tantummodo ad remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur; videlicet, animam exornare, sed nullam ei virtutem ad supernaturaliter operandum infundere. At Pelagius asserebat non à Deo *accipere, sed à seipsis homines habere gratiam, qua liberamur ab impietate, & hanc secundum merita nostra dari,* ut Augustinus ait hæresi 88. Et rursus affirmabat Pelagius auxilium gratiæ Salvatoris in hoc positum esse, *ut ignoscat commissa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda,* ut idem Augustinus scribit libro de natura & Gratia cap. 34. Existimabat enim in nostra potestate, non in Dei misericordia esse opus quodlibet salutare. Igitur Pelagius habitualem Gratiam, quomodo confitenda est, nequaquam confitebatur. Hinc Concilium Milevitanum can. 3. definit per Christi gratiam non solum remitti peccata commissa, verum etiam conferri adjutorium ne committantur.

Opponit Suarez cit. Prolegom. v. de Gratia. Dona habitualia propter actus supernaturales dantur. Ergo his ablatis tollitur etiam habitus supernaturalis. II. Ex quo Patres & Concilia non damnaverint Pelagium negantem gratiam habitualem, non sequitur hanc gratiam admisisse; quia Pelagius de iis donis expresse non tractavit, vel quia doctrina de talibus donis non erat tunc declarata. III. Pelagius ante peccatum nullum Dei donum agnovit præter naturalia: sed dixit nos omnes generari in eo statu, in quo fuit conditus Adam. IV. Gratiam adoptionis, quam admisit in pueris, dixit esse in adultis præmium meritorum. Sed gratia habitualis non est præmium meritorum, saltem quæ naturæ viribus comparentur. Ergo Pelagius gratiam illam habitualem admisit. 5. Objectio prima Solvitur.

Resp. ad primum, nego antecedens; habitus enim supernaturalis datur in sensu Pelagii ad decorem ornatumque animæ, atque ad hoc ut ea sit templum Spiritus Sancti, & membrum Christi, ipsiusque instauretur natura. Ad alterum dico Concilia & Patres non solum damnasse Pelagii dogma circa adjutorium gratiæ actualis; verum etiam pertractasse de iis, quæ ille proferebat, ut illuderet Catho-

Catholicis, & videretur gratiam Dei confiteri, ut de lege & doctrina, de exemplis Christi, de ipsa peccatorum remissione: in qua, cum id solum redarguerint, quod Pelagius ab ea sejunxerit actuale auxilium; consequens est, hæreticum gratiam hujusmodi non denegasse. Ad tertium fateor in sensu Pelagii gratiam remissionis peccatorum esse quodammodo naturalem, utpote arbitrii meritis comparatam: at non sequitur ex hac præmissa, nullum nobis donum conferri præter illa, quæ nascendo nobis conferuntur; alioqui denegasset quoque vitam æternam, & baptizatis, justisque regnum cœlorum. Quod sequitur; probat solummodo Pelagium non admisisse gratiam habitualem, quemadmodum confitenda est; & potest etiam argumentum sic comparatione eludi: Gratiam vitæ æternæ, quam admisit Pelagius, dixit esse in adultis præmium meritorum. Sed vita æterna non est præmium meritorum, saltem quæ naturæ viribus comparantur. Ergo Pelagius vitam æternam minime admisit. Falsissima est consequentia.

6. Objectio 2da rejicitur.

Opp. 2. idem Suaresius lib. VII. de Gratia c. 6. Augustinus Epistola 95. docet, Pelagium, licet admiserit gratiam remissionis peccatorum, hanc tamen existimasse non fieri per interioris gratiæ subministrationem: *Sive gratiam dixerit esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum; nihil eorum dicit, quod per subministrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas.* II. Idem Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 2. ait, putasse Pelagium nos salvari *adjutos, non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis.* III. Concilium Milevitanum damnans Can. 3. gratiam ad solam remissionem peccatorum valere, videtur damnare Pelagium, quod in remissione peccatorum gratiam habitualem non intellexerit. IV. Divus Augustinus fatetur se in scriptis Pelagii, & Cœlestii nunquam potuisse invenire gratiam, qua justificamur; ita de Gratia Christi c. 30.

Resp. ad 1. minime citatâ Epistola Augustinum asserere, quod juxta Pelagii mentem fiat peccatorum remissio sine interioris gratiæ infusione; sed hoc unum affirmat, nec liberum arbitrium, nec legem, nec remissionem peccatorum, quæ omnia admittebat Pelagius, esse adjutorium, quod per subministrationem Spiritus Sancti datur ad tentationes & concupiscentias vincendas, id est gratiam actualem voluntatis & operis, quam negabat hæreticus. Id vero ex ipsis Augustini verbis est manifestum. Per hæc diluitur secundum, & tertium; nam utique subministrationem virtutis inficiabatur Pelagius; at Concilium Milevitanum definit non solum pertinere ad gratiam, quod remittantur peccata, sed etiam quod non committantur: quorum unum fatebatur Pelagius, negabat alterum. Notandum hic obiter, Scholasticos nonnullos, qui putarunt disputatum fuisse cum Pelagio de necessitate gratiæ habitualis, nominis æquivocatione, & ignorantia historiæ lapsos non leviter: quod animadvertit etiam Gabriel Vasquez disput. 196. cap. 3. num. XIII. Ad ultimum liquet ex verbis Augustini, Pelagium non admisisse gratiam habitualem, quemadmodum debebat eam confiteri, id est, non comparatam per vires naturales arbitrii, & collatam cum subministratione virtutis. Levissima sunt ergo momenta Suaresii, nostramque assertionem potius corroborant.

7. Quid requiratur ad actus supernatu ales.

PROPOSITIO II. Præter habitualem Gratiam necessarium est ad actus supernaturales præmovens aliquod actuale adjutorium.

Sequitur ex dictis; & ulterius probatur Scripturis, Conciliis, Patribus, & ratione. Enimvero Psalm. 126. ait Regius Vates: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*: & Ps. 26. 9. *Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus*: quibus verbis Innocentius in Epistola PP. Conc. Carthag. *Nos ergo dicimus* (inquit) *quid oremus? Cum ille tantoperè beatus vir, ne despiciatur, exorat. Illi enim necesse est ita arguant, qui ista confirmant. David enim orationis ignarus, & suæ naturæ nescius accusetur: qui cum sciat in sua inesse natura, adjutorem sibi Deum, & assiduum adjutorem invocat: nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat, & per corpus omne Psalterii hoc & prædicat & clamat.* Et paucis interiectis rationem his verbis addidit: *Nam quamvis redemisset hominem* (Deus) *à præteritis peccatis; tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa servavit; quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Habet similia in Epistola ad PP. Milevitanos. Apostolis quoque, tametsi justi essent, ait Christus Joannis XV. v. 5. *Sine me nihil*

nihil potestis facere : quo testimonio necessitatem gratiæ actualis demonstrat Augustinus de Gratia Ch. cap. 30. & alibi frequentissime. Ad rem similiter facit exemplum Petri, de quo ait Ambrosius apud Augustinum citato cap. 45. *Nam si Petrus lapsus est, qui dixit, Etsi alii scandalizati fuerint, ego non scandalizabor; quis alius jure de se præsumat* ? Ergo etiam justis divinum auxilium est implorandum, eoque indigent.

8. Confirmatur id ipsum ratione extrinseca.

Hoc idem infertur ex canone x. secundæ Synodi Arausicanæ: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Cui Arausicano Canoni consonant verba Cœlestini in Epistola ad Episc. Galliæ; ubi cap. 8. docet, filios Dei, qui Divino Spiritu aguntur, & proculdubio habent gratiæ habitualis ornamentum, *ut bonum aliquod agant, paternis inspirationibus tangi.*

Confirmat hactenus dicta S. P. Augustinus: etiam de Gratia Christi cap. 25. allatis verbis Apostoli ad Rom. VIII. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* & Matth. x. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; hæc scribit S. Doctor: *Profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est.* Et infra: *Nec ait, Spiritus Patris vestri, qui vobis dat, vel dedit posse bene loqui: sed ait: Qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.* Quo in loco S. P. aperte necessitatem actualis, & cooperantis adjutorii demonstrat. Et de Corrept. & Grat. cap. 2. diserte gratiam singulis necessariam appellat *inspirationem bonæ voluntatis atque operis.* Ut enim dictum est supra hanc negabat Pelagius, & pro hac tantæ Augustini adversus hæreticum postulationes.

9. Et intrinsecâ.

Accedit Theologica ratio. Primo enim Justus divinæ gratiæ auxilium quotidie postulat: at, quemadmodum Augustinus de Grat. Christi cap. 15. *Cur petitur quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adjuvat voluntatem*? Deinde in contraria sententia, solum posse, non autem velle atque operari tribuitur Deo, quandoquidem habitus cum se teneant ex parte *actus primi*, adjuvant *possibilitatem*, non autem operationem. Postremo si Adam præter originalem justitiam, in qua illum constituerat qui fecerat rectum, indigebat adjutorio sine quo perseverare non poterat; quanto magis adjutorium actualis gratiæ erit iis necessarium, qui cum Apostolo ingemiscunt dicentes: *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati?*

10. Objectio prima Solvitur.

Dices 1. Quælibet potentia naturalibus habitibus, qui illam compleant, instructa, potest ex se prodire in actum. Ergo etiam habitu supernaturali exornata. = Resp. dist. ant. cum divino concursu, ac præmotione ordinis naturalis, concedo: absque tali præmotione, nego. Atque ita ad actus supernaturales præter gratiam habitualem necessariam dico præmotionem & concursum ordinis Gratiæ, cum D. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. & 3. Verum tamen est, quod in hoc statu propter concupiscentiam & ignorantiam, non sufficit quod virtute divina moveamur ad bene agendum; sed requiritur etiam, ut voluntas infirma sanetur, atque ad bona opera efficaciter præmoveatur, ut docet ibidem S. Thomas; & à nobis demonstratum est alio in loco.

11. Objectio 2da rejicitur.

Dices 2. Concilium Milevitanum Canone 3. superiori propositione definit gratiam, qua justificamur, non solum conferre remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, sed etiam adjutorium, quo non committantur. = Resp. Id quidem jure ac merito à sancta Synodo definitum contra Pelagium affirmantem gratiam justificationis spectare ad solum animæ ornatum, & nullam ad actus supernaturales impertiri virtutem. Nec sequitur, si gratia habitualis adjutorium, ac virtutem impertit, quid opus est auxilio gratiæ actualis? Ut enim prædicta quæstione nono articulo docet Angelicus Doctor, *Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.* Quod S. P. Augustinus in lib. de nat. & gratia cap. 26. duplici declarat exemplo: unum est infirmi hominis, qui cum sanatur à medico, sustentandus est etiam elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat; alterum corporeorum oculorum, qui etiam plenissime sani, cernere colorata, nisi candore lucis adjuti, non possunt.

12. Objectio 3tia reprobatur.

Dices 3. Per gratiam habitualem Spiritus Sanctus in nobis habitat. At Spiritus Sanctus omnipotens est. Omnia ergo possumus per hanc gratiam = Resp. dist. ma. Spiritus Sanctus habitat sanando & justificando, conc. inspirando dile-

dilectionem, & subministrando virtutem; subdistinguo, Atque id pertinet ad gratiam habitualem, nego: ad actualem, concedo. Vera est etiam minor propositio; potest enim Spiritus Sanctus inhabitans subministrare adjutorium operationis, & sanctam inspirare delectationem. Atque si id impertiatur, aderit actualis gratia ad bene operandum necessaria.

13. Objectio 4ta refutatur.

Dices 4. Habitus est perfectior actu. Potest ergo actum ipsum efficere = Resp. dist. ant. Habitus est perfectior actu, ut Scholæ loquuntur, *secundum quid*, quatenus diuturnior & permanens est, conc. Est perfectior *simpliciter* & absolute, nego. Sicut enim turpius est male agere, quam posse male agere; ita perfectius est facere bona, quam posse. Ad illud vero quod infertur, dico posse quidem habitum proportionatos sibi actus efficere, sed accedente concursu ordinis gratiæ, id est adjutorio voluntatis, & operis. Nec sequitur, si habenti gratiam alia gratia est necessaria, dabitur processus in infinitum, ut quidam objectant. Nam habenti gratiam habitualem est necessaria actualis, non vero alia habitualis quemadmodum oculo plenissime sano non est necessaria sanitas, sed candor lucis; & qui firmo corpore est, non indiget valetudine, sed alimentis.

CAPUT VII.

Quæritur quid sit gratia?

SUMMARIUM.

1. Quid hic intelligatur nomine gratiæ.
2. Opiniones Doctorum.
3. Resolvitur quæstio, & declaratur.
4. Ac probatur ratione extrinseca.
5. Probatur ratione intrinseca.
6. Explicatur per sententias aliorum.
7. Eædemque conciliantur.
8. ponitur corollarium.
9. & 10. Solvuntur objectiones.

1. Quid hic intelligatur nomine gratiæ.

ARBITROR ex dictis manifestum, nos Gratiæ nomine minime significare hoc in libro Conditoris dona ad naturam spectantia, inter quæ in creaturis ratione præditis facultas liberi arbitrii singulare est ac præcipuum. Quamquam & dona istiusmodi non immerito *Gratiæ* dicuntur, significante Gratiæ vocabulo omne id, quod alteri *gratis*, id est liberalitate donatoris confertur. Eam ob rem *non improbanda ratione gratia Dei dicitur qua creati sumus, quia non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est*, scribit Augustinus Epist. 177. alias 95. Quibus similia habet de Prædestinat. SS. cap. 5. ostendens quo jure sit gratia, *qua sumus anima tia rationabilia, discernimurque à pecoribus.* Ac multo minus de illa nunc differtatur gratia, quam latini Scriptores appellitant aut auctoritatem, aut amicitiam, aut beneficii memorem animum, aut rationem studiumque, quibus gratificamur alicui, sive in memoria & remuneratione tenemus officiorum, honorumque observantiam. Gratiam itaque dicimus hoc loco beneficium nobis divina liberalitate collatum, non quod ad naturam attinet, vel ad proprietates illius, sed quod pertinet ad supernaturalem beatitudinem, atque ad eam comparandam intellectum illustrat, & voluntatem corroborat. Præcipue autem loquimur de gratia actuali; nam habitualem quam vocant, ad controversias Pelagianas non spectat, eaque erit sequentis libri XIX. argumentum.

2. Opiniones Doctorum.

In quo autem actualis Gratiæ sit constituenda natura, viri Theologi non consentiunt. Thomistæ complures illam statuendam arbitrantur in actuosa qualitate, quæ physice nostrum velle operatur. Et de efficientia quidem physica ego sane doctis viris plenissime adhæreo, cum moralem efficientiam attrahentem sola propositione objecti, salva aliorum opinatione, non valeat tarditas ingenii mei à lege, atque doctrina secernere. Cæterum nec percipio quid sit illa qualitas, illamque scio Thomistis omnibus non probari: nam adversus illam acerrime pugnat Joannes Gonzales Controv. 1. de Gratia art. 3. statuunt alii naturam Gratiæ in motibus indeliberatis intellectus & voluntatis quos nonnulli putant fieri à Deo sine nobis, ut Alvarus Pelagius, Capreolus, Vega: alii probabilius tenent effici etiam à potentiis animæ; cum enim sint vitales, & intrinseci, petunt proculdubio intrinsecum, & vitale principium. Quæ sententia inter Theologos etiam Nostrates videtur esse communior. Emmanuel Maignanus videtur actualem gratiam

tiam constituere in motione Dei ipsos actus indeliberatos præveniente; quæ fuit etiam sententia memorati Joannis Gonzales, citata Controversia art. 4. Thomas Braduardinus, Estius, Tiphanius Jesuita, aliique Gratiam nihil aliud esse contendunt, quam Dei voluntatem & misericordiam nobis intime præsentem, & in nobis gratuito affectus salutares operantem; quemadmodum concursus Dei prævius ad opera naturalia plurium Theologorum sensu nihil est aliud, quam omnipotentia divina intime secundis causis assistens, easque pro singularum conditione juvans, ac præmovens. Cæterum hæc postrema opinio, licet plausibilis admodum, potius gratiæ demonstrat principium, quam naturam, atque ego ex his omnibus unam sententiam conficio, quam arbitror esse certissimam, nam in singulis veri aliquid ineesse deprehenditur.

3. Resolvitur quæstio & declaratur.

Propositio. Gratia est actus intellectus & voluntatis, sive mentis illustratio, & inspiratio charitatis; sed magis in delectatione, quam in illuminatione sita est; efficitur autem motione Dei, quæ est ipsa Dei voluntas submini strans hanc delectationem, & charitatem, & potest sensu non malo qualitas appellari.

Quod Gratia Dei complectatur collustrationem mentis, & delectationem voluntatis facillimum est suadere. Primo enim sacræ literæ gratiam appellant lucernam super caput splendentem, benedictionem dulcedinis, cordis inclinationem, & cor novum, dilectionem, charitatemque; atque illam explicant verbis pulsandi, invitandi, vocandi, trahendi: quæ omnia interiorem sensum mentis, & voluntatis commonstrant. II. S. Pontifex Cælestinus in Epist. ad Galliarum Episcopos cap. 8. scribit: *Præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* III. Etiam Tridentinum Concilium sess. VI. can. 3. Gratiam vocat *prævenientem Spiritus Sancti inspirationem, atque ejus adjutorium*: & cap. ejusdem sess. 6. declarat in nobis gratiam operari *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.* IV. Insuper Augustinus lib. 11. de Peccatorum meritis cap. 17. Gratiæ munus esse demonstrat, *ut innotescat, quod latebat, & suave fiat quod non delectabat.* Et proximo cap. 19. gratiam vocat *certam scientiam, & victricem delectationem*, nec non *lucem, qua illuminantur tenebræ, & suavitatem, quâ dat fructum suum terra nostra.* V. Postremo suffragatur etiam Theologica ratio: Duo enim sunt, quæ hominem ab operibus salutaribus retrahunt, sive quia latet, sive quia non delectat quod faciendum est: Ergo Gratiæ adjutorium, quod avertit hujusmodi impedimenta, erit illustratio mentis & lumen ostendens quod antea latebat, & inspiratio dilectionis suave reddens quod antea non delectabat, ut nuper dicebam cum Augustino.

4. Ac probatur ratione extrinseca.

Hanc inspirationem dilectionis potius, quam illuminationem mentis, esse illam Gratiam, pro qua Sanctus Pater decertavit, existimo in Augustino rem esse majoribus quasi theatris propositam. Et quamquam id ante omnium oculos posuerim præcedenti cap. 5. prop. 3. nunc eandem veritatem testimoniis, & rationibus confirmabo. Itaque S. Pater de Gratia Christi cap. 6. redarguit Pelagium, quod doceret quidem Deum nostram possibilitatem gratiæ suæ semper adjuvare auxilio, sed non laudem dedisse Deo, confitendo, *Quia si sic vult homo, tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret.* Gratia ergo voluntatis & operis, quam denegabant Pelagiani, est sanctæ dilectionis inspiratio. Sequenti cap. 9. probat S. Pater legem, atque doctrinam non esse gratiam, quoniam ad operandam justitiam lex humanam voluntatem non adjuvat: *Nemo*, inquit, *potest legem implere per legem. Plenitudo enim legis charitas; charitas autem Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Proinde per legem gratiæ demonstratur, ut lex per gratiam compleatur.* Igitur juxta Augustinum Gratia, qua legem implemus, est charitas. Proximo cap. 10. de eodem Pelagio ait: *Istam aliquando gratiam fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur.* In amore ergo gratia potissimum sita est. Undecimo capite ostendit in magnitudine revelationum posse elationem existere, & de charitate tantummodo scriptum esse, *Charitas non æmulatur, non inflatur.* Unde infert gratiam non esse revelationem sapientiæ, sed dilectionem. Præclara sunt quæ S. Pater habet capite primo ac vicesimo: *Cum ergo dicat Scriptura, Charitas ex Deo est, vel quod est amplius, Deus charitas est, cum apertissime clamet Joannes Apostolus, Ecce qualem charitatem dedit nobis pater, ut*

filii

filii Dei vocemur & simus, iste audiens, Deus charitas est, quare adhuc usque contendit, quod ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datam, ut filii ejus essemus. Quibus manifestissime docemur, gratiam bonæ voluntatis & actionis, quam denegebat Pelagius, nihil aliud esse quam charitatem. Legatur & prope finem capitis 26. ubi expendens Apostolica verba, *Fides per dilectionem operatur*, in hunc plane modum proloquitur: *Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Consistit itaque gratia in charitate per subministrationem Spiritus in cordibus nostris diffusa. Atque similia in aliis contra Pelagianos editis libris passim Augustinus deprædicat.

5. Probatur ratione intrinseca.

Et quidem ratione plurima. Primo namque non est consequens, ut qui habet donum scientiæ, habeat etiam donum gratiæ adjuvantis voluntatem & operationem, ut supra ostendimus cap. 5. auctoritate & exemplis. Deinde superna mentis illustratio, tametsi beneficium Dei est, eamque à Patre luminum postulamus verbis Davidicis, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, & necessaria est cum ad percipienda divina mandata ac promissa, tum ad dispellendas mentis tenebras, & pœnalem filiorum Adæ cæcitatem; præstat nihilominus, ut cognoscamus quid agere debeamus, non efficit ut agamus; & proinde spectat ad gratiam possibilitatis, non ad adjutorium operationis. Præterea illa proprie dicenda est gratia actualis, quam Pelagius nunquam confessus est: hunc vero hæreticum noluisse unquam profiteri gratiam consistentem *in inspiratione flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis*, tradit expresse Augustinus memorato libro de Gratia Christi cap. 35. & nos supra notum testatumque reddidimus. Denique nihil est gratia, nisi bonorum operum principium, & virtus illa animæ inhærens, qua bonum, & salutare opus prosequimur. At radix & principium bonorum operum est charitas, dicente Augustino de Spir. & lit. cap. 14. *Non enim actus est bonus, qui de charitatis radice non fit.* Et de Gratia Christi cap. 18. *Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium charitatem.* Et Magno Gregorio Homilia 17. in Evangelia: *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Atque eamdem charitatem nos ad bona opera trahere ex eo constat, quod amor est animi pondus, & illud operamur quod nos delectat. Quod & S. Pater scribit de Spiritu & lit. cap. 3. *Quando charitas cœpit non latere, nisi etiam delectet, non operatur:* & habemus in communi proloquio, *Trahit sua quemque voluptas.* Ratione ergo, & auctoritate constat, gratiam actualem in delectatione, & charitate esse potissimum constituendam.

6. Explicatur per sententias aliorum.

Verum cum multi, nec infimæ notæ Theologi gratiam constituant, in motione quadam Dei præveniente charitatem; nos hanc motionem minime gratiam esse negamus; sed dicimus hanc gratiam esse increatam, sive Dei benevolentiam & voluntatem nobis inspirantem actum dilectionis; non gratiam creatam & dilectionem ipsam, qua voluntas ad bene operandum movetur; vel, ut loquamur clarius, Deum subministrantem charitatem esse principium efficiens gratiæ, charitatem gratiam ipsam esse arbitramur. Etenim per gratiam charitatem diffundi in cordibus nostris Augustinus locis supra productis aperte testatur, & in Epistola ad Paulinum 106. nunc 186. aliisque in locis plurimis gratiam docet præcedere voluntatem hominis, & prævenire charitatem. Cœlestinus etiam laudata Epistola ad Episcopos Galliarum definit *omnes sanctas cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis, non tantum quoad incrementa, sed quoad eorum exordia, referri debere ad Dei gratiam, qua præparatur voluntas:* & D. Thoma de Veritate q. 24. art. 14. gratiam actualem esse affirmat *misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur.* Hæc tamen recte sapienterque dicuntur de gratia considerata ex parte Dei; etiamsi hæc considerata ex parte nostra sit gratuitus effectus ipsius divinæ motionis, videlicet motus quidam animi, sive amor & delectatio. Quare idem S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. scribit: *In eo, qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum est autem supra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum*

tum anima hominis movetur à Deo ad aliquod cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur tertio Physicorum. Ergo etiam per Divum Thomam Gratia, quæ comparate ad Deum est Dei voluntas & misericordia operans in nobis motum mentis, & voluntatis, si consideretur ex parte nostra, est gratuitus ejusdem voluntatis effectus, est motus quidam animi, est amor, charitas, delectatio.

7. Eædemque conciliantur.

Ex postremis S. Thomæ verbis infertur, neque hunc Scholasticorum principem existimasse, quod actualis gratia sit de illo genere qualitatum, quas tam magnifice celebrant Peripatetici. Quamquam enim Thomistæ aliqui respondent S. Thomam excludere à ratione gratiæ actualis qualitatem, quam *habitum* dicimus, non illam, quam appellitant *dispositionem*; nihilominus certum est in schola Peripateticorum motum non esse qualitatem, sed actum quemdam spectantem ad aliud, ut inquiunt *prædicamentum*. At Angelicus Doctor actualem gratiam contendit esse animi motum. Quomodo ergo erit qualitas? Præterea D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. comparat gratiam motioni, qua Deus, secundum modum uniuscujusque, movet causas secundas ad operandum; id vero, quo Deus in naturalibus secundas causas præmovet, non est qualitas aliqua nec habitualis nec actualis. Similiter ergo gratia, qua movet ad opera supernaturalia, non erit qualitas, sed motus, alterius tamen ordinis ab illo, quo lege providentiæ creaturæ juvantur, & his ad opera supernaturalium virtutum perficienda vim & potestatem impertiens. Rursus nulla qualitas, ut demonstrat eruditus Thomista Joan Gonzales, movet intellectum, & voluntatem *quoad exercitium*, sed tantum *quoad Specificationem*: id est, qualitas nullum actum operatur, nisi ab alio principio determinetur, & moveatur. Quibus addo istiusmodi qualitatem ad actum primum pertinere, non ad actum secundum. Quid est enim forma, aut qualitas inhærens, quæ est principium actus secundi, nisi id, quod Scholastici consueverunt appellare actum primum? Cum ergo gratia in nobis operetur salutares effectus, & sit adjutorium non solum possibilitatis, sed etiam operationis, nequit in qualitate consistere; imo si esset qualitas, necessaria foret ad operationem alia gratia, motus scilicet animæ, & gratia efficax non tantum prædeterminaret actum secundum, sed etiam primum, & libertatem everteret, ut demonstrat laudatus Thomista Controversia 1. art. 3. argumentatione prima, & confirmatione secunda. Atque his missis, quis percipit qualitatem constitutam in tertia Categoria posse bonæ voluntatis esse principium? quis ignorat scripsisse Apostolum ad Philippenses, quod *Deus operatur in nobis velle*? quis negat *omnipotentem in cordibus nostris inspirare dilectionem, charitatem, delectationem?* quis in tot Augustini libris non his vocabulis, sed physicæ qualitatis nomine Gratiam designari comperit? Ergo hanc ad sensum Bannesii qualitatem explodimus. Attamen quoniam homo gratia præventus virtutem habet supra naturæ vires, & potest supernaturalem beatitudinem adipisci; si *qualitatis* nomine intelligas id, quod non pertinet ad naturam, illamque aut adjuvat, aut perficit, aut exornat, certum est Gratiam esse de genere *qualitatum*.

Corollarium.

8. Ponitur corollarium.

Apparet ex his optimam esse definitionem Gratiæ à nobis traditam libro IV. cap. XI. & desumptam ex Augustino lib. IV. ad Bonifacium cap. 5. *Gratia est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Quæ sola definitio, si accurate expendatur, omnia quæ diximus confirmat. Deus enim dilectionem inspirans est gratia considerata ex parte Dei; & ita nos assentimur Theologis, qui gratiam nihil aliud putant, nisi voluntatem, & misericordiam Dei, sive Deum ipsum, qui nobis voluntatem bonam inspirat. Ipsa dilectionis inspiratio, nihil est aliud, quam Dei motio intellectum illuminans, & inflammans; ideoque non recedimus omnino ab illorum opinione, qui gratiam constituunt *in motione quadam virtuosa*. At charitas, quæ nobis inspiratur, est motus animi, & sancta delectatio trahens ad opera salutaria, & faciens, ut faciamus: & consequenter in Charitate vere & proprie consistit gratia, si consideretur ex parte nostri.

Ad ea, quæ dictis adversantur responsio.

9. Proponuntur objectiones.

Stant contra prædicta argumentationes, quæ sequuntur. Prima est: Gratia est necessaria ad omnia opera bona: Cha-

Charitas est opus bonum : Igitur Gratia etiam ad charitatem necessaria est. Secunda: Gratia prævenit charitatem, & voluntatem bonam ; non ergo ipsa gratia in charitate, & voluntate bona consistit. Tertia: Charitas est actus supernaturalis ; præsupponit itaque in voluntate principium, & virtutem intrinsecam, unde efficiatur. Quarta: Gratia ut dictum est, appellatur illuminatio, inspiratio, vocatio, & vocabulis aliis consimilibus, quæ non significant vitalem aliquam animæ operationem, sed impulsum, atque vim effectricem, cujus ope anima illuminatur, atque excitatur. Quinta: Gratia saltem præveniens ea est, per quam Deus operatur in nobis sine nobis : At charitas nequit absque voluntate nostra produci : Igitur Gratia saltem præveniens ab actuali charitate distinguitur. Postrema : Intellectus ad supernaturaliter operandum indiget qualitate aliqua intrinseca, sive sit fidei donum, sive propheticum lumen, sive raptus, qualis contigit Paulo, sive lumen gloriæ. Est ergo necessaria supernaturalis qualitas etiam ex parte voluntatis ut bonum velit, & diligat.

10. Et solvuntur.

Non est operosum ex dictis hæc statim elidere. Nam ad primum argumentum respondeo charitatem esse quidem opus bonum, sed primum, & radicem cæterorum; quod inspiratur à Deo subministratione Spiritus Sancti, ut bene operari possimus. Ad charitatem ergo est necessaria gratia increata, id est Dei benevolentia & voluntas nobis intime præsens, & gratuito beneficio tenebras mentis discutiens, & voluntatem inspiratione dilectionis alliciens. Ad cætera bona opera necessaria est ipsa charitas. Atque hoc sensu totum argumentum conceditur. Idem dicendum est de secundo; siquidem Gratia, quæ prævenit charitatem, est ipse Deus, qui illam nobis liberali donatione largitur; atque, ut inquit Estius in 2. sent. dist. 26. §. 5. *Charitas, qua Deus diligit nos, prævenit charitatem, qua nos eum vicissim diligimus.* Tertium pariter diluitur, dicendo actum supernaturalem præsupponere quidem principium intrinsecum; motionem scilicet Dei, qui nobis est intimior intimo nostro, & flagrantissimâ charitate innovat cor novum in visceribus nostris. Ad quartum jam diximus illuminationem & inspirationem, si considerentur ex parte Dei, esse veritatem, & charitatem, id est Deum ipsum largientem nobis lumen & dilectionem; si autem ex parte nostra, ipsam piam cogitationem, ac sanctam dilectionem nobis divinitus inspiratam. Nam & dum sol lumen diffundit, lumen & calor sunt respectu solis ejusdem impulsus & devolutio; respectu autem subjectorum corporum, horum motus & agitatio: licet si hæc ad qualitates velis referre, non est eadem ratio de summo Deo, qui charitas est, non accidente aliquo, sed subsistantia. Quod sequitur nullius est momenti; nam charitas, licet sit à voluntate tanquam à principio vitali, non inspiratur à Deo ob meritum aliquod naturale, sed gratis omnino: atque dum dicitur Deus per gratiam operari in nobis sine nobis, rejicitur decretum Pelagianorum, scilicet, *dari gratiam secundum merita nostra.* Ad ultimum dico, eamdem esse de intellectu, & de voluntate rationem: & sententiâ nostrâ actualem illuminationem fidei, ac lumen propheticum nihil esse aliud, quam mentis illustrationem à Deo beneficentissima largitate productam ; eamque comparate ad ipsum Deum esse intimam ejus præsentiam mentis tenebras dispellentem, & comparate ad mentem nostram, esse hujus irradiationem, & motum : quamvis loquendo de fide & gratia habituali, necnon de lumine gloriæ, admittendam censeo intrinsecam qualitatem, & habitudinem, sensu explicato libro III. cap. 3.

CAPUT VIII.

De Actualis Gratiæ divisionibus.

SUMMARIUM.

1. Dividitur in gratiam gratis datam, & gratum facientem.
2. Alia est præveniens, alia subsequens
3. An differat ab his gratia operans, & cooperans.
4. An differat ab illis gratia excitans, & adjuvans.
5. Divisio in sufficientem, & efficacem.
6. Quomodo authoris explicatio differat à thomistis.
7. Ponitur 1. Conclusio remissivè.
8. Conclusio 2da de gratia efficaci, quid sit.
9. Objectio adversariorum solvitur.
10. & 11. Probatur ulteriùs conclusio 2da.

12. Propositio 3. quòd gratia non semper sit eadem.
13. Probatur authoritate.
14. Et ratione.
15. Ac Exemplo.
16. Gratia dependet à solo beneplacito divino.
17. Hæc sententia est contra mentem Jansenii
18. & 19. Probatur ostendendo differentiam.
20. 21. 22. 23. 24. & 25. Solvuntur objectiones.
26. Differentia inter sententiam Authoris, & Jansenii.
27. An gratia efficax sit semper efficax absolutè.
28. Objectio 5ta declaratur.

1. Dividitur in gratiam gratis datam, & gratum facientem.

ACCEPTO Gratiæ vocabulo pro qualicunque spirituali ac supernaturali dono, quod nobis ad propriam aut aliorum salutem confertur, constat dividi Gratiam in *gratis datam*, & in *gratum facientem*. Quarum prima ea est, quæ nobis ad proximorum utilitatem divinâ liberalitate tribuitur: altera, quæ ad propriam salutem eorum, quibus confertur, est potissimum ordinata. Etsi enim, ut vel ipso nomine compertum est, quælibet gratia est gratis data; hoc tamen commune *gratiæ* vocabulum donis illis tribuitur, quæ non habent singularem proprietatem reddendi hominem Deo gratum, aut *formaliter*, quod præstat habitualis gratia; aut dispositive, quod efficit gratia actualis superius definita. De hac proinde Gratia agendum nobis est specialiter; nam Gratias gratis datas enumerat singillatim Apostolus in priori ad Corinthios cap. XII. v. 8. & sequentibus.

2. Alia est præveniens, alia subsequens.

Itaque Gratia alia est *præveniens*, *subsequens* alia. Prima est, qua Deus in nobis operatur priorem motum sanctæ cogitationis, ac dilectionis. Secunda est illa, quæ priorem illum motum subsequitur, ut homo opus salutare perficiat. De gratia *præveniente* ait Psalmista Ps. 58. 11. *Misericordia ejus præveniet me:* Tridentinum Concilium sess. VI. Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit.* De gratia *subsequente* ait idem Psalm. Ps. 22. 6. *Et misericordia tua subsequetur me:* Et Augustinus ibidem: *Ut perficiamus dictum est, Misericordia ejus subsequetur me.* De utraque autem Romana Ecclesia in oratione Dominicæ 16. post Pentec. *Tua nos, quæsumus Domine, gratia præveniat, & subsequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Enimvero Deus nobis principio mentem collustrat, ac pium desiderium inspirat; tunc vero victrici delectatione sanat languorem animi, & concupiscentiæ motus refrenat; non deserit, sed adjuvat liberum arbitrium dum opus prosequitur: regit, ut perficiat: ac postremo largitur singulare donum perseverantiæ, & coronat in misericordia, & miserationibus. Pertinet ergo prior illa sanctæ dilectionis inspiratio ad *prævenientem* gratiam; reliqua ad *subsequentem*.

3. An differat ab his gratia operans, & cooperans.

Hinc alia Gratiarum nomina, & divisiones aliæ; quæ, ut opinor, à nuper tradita parum discrepant. Nam Gratia *præveniens*, quatenus in nobis operatur primam bonam voluntatem & sanctam dilectionem, dicitur *Gratia operans*: & Gratia *subsequens*, per quam bona desideria executioni mandantur, dicitur *Gratia cooperans*. Quamquam enim Theologi plures Gratiam *operantem* putant esse gratiam habitualem; quod nos nolumus controvertere, cum etiam *habitus* in opus influant aliquo modo: certum tamen est, Augustinum *operantem* gratiam illam appellare, quæ in nobis operatur bonam voluntatem, piamque delectationem. *Ipse ut velimus* (inquit S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17.) *operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus, Certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Et statim causam reddit, cur Gratia *præveniens* sit *operans*, & gratia *subsequens* sit *cooperans*, dicens. *Ut velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

4. An differat ab illis gratia excitans, & adjuvans.

Similiter non differt nisi nomine à Gratia *præveniente* Gratia *excitans*; nec à *subsequente* Gratia *adjuvans*. Nam gratia *præveniens*, quatenus per submi-nistrationem charitatis excitat animum somno oppressum, id est abreptum cupiditatibus, & nihil de sanctis operibus cogitantem, est gratia *excitans*. Atque Gratia *subsequens* & *cooperans*, in quantum voluntatem excitatam adjuvat, ut bonum opus perficiat, dicitur Gratia *adjuvans*. Quæ Gratiarum nomina sunt apud Augustinum frequentissima, necnon occurrunt in Concilio Arausicano Canone 3. 4. 5. 6. & Tridentino; cujus sess. 6. cap. 5. hæc sunt verba: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium*

dium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur. Vide & Orationem Dom. XXIV. post Pentecosten.

5. Divisio in sufficientem & efficacem.

Celebris est divisio Gratiæ actualis in *sufficientem*, & *efficacem*. Sufficiens alio sensu dicitur à Molinianis, alio ab Augustini, & D. Thomæ discipulis. Illi gratiam *sufficientem* appellant, quæ voluntati dat posse, & nullum effectum producit nisi ab humana voluntate determinetur: determinatur tamen, & quidem sine gratia alia operationis, quæ tribuat etiam velle victrice, & flagrantissimâ delectatione. Atque hanc gratiam, si conferatur in aliquibus circumstantiis, in quibus positi sequimur vocantem, appellant dicti Theologi Gratiam *congruam*. Gratia ergo *sufficiens* Molinistice nihil est aliud, quam celebre adjutorium *sine quo* collatum Adæ, & necessarium in statu Innocentiæ, de quo multa disserui lib. 4. cap. 8. Quare Molina nihil aliud præstitit, nisi quod gratiam Conditoris in gratiam Salvatoris commutavit, & pro adjutorio hujus status subrogavit illud, quod Augustinus tradit Angelis, & primo homini necessarium. Cum ergo in hoc infirmitatis statu necessarium sit auxilium ab intrinseco efficax, datur quidem & nunc gratia *sufficiens*, sed alio plane sensu, quam Theologi isti depingant. Est ergo gratia *sufficiens* sensu Thomistico, ac nostro, illa quæ dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima & potentissima charitate. Hujusmodi sunt inspirationes, & pia animi desideria, quæ perversam animam movent atque excitant aliquantulum, sed illam ad conversionem non trahunt. Hanc *sufficientem* gratiam in seipso expertus est S. Pater paulo ante conversionem, eamque his verbis expressit octavo Confess. suarum libro cap. 5. *Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Ex quibus liquet gratiam *sufficientem* aliquem semper effectum producere, nempe pium animi motum, & bonam voluntatem, sed invalidam, & cui liberum arbitrium resistit. Sequitur etiam gratiam, quæ in uno est *sufficiens*, in altero, cujus vetus, & carnis voluntas cum nova & spirituali non adeo conflictat, ut discordando dissipet animam, esse efficacem, eamdemque gratiam talem esse respectu unius operis, E. G. orationis, quæ efficax non est comparate ad opera alia, E. G. observantiam omnium præceptorum divinorum; & demum constat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria *sufficientem*, ut alibi diximus, id est, non efficere actus salutares propter obicem carnalis, & robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quæ à nullo duro corde respuitur: & hanc nos dicimus gratiam esse *efficacem*. Igitur gratia *efficax* est illa: quæ semper cum effectu conjuncta est, sive charitas, quæ dat posse & velle, & tantum velle, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem facile vincat; nec solum dat posse bene agere, sed efficit ipsam actionem. Hanc S. Pater de Corrept. & gratia cap. XII. appellat adjutorium *quo*. Atque ibidem *sufficientem* gratiam explicat exemplo alimentorum, sine quibus non possumus vivere, nec tamen cum affuerint, eis fit ut vivat qui mori voluerit; & *efficacem* comparatione beatitudinis, quâ, cum data fuerit, homo fit continuo beatus. Hac gratia præventus Augustinus primo capite libri Confessionum noni ita Deum alloquebatur: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera & tu summa suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi & acquirendi & volutandi atque scalpendi scabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & divitiis meis, & saluti meæ Domino Deo meo.*

6. Quomodò Authoris explicatio differat à thomistis.

Verum etsi Thomistis in confessione gratiæ *sufficientis*, & *efficacis* concordissime conjuncti sumus, & consentimus nihil boni liberum arbitrium perficere, nisi victrice gratia flectatur, & determinetur ad actum; dissentimur tamen ab illis non solum in explicanda Gratiæ natura, verum etiam in eo, quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere; & gratiam quæ in uno *sufficiens & inefficax* est, non posse *efficacem* esse in altero

terò constantissime teneant, propterea quod auxilium *sufficiens* & *efficax* inter se *specie* differant, & natura. At nos eamdem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excæcatis atque obduratis, E. G. in Tyriis, Sydoniisque, foret *efficax*, & ad pœnitentiam traheret, in aliis majori cæcitate, & obduratione affectis *inefficacem* esse contendimus: nec tamen derogari gratiæ efficaci, quoniam si Deus talem delectationem inspirat, quâ perversa cupiditas superatur, id præstat beneplacito ac proposito voluntatis suæ; iisque, quos vult efficaciter bene agere, talem impertitur charitatem, quæ nunquam ab eorum, quantumvis duro, corde respuitur. Atque in eo, quod hæc delectatio modo sit victrix & valida, modo nondum idonea ad superandam vetustate roboratam cupiditatem, arbitramur magis apparere, & liberalitatem beneficiorum Dei, & Spiritus, qui ubi vult spirat, & mirabilem eorumdem beneficiorum œconomiam. Quæ omnia, tametsi aliis in locis complanare studuerim, cum non desint viri docti hanc sententiam rejicientes ad dogmata Jansenii, eo quod revera is alio tamen & perverso sensu parvam, validamque delectationem propugnaverit, nunc quatuor thesibus illustrare & vendicare conabor.

7. Ponitur conclusio 1. remissivè.

Propositio I. Gratia est inspiratio sanctæ dilectionis; neque à charitate actuali distinguitur.

Arbitror neminem hanc Thesim damnati Jansseniani erroris reprehendere, cum sit Augustini, ut supra probatum est.

8. Conclusio 2da de gratia efficaci quid sit.

Propositio II. Gratia efficax est victrix delectatio, sive charitas, quæ superat contrariam cupiditatem.

Et hæc constat ex dictis, & defenditur à Catholicis innumeris, ut dixi cap. ultimo lib. 4. Illam demonstro 1. S. P. Augustinus per delectationem victricem explicat gratiæ efficaciam: quis autem ignorat quanta sit in his quæstionibus Augustini auctoritas? Afferam perpauca, quæ nequeunt exponi de gratia habituali, cum aperte dicta sint de adjutorio in hoc statu infirmitatis ad sancta opera necessario. De Corrept. & Gratia cap. 11. pertractans de Gratia, qua indigent filii Adæ in certamine, & pugna carnis adversus Spiritum laborantes ac periclitantes, ait: *Secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate Spiritus vincat*: & proximo cap. 12. *Eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint: sed in eis etiam operatur & velle, ut, quoniam non perseverabunt nisi possint, & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.* Quid ergo est per Augustinum Gratia Medicinalis, nisi qua accenditur voluntas, atque adeo inflammatur, ut pugnantem cupiditatem prosternat? Similiter lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17. his verbis gratiæ necessitatem, atque efficaciam declarat: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quod vere non de terra ista, sed spiritaliter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, & auctor qualiumcunque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris non per nos, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Illustriora etiam sunt, quæ habentur proximo capite 19. ejusdem libri: *Nos autem quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat, quia & hoc ab ipso esse deprecandum ejus gratia didicimus dum antea lateret, ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret, ut qui gloriatur non in se, sed in Domino glorietur?* Cæcutiat autem oportet quisquis non videt his locis efficax auxilium gratiæ appellari ab Augustino suavitatem, charitatem, delectationemque victricem. Sunt magis perspicua verba S. Patris in libro de Spiritu & litera cap. 29. *Inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum facit* (Deus) *plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Et

cap.

cap. 31. *Fieret, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis, dolorisve impedit, delectatio illa superaret.* Atque his locutionibus sunt Augustiniani libri plenissimi.

9. Objectio Adversariorum Solvitur.

Solent respondere Adversarii S. Patrem vel loqui de habituali delectatione gratiæ sanctificantis, vel de illa delectatione, quæ non prævenit voluntatem, sed oritur ex libera illius electione. Sed utraque responsio apertissime falsa est, neque eget confutatione. Prima; nam constat in his saltem locis à nobis productis S. Patrem differere de adjutorio operationis necessario ad habendam, perficiendamque justitiam, ad bonum opus suscipiendum, atque implendum; de illo scilicet adjutorio, de quo cum Pelagianis acerrime decertabat: idque recitatis verbis expresse traditur. Altera etiam responsio iisdem locis revincitur; cum Augustinus requirat victricem delectationem, & charitatem, ut velimus, & diligamus. Hæc itaque delectatio, & charitas prævenit motum voluntatis, & est deliberata duntaxat, cum voluntas huic præmoventi dilectioni libere obtemperat, & prosequitur opus, ad quod trahit faciendo, ut delectet quod antea non delectabat. Quod probare debent qui prævenientem gratiam in actibus indeliberatis constituunt, quandoquidem actus illi sunt cogitatio sancta, & amor & delectatio. Si ergo gratia præveniens sit efficax, nihil erit aliud nisi bona voluntas, & delectatio victrix nobis divinitus inspirata. Atque hæc videtur esse mens Augustini de Gratia & libero arbitrio cap. 17. hæc scribentis: *Ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus nobiscum cooperatur.* Non conveniunt tamen Assertores sententiæ nostræ hac in re. Nonnulli enim, quibus consentit Macedo in Cortina Thesi 47. & 70. defendunt hujusmodi delectationem esse actum deliberatum; affirmantes in eodem puncto, quo gratia inclinat movetque suaviter, voluntatem delectatam victrice gratia actum amoris elicere, ita ut sit iste plenissime in liberi arbitrii potestate. Addunt gratiam esse principium meriti, quod sine libertate & deliberatione minime comparatur: ac demum inspirari delectationem à Deo intime nobis præsente, & perficiente libertatem, non illam necessario impellente. Atque id quidem, quod postremo dictum est, ad fidem Catholicam pertinet. Sed possumus hæc ad concordiam revocare. Etenim si gratia accipiatur ex parte Dei, quatenus est ipsa misericordia movens & charitatem inspirans; nullatenus cum nostra deliberatione conjuncta est, & hoc sensu ait Augustinus: *Ut velimus sine nobis operatur.* Si consideretur ex parte nostra, est ipsa dilectio simul à Dei inspiratione & voluntate nostra promanans; à voluntate tamen, ut à Deo intime præsente præmota: atque ideo sequitur Augustinus, *cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Quare, ut supra dictum est, Gratia quæ prævenit charitatem, est charitas Dei, sive ipse Deus nobis Spiritum suæ dilectionis inspirans: & gratia *præveniens* opera libertatis est ipsa bona voluntas & charitas nobis inspirata. Prima omem nostram deliberationem antevertit: altera cum ipsa deliberatione conjuncta est, comparate ad opera, quæ consequuntur, libertatis & meriti.

10. Probatur ulteriùs 2da conclusio.

Ut modo ad thesim disputatio nostra redeat; illa videtur etiam sacris literis, & rationi conformior. Nam verba illa Psalmi 84. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*, de gratia victricis delectationis explicari, visum est supra. Legitur in Psalmo 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Item Ezechielis 36. 26. 27. *Et dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Est ergo gratia quæ facit ut operemur, & custodiamus præcepta, illa, quæ nobis tribuit cor carneum, cor novum, spiritum novum. Quo testimonio utitur S. Pater ad demonstrandam gratiæ necessitatem & efficaciam de Prædest. SS. cap. 11. n. 22. & de Grat. & lib. arbitrio cap. 14. n. 29. ubi etiam declarat quomodo cor lapideum sit illud, in quo non præcedit charitas, sive bona voluntas. Postremo, ne proferam singula, præclara sunt verba Christi Joannis 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* quo loco pariter Christi gratia commendatur, ut constat ex lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. num. 6. Animum vero trahi voluptate idem Augustinus demonstrat Tract. in Joannem 26. num. 5. ex Virgiliano carmine, *Trahit sua quemque voluptas*: ex verbis Canticorum 1. 3. *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum*; & num. 7. si-

7. simul præfocans Janseniana decreta, *Videte*, inquit: *quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo.*

11. Et confirmatur. Eruitur hinc ratio. Etenim si voluntas trahitur voluptate; si animus movetur à bono, quod ingerit delectationem; si nemo animo amplectitur quod eum non delectat, ut idem Augustinus docet lib. 1. ad Simplic. q. 2. consequens est, ut Gratia qua trahimur, & ita movemur, ut nunquam eam respuamus, qualis est gratia efficax, inspiret tantam delectationem, quæ vincat pugnantem & contranitentem cupiditatem. Denique: *Quidquid est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delectatione:* inquit ipsemet Augustinus Serm. 6. de verbis Apostoli, nunc 155. cap. 1. Quid ergo? quicquid in nobis bonorum est ad æternam vitam conducentium, nonnisi ex charitate, & Spiritu S. movente procedit.

12. Propositio 3. quòd gratia non semper sit eadem. Propositio III. Delectatio non eadem est in omnibus, sed modo efficax, modo inefficax, & habet charitas, & gratia gradus suos, ex quibus absque ullo præjudicio absolutæ Dei voluntatis mirabilis ejus œconomia una cum vera arbitrii nostri libertate facile potest dignosci.

13. Probatur authoritate. Probatur hæc thesis 1. sancti Patris Augustini testimoniis locupletissimis. Qui in secundo libro de Peccatorum meritis cap. 5. ait: *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum; illum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.* De Gratia & libero arbitrio cap. 15. *Gratia vero Dei*, inquit, *semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuerat voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata qui voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et cap. proximo 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est magnâ charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait: Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sermone pariter 17. de verbis Apostoli nunc 159. ait: *Amanda est enim justitia & in justitia amanda gradus sunt proficientium. Prius est ut amori justitiæ non præponantur omnia quæ delectant, ipse est primus gradus. Quid est quod dixit ut inter omnia quæ delectant plus te delectet ipsa justitia, non ut alia non delectent, sed prius ipsa delectet.* Explicat ibidem hos gradus exemplo cupiditatis impudici adolescentis: qui primo injicit oculos in conjugem alienam suavitate illiciente deinde amat libere mulierem, eamque cupit, sed quærit latere: sic enim amat voluptatem, ut timeat; latere enim quærit, quia timet apprehendi, torqueri, & occidi, quæritque latebras suavitatis suæ appetitione. Ducitur enim suavitate, sed hæc non est tanta, ut vincat etiam timorem. Audacior factus etiam verecundiam timoremque depellit. Ita primo pulchra justitia ostendit se oculis cordis, & inspirat fervorem amatoribus suis: jam dicit cordi, Contemne quiquid te aliud delectat. Contemnitur quidquid delectabat, sed nondum expellitur timor. Perficitur tum charitas; & cor amat, ardet, fervet, venit ad aspera & truculenta, calcat, frangit, transit. Summatim Augustini sensa exscripsi iisdemque fere verbis.

14. Et ratione. Probatur 2. ratione. Enimvero Gratia efficax est medicinalis & sanans: ut ergo infirmitas est major & minor, & concupiscentia carnis plus aut minus intensa, ita oportet magis, minusve validum exhiberi ægrotis medicamentum. Deinde concupiscentiæ motus non sunt ejusdem rationis, sed varii: aliquando enim tenuis excitatur in nobis cupiditas; interdum pugnax est, & robusta: quandoque adeo vehemens, ut ad eam repellendam magna sint adhibenda remedia: non semel etiam in ejus lucta robustiores, Deo permittente, succumbunt. Ergo nec ejusdem rationis sunt motus gratiæ, quæ nobis in remedium infirmitatis subministratur; nunc enim ejusdem inspirationes vix sentiuntur; nunc pulsant animum vehementius: nunc adeo alliciunt, ut vincant carnalem omnem delectationem; nunc tanto ardore voluntatem accendunt, ut minacia quæque & horrenda parvipendat & vincat. Præterea quis facile credat eamdem, quantum attinet ad motionem & impulsum, gratiam esse in Martyre qui teterrima supplicia suffert, & in eo, qui vix adigitur ad leviſſimam injuriam tolerandam? Quis dixerit eadem gratia præventos fuisse Sanctos omnes, quorum diversa sunt merita, dispares virtutes, & inæqualis in beatitudine merces? Quis demum sibimet persuadeat, non plus gratiæ, ac sanctæ delectationis requiri ad vincendam

dam robuſtam conſuetudinem, quam ad caſte vivendum inter mortificati ſenſus illecebras?

15. Probatur exemplo.

Tertio commonſtratur theſis præclariſſimo exemplo Converſionis S. Patris Auguſtini, in qua maxime œconomia gratiæ relucet. *Paulatim tu Domine* (inquit idem Auguſtinus lib. VI. Conf. cap. 5.) *manu mitiſſima & miſericordiſſima pertractans, & componens cor meum.* Cœpit ipſum pungere, & inſpirans contrariam cupiditatibus ſuis dilectionem reddidit illas minus jucundas & dulces: *Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere quod non eras tu*; ait ſequenti cap. 6. Tum conſcientiæ aculeis illum pupugit: quod eleganter ſcripſit lib. VII. cap. 8. *Placuit in conſpectu tuo reformare deformia mea, & ſtimulis internis agitabas me, ut impatiens eſſem, donec mihi per interiorem adſpectum certus eſſes. Et reſidebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesque conturbata, & contenebrata mentis meæ acri collyrio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanabatur.* Poſthac cœpit Auguſtini cor ad bonum incommutabile trahi; ſed inde robuſta carnis concupiſcentia ſtatim retrahebatur. *Et non inſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar à te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc conſuetudo carnalis*; ait cap. 17. Deinde voluntas nova, quam in Auguſtino operata eſt gratia Dei adverſus cupiditatem decertavit vehementiùs; ſed cum hæc eſſet robuſta, & quaſi anſulis ſibimet innexis teneret Auguſtini voluntatem obſtrictam dura ſervitus, pugnabant invicem charitas & cupiditas, nec una alteram ſuperabat: *Ita duæ voluntates meæ* (inquit lib. VIII. cap. 5.) *una vetus, alia nova, illa carnalis, illa ſpiritualis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipſo experimento id, quod legeram, quomodo caro concupiſceret adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Acceſſit uberior gratia, quæ etſi cor Auguſtini non traxit omnino, continuit tamen à priſtinis ſceleribus, reddiditque timidiorem, ne vetus concupiſcentia invaleſceret. Quam gratiam ita deſcribit undecimo capite: *Sic ægrotabam, & excruciabar accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac volvens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen: & inſtabas tu in occultis meis, Domine, ſevera miſericordia, flagella ingeminans timoris, & pudoris, ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur id-ipſum exiguum & tenue quod remanſerat, & revaleſceret iterum, & me robuſtius alligaret.* Tandem, ut narrat cap. 12. infuſa cordi ejus luce ſecuritatis, ab illo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, ac tantâ accenſus eſt charitate, ut nunquam talem antea jucunditatem expertus fuerit: *Convertiſti enim* (ita in fine octavi libri Deum alloquitur) *me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi hujus, ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei* (Monicæ) *revelaveras*, &c. Hoc ſane exemplo firmiſſima auctoritate comprobato conſtat gratiam gradualitatem habere, nec ſemper eſſe effectricem ob reluctantem concupiſcentiam, perſæpe liberum arbitrium ei reſiſtere; & licet ſemper effectum aliquem producat, piumque animi motum, non tamen ſemper conjunctam eſſe cum illo effectu ad quem ordinatur; efficere tantummodo id, quod Deus abſoluta voluntate decrevit: omnia demum diſponere ſuaviter, ſecundum rectiſſimum voluntatis divinæ beneplacitum.

16. Gratia dependet à ſolo beneplacito divino.

Interdum tamen, ut quisque videat non pendere ab ulla temporum locorumque circumſtantia, quod unum minus, alterum magis adjuvet, ſed à ſuomet beneplacito, & à poteſtate quam habet inclinandi voluntatem noſtram quando, & quomodo ipſi libuerit, ſtatim repugnantem, obcæcatam, poſitamque aliquando in circumſtantiis oppoſitis prævenit flagrantiſſima ac potentiſſima charitate, emollit, frangitque duritiem, & producit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Quod probant Evangelica exempla mulieris, quæ erat in Civitate peccatrix, quæ ſtatim ac cognovit turpitudinem ſuam, ad Chriſti genua provoluta lacrymas & unguenta profudit: latronis, qui ſuffixus cruci credidit Salvatori, & veniam, regnumque petivit: Matthæi, qui vocatus ſtatim deſeruit telonium & lucrum; & Pauli, qui percuſſus & proſtratus de cœlo, dum perſequeretur Eccleſiam, confeſtim de lupo in agnum mutatus eſt. Quare errant, qui opinantur ſententiam noſtram derogare gratiæ efficaci, & abſolutæ Dei voluntati; cum ſemper ſit efficax illa gratia, quam Deus vult talem eſſe, movetque *illum tantum, illum non tantum ſecundum ſecretæ æquitatis rationem, & excellentiam ſuæ poteſtatis.*

17. Hæc ſententia eſt contra mentem Janſenii.

Propositio IV. Hæc doctrina nihil habet affinitatis cum hæreſi Janſeniana. Pro-

18. Probatur ostendendo differentiam

Probatur; nam Jansenius, ut ostendam, quando ad illius dogmata perveniet disputatio, & consentiunt omnes Anti-Janseniani, statuit efficaciam gratiæ in delectatione victrici, quæ à deliberatione & indifferentia liberi arbitrii penitus sejuncta est. Nos vero dicimus indeliberatam quidem esse hanc delectationem, quatenus inspiratur à Deo; & proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus assensus, firmissime tenemus, cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis. At hæc delectatio victrix conjuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur à libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim sit hæc efficax gratia antecedens, & Deus sine nobis faciat, ut velimus; nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriæ, ideoque remanet indifferentia judicii, & vera libertas, quam habere nequeunt beati in patria; ut explicavi in libro de Scientia Dei cap. XIII. Regula sexta, de Angelis cap. pariter XIII. & de primo homine cap. X. Quamobrem sequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eoquod animus amplectatur bonum quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali. Et si quidam ex nostris tenent posse nos mereri etiam per primum actum dilectionis, quem in nobis excitat gratia efficax; contendunt hunc actum esse deliberatum & cum indifferentia judicii, & posse eumdem actum prout inspiratur à Deo necessarium esse, & prout elicitur à voluntate, indifferentem & liberum. Non ergo nos, neque nostratium aliqui, propugnamus delectationem victricem juxta Jansseniana decreta.

19. Ea magis deducitur.

Pari jure discrepamus circa gratiam inefficacem. Primo enim fatemur qualemcunque gratiam in hoc statu sive parvam, sive magnam esse gratiam Christi. Deinde defendimus dari gratiam inefficacem, cui voluntas resistit. Ac tandem per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam, sed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax. Sed de his alibi. Interim legendus Norisius in Jansseniani erroris calumnia sublata cap. 4. Cæterum si Jansenius parvam & inefficacem delectationem his limitibus continere studuisset, non declinasset ad errores merito ab Ecclesia proscriptos: à quibus immunes censendi sunt, qui famosas quinque propositiones sincere anathematizant, sive gratiam in delectatione constituant, sive in qualitate aliqua, sive in motione Dei actus indeliberatos præveniente. Obtemperandum est Innocentio XII. qui ad reprimendam audaciam eorum, qui Thomistas, & Augustinianos Theologos Jansseniani erroris insimulant, in Brevi Apostolico dato ad Episcopos Belgii anno 1694. hæc opportune mandavit: *Demum ad extinguenda Theologorum jam pridem inter se excitata dissidia, fraternitatibus vestris injungimus ne ulla ratione quempiam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenistæ traduci aut nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse.*

OBJECTA QUÆDAM ADVERSUS HAS THESES DILUUNTUR.

20. Objicitur 1.

Arguunt primo: Aliud datur principium bonorum operum longe diversum à sancta delectatione & charitate, id est timor Domini, quem donum esse Spiritus Sancti & nos continere à malo demonstrant sacræ literæ, definit Tridentina Synodus sess. 6. cap. 6. affirmatque locis pluribus Augustinus. Non ergo omnis gratia est delectatio.

21. Et Solvitur.

Respondetur timorem utique delectationem non esse; ille enim est metus mali appropinquantis, hæc motus animi cupientis; per illum voluntas retrahitur à malo horrore supplicii, per istam trahitur ad bonum amore justitiæ; unius objectum est pœna, alterius id, quod oblectat: cumque virtutes, & illarum officia distinguantur invicem per objecta, atque per rationem, qua in illa fertur voluntas, timor certissime non est charitas illa deliberata, in qua singularis species virtutis comprehenditur. Verum & timor & charitas idem principium habent sive consideretur voluntas, quæ timet & amat; sive Spiritus Sanctus, qui timorem & amorem inspirat; sive Gratia, à qua timoris & amoris est actus. Hæc gratia est inspiratio charitatis & dilectionis, quæ, ut S. Pater explicat laudato Sermone XVII. de verbis Apostoli, primo facit ut voluntas contemnat quod antea illicite delectabat, inspiratque bonæ voluntatis fervorem. Voluntas sic excitata deprehendit in bono quo antea illicite delectabatur mala plurima, præsertim vero meritum gehennæ: concutitur hoc pacto timore, & huic, ut liquet, inspiratio bonæ voluntatis, & sanctæ dilectionis præcessit. Quisquis enim bene timet, bonam voluntatem habeat necesse est. Et quoniam timor supernaturalis refer-

refertur in Deum, eumque respicit ut Judicem justum & rectum, nec aliud est pondus, quo fertur animus, nisi Amor; timor sanctus non sine aliquo amore excitatur. Ipse tamen non est amor, quoniam sistit in rigore justitiæ, & nondum ascendit ad summi boni jucunditatem. Dum in hanc sese vibrat animus, amare dicitur, atque ita timor sternit viam charitati, *& incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus*, ait Augustinus in Psalmum 127. Ita Gratia timorem, timor charitatem præcedit: & illa est bonorum omnium principium, timor remota ad justificationem dispositio, charitas vero proximior. Ignis etiam cum primum viride lignum calore pervadit, efficit vaporem fumi; tum calefit: posthac lignum flammam concipit, & comburitur. Itaque concedo timorem non esse charitatem, & nego timorem non excitari à gratia, quæ est charitas. Videatur etiam Basilius Poncius de necess. gr. pag. 36. ubi ex doctrina D. Thomæ demonstrat, nunquam voluntatem operari, ut voluntas est, nisi operetur primum ut natura, & moveatur delectatione boni.

22. Objectio 2da. Arguunt 2. Interdum superiorem delectationem nobis divinitus inspiratam sentimus, nec tamen efficacem gratiam habemus; inepte ergo in illa majori delectatione gratia efficax constituitur. Antecedens probatur verbis S. P. Augustini, qui libro VIII. Confess. cap. 8. *Non faciebam*, inquit, *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.*

23. Rejicitur. De hoc Augustini testimonio scribit Honoratus Tourneley de Grat. Christi art. ultimo pag. Venetæ edit. 661. decretorium esse, eoque mire premi superioris delectationis defensores. At mihi sententiam nostram insigniter confirmare videtur. Enimvero S. Pater causam reddens, cur ante conversionem perageret multa, quæ aliquando volunt homines, & non valent, si aut membra non habeant, aut hæc sint vinculis colligata, vel resoluta languore; nec obsequeretur motibus bonæ voluntatis, cui per Spiritum Sanctum longe jucundior delectatio divinitus inspirabatur; quod sane principio videtur monstrum, cum in prioribus actionibus, cujusmodi sunt capillos vellere, frontem percutere, & genua consertis digitis amplecti, animus imperet corpori, & in sancto commutandæ vitæ proposito animus imperet sibi ipsi: causam inquam, hujus rei proferens Augustinus docet, ideo corporales illos actus se effeciisse, quoniam etsi minus in se delectabiles, voluntas ex toto volebat; atque contra, motibus indeliberatis sanctæ delectationis, licet amplioris, & fervidioris, resistebat pugnaciter, propterea quod voluntas non tantum cœlesti bono delectabatur, sed etiam terrenis longa consuetudine prægustatis. Quamobrem in his non volebat ex toto, sed partim volebat, partim nolebat; volebat dum illum gratia sancta delectatione excitabat, nolebat dum vetus consuetudo illum trahebat; ideoque Gratia illa efficax erat respectu indeliberatæ delectationis, qua Augustini cor tangebatur; non erat efficax respectu conversionis, ad quam invitabatur: & non erat efficax, quoniam robusta consuetudo opponebat nolle, quod non opponebat corporeis illis actibus minus delectabilibus. *Non igitur monstrum* (inquit S. P. sequenti cap.) *partim velle, partim nolle, sed ægritudo animi est; quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri.* Quid igitur pro nostra sententia expressius & clarius? Hisne mire Adversarii nos premunt? Ergo servata syllogismorum ratione dist. ant. Interdum superiorem delectationem divinitus inspiratam sentimus, nec tamen habemus efficacem gratiam, efficacem comparate ad motum, ac desiderium animi in nobis excitatum, nego: efficacem respectu operationis, cujus desiderio accendimur, sed istud reluctante mala voluntate reprimitur, concedo. Atque hic obiter nota, nos frequentissime interiori gratiæ resistere, quoniam, etsi efficiatur in nobis bona voluntas, & sanctum desiderium conversionis, hanc tamen non exequimur ob pugnantem carnis cupiditatem, cui indifferentiâ libertatis magis obsequi volumus, quoniam nondum voluntas spiritus vincit voluntatem carnis contraria concupiscentem.

24. Objectio 3tia refutatur. Arguunt 3. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam;* quibus similia habet q. 70. art. 4. Non sunt ergo admittendi plures gradus efficacis gratiæ ob pugnantem carnis concupiscentiam.

Resp. loqui S. Thomam utroque in loco de gratia justificationis, quam conferebant vetera Sacramenta. Gratia autem sanctificans, quantumvis minima, omnium maximarum cupiditatum affectus reprimit, dummodo præsto sit etiam gratia actualis, quam certissime D. Thomas præter habitualem existimat necessariam. Quod & nos affirmavimus præcedenti cap. Prop. 2. Sicut ergo testimonium

nium D. Thomæ non excludit necessitatem gratiæ prædeterminantis, ut reapse resistat justus cuilibet concupiscentiæ; ita non excludit inspirationem victricis delectationis, sive bonæ voluntatis magnæ & robustæ, quâ valde perfecteque velit, & determinetur ad opus. His enim terminis gratiam operationis nobis Augustinus delineat. Scriptor librorum de Vocat. Gen. lib. 2. cap. 11. *Donum charitatis*, inquit, *non est semper ejusmodi, ut quicquid ad plenitudinem ipsius pertinet simul à percipiente sumatur; est enim amor qui potest alio amore superari, & sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum fervorem, Spiritu Sancto inflammante, profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo possit tepore languere.* Nos præterea concedimus cum minima gratia actuali, etiamsi de hac S. Thomas non disserat, posse homines resistere cuilibet cupiditati, at non potentia illa proxima & expedita, quæ necessitatem gratiæ prædeterminantis ad perficiendam operationem penitus tollat. Verum de hac non levi difficultate disceptandum est infra. Alio quoque sensu minima charitas obsistit cuilibet cupiditati; nempe charitas est erga bonum incommutabile; cupiditas fertur in bona commutabilia: superat vero una guttula illius boni, istorum omnium plenitudinem, atque affluentiam. Oportet tamen, ut gustetur ab anima sensuum oblectamentis inhiante, quod summum illud bonum nobis submministratione Spiritus Sancti dulcescat.

25. Objectio 4ta reprobatur.

Arguunt 4. Plura ex hac nostra sententia consequuntur absurda; atque illud inprimis non dari in hoc statu auxilium *sufficiens* contradistinctum ab efficaci; quæ assertio hæretica est, & damnata. Si enim natura gratiæ sita est in sanctæ dilectionis inspiratione, necesse est semper ubi est gratia, dilectionem esse, & effectum illius semper produci. Sequitur ex adverso non dari gratiam ab intrinseco efficacem; hæc enim semper cum effectu conjuncta est; quod non intervenit in explicata sententia, juxta quam, si gratiæ major obsistat concupiscentia, redditur à nobis inefficax. Sed & emergit incommodum istud, veram esse opinionem Congruistarum, & scientiam *mediam* à nobis alibi refutatam, quandoquidem per nos gratia non erit efficax ex divinæ voluntatis absoluto beneplacito, sed ob nostram majorem, minoremve dispositionem.

Resp. Nec minimum ex hisce incommodis è sententia nostra deduci. Non primum; quoniam semper quidem Dei gratia sortitur effectum aliquem, scilicet pium desiderium, & sanctam delectationem indeliberatam; at non semper efficit voluntatem plenam & deliberatam, nec opus illud, ad quod ordinatur. Id vero in omnibus fere Scholis de Auxilio *sufficiente* admittitur. *Omne auxilium sufficiens* (inquit Alvares lib. VIII. de Auxiliis disp. 8. num. 2.) *omne auxilium sufficiens comparatione unius actus, semper est efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis destinatur, v. g. auxilium sufficiens ad actum fidei efficaciter producit in homine pias cogitationes, & notitias credendorum, vel pia desideria habendi fidem, & alios hujusmodi actus imperfectos, qui regulariter loquendo antecedunt assensum fidei.* Et infra num. 5. *Auxilium actuale dicitur efficax comparatione effectus, sive actus imperfecti quem producit: & sufficiens comparatione actus perfecti, quem potest producere, & ad quem ultimate ordinatur.* En, quantum pertinet ad gratiam sufficientem, sententiam nostram nihil discrepantem ab ea, quam Alvares eodem loco testatur esse inter recentiores Thomistas communem, & expresse traditam à D. Thoma in 3. contra Gentes cap. 159.

26. Differentia inter sententiam authoris, & Jansenii.

Discrepat autem hæc sententia multiplici titulo à pravo dogmate Jansenia-no: ac primo, quoniam Gratia sufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam scilicet mentis collustrationem, ac pium voluntatis motum producit, etiamsi ad actum non trahat, ex se ad illum ordinatur, ad illum excitat, ad illum etiam, nisi reluctaret perversa voluntas, foret efficax; non enim divina liberalitate eo fine confertur, ut in parva ac invalida voluntate humanum arbitrium torpescat, sed ut nitatur ad opus, studeatque orando robustiorem gratiam à Deo impetrare. Jansenius è contra parvam quidem, & invalidam voluntatem à Deo inspirari fatetur, sed quam necesse sit permanere infirmam atque torpentem, nisi submministretur delectatio tam vivida, quæ arbitrium trahat indeclinabili necessitate; adeo, ut quibus hæc deest, gratia inefficax conferatur, non ut possint converti, sed ut Deo vocanti vetusta cupiditate, quam refrenare non valeant, & fatali quadam necessitate repugnantes evadant iniquiores; ac melius esset perversis hominibus, si Deus inefficax adjutorium minime largiretur. Quare nonnulli filii iniquitatis pestifero hoc dogmate imbuti propugnatum à nobis auxilium sufficiens in peccatoribus, qui non respiscunt, inutile & noxium temere pronuntiarunt; quasi talibus peccatoribus

fas

fas esset prorumpere in blasphemam illam, damnatam, horrendissimamque deprecationem, *A gratia sufficiente libera nos, Domine.* Deinde in pia illa affectione, quam per gratiam sufficientem nos dicimus hominibus inspirari, tribuitur operis, non quidem executio, sed vera potestas, quamquam non expedita, ut reapse prodeat in actum; quod, ut diximus, non gratiæ defectus est, sed voluntatis humanæ obicem ipsi gratiæ opponentis: quum è contra in Jansenia-no Systemate impie fabricato ad libertatis exitium non detur sanctæ operationis potestas, nisi adsit gratia necessitatem inferens, & nisi in alterno cupiditatis, & castæ delectationis conflictu, hæc illam superans in bonum voluntatem nostram tanta vi, ut nequeat contraniti, compellat. Præterea in illo actu indeliberato, qui sufficientis Gratiæ effectus est, cum sit sola lubentia & trahens voluntatem cupiditas, at non electio, & indifferentia, cum non sit optionis nostræ actus ipsius excitatio: non reperitur meritum libertatis, quod nunquam comparatur, nisi voluntas gratiæ excitanti cum deliberatione, & libere obtemperet. Ex adverso autem Jansenii, qui ad merendum necessariam putant solam libertatem lubentiæ, etiam in motibus indeliberatis, & in parva illa delectatione, quam Deus operatur in nobis sine nobis, meritum tenentur agnoscere; ideoque juxta Jansenii placita quælibet delectatio est gratia efficax, & meriti vere operatrix. Verum de erroribus Jansenianis postea.

27. An gratia efficax sit semper efficax absolute.

Quantum vero attinet ad gratiam efficacem, dicimus hanc utique aliquando esse absolutam, ita ut omnem penitus duritiem frangat cujusque cordis; qualis fuit gratia collata Paulo. At sæpenumero est efficax tantum comparative, id est, in uno, non in altero, quoniam in illo minorem, in isto majorem invenit obdurationem. Gratia enim efficax medicinalis est, & necessaria ob infirmitatem, & pugnam inter carnem & spiritum. Medicamenta autem ordinariâ lege exhibentur juxta ægroti malam valetudinem & languorem. Sat erat unicus intuitus Petro, ut fleret amare; Paulus contra stimulum calcitrans erat majori voce, & ampliori luce juvandus. Hinc admonemur, ne terrenis cupiditatibus, & pravæ consuetudinis vinculo nos implicemus, ne gratiæ adjutorium sit hac de causa sufficiens tantum, & ob robustam concupiscentiam inefficax. Nec inde sequitur nos scientiam *mediam*, aut sententiam Congruistarum probare: siquidem, ut supra cum Augustino monuimus, quod Deus adjuvet illum tantum, istum non tantum, non pendet à circumstantiis extrinsecis personæ, loci, vel temporis, neque à præscientia boni usus arbitrii, sed à secretæ æquitatis ratione, & potestatis divinæ excellentia: & cum Deus efficaciter vult, inspirat tam vividam delectationem, quæ facile vincat, salva semper indifferentia liberi arbitrii, contrarios motus pugnantis concupiscentiæ.

Arguunt ultimo. Destruit hæc sententia systema alibi à nobis propugnatum, quod in statu innocentiæ necessaria non fuerit ad perseverandum gratia ab intrinseco efficax; imo sequitur Adamo gratiam efficacem fuisse collatam, nec tamen perseveravisse. Nulla quippe in Adamo & in Angelis ante lapsum fuit inordinata delectatio creaturæ; ergo delectatio charitatis erat in illo superior & victrix, ideoque efficax ab intrinseco. Imo quomodo Adam in peccatum prolapsus est, cum nulla illius animum pulsaret cupiditas? Postremo nonne Beati necessario Deum amant, quia nulla in eis est delectatio terrena? Pari ergo jure Adamus & Angeli debebant necessitate quadam summo bono adhærere, si nulla adversus ipsorum gratiam concupiscentia pugnabat. 28. Objectio 5ta declaratur.

Resp. Nego ant. Angelis enim, ac primo homini, cum primum facti sunt, data est per gratiam sanctificantem charitas & bona voluntas habitualis, quæ beneficium erat Dei condentis naturam, simulque largientis gratiam, non meritum hominis, cujus deliberationem antevertebat. Data est & gratia actualis, sine qua non sua culpa cecidissent, quoniam non talis erat natura creata, ut posset sine adjutorio Creatoris in accepta justitia perseverare. Hoc adjutorium, ut Augustinus docet, & nos non uno in loco demonstravimus, dabat posse, non dabat velle; scilicet non erat inspiratio sanctæ dilectionis determinate trahentis voluntatem ad hoc, vel illud bonum; cum posset liberum arbitrium cum sola gratia versatili potentia proxime expedita ad perseverandum determinare seipsum. In Adam ergo, quia non aderat terrena cupiditas flectens liberum arbitrium ad malum, necessaria non erat inspiratio sanctæ dilectionis ipsum determi-

minantis ad bonum; & quoniam deerat hæc sancta actualis dilectio, quæ determinate dat velle, non erat consequenter gratia ab intrinseco efficax. Peccavit vero primus homo, quia cum posset se convertere ad summum bonum, in semetipsum mentem animumque convertit, atque in tanta non peccandi facilitate propriam magnitudinem turpiter concupivit. Sed hæc omnia alibi sunt à me pertractata. Beati demum non idcirco amant Deum necessario, quod nulla in eis sit permixtio adulterinæ delectationis, ut fallaciter scribit Jansenius lib. IV. de Gratia Christi cap. 8. sed necessario Deum amant, quia illum vident ut est in se, atque hæc visio nequit consistere cum indifferentia judicii, & cum vera libertate Jansenianis ignota. De gratiæ ergo natura satis multa.

CAPUT IX.

Sitne in hoc infirmitatis statu admittenda Gratia ab intrinseco efficax?

SUMMARIUM.

1. & 2. Refertur Opinio Moliniana & refutatur.
3. & 4. Refertur opinio Congruistarum.
5. Alia Societatis Jesu Sententia refertur.
6. Explicatur Sententia thomistarum.
7. Propositio: datur gratia ab intrinseco efficax & Probatur 1. ex Scriptura.
8. Responsio adversariorum refutatur.
9. Confirmatur Conclusio amplius ex S. Scriptura.
10. Respondetur argumentis Molinæ.
11. Probatur alio argumento scripturæ.
12. Refutatur Suaresius.
13. Ac confirmatur prius argumentum.
14. Adducitur tertiò probatio ex S. Scriptura.
15. Satisfit responsis adversariorum.
16. Probatur Conclusio 2do ex orationibus Ecclesiæ.
17. Rejiciuntur responsiones contrariæ.
18. Probatur tertiò authoritate S. Augustini.
19. Referuntur responsiones Molinæ
20. Sequuntur aliæ authoritates ex eodem S. Patre.
21. 22. 23. 24. Referuntur adhuc alii Textus dicti S. Patris.
25. Reconciliantur objectiones thomistarum.
26. Referuntur aliæ objectiones contra S. Augustinum.
27. Eædemque refutantur.
28. Manutenetur authoritas S. Augustini.
29. Et conclusio probatur ex aliis SS. Patribus.
30. 31. & 32. Solvuntur objectiones.

1. Refertur opinio Moliniana.

EXPLICATA efficacis Gratiæ natura, quæritur nunc an admittenda sit in hoc statu Gratia ab intrinseco *efficax*. Nam Gratiam efficacem omnes quidem Theologi dari consentiunt; sed unde illius efficacia sit repetenda, magnum in Scholis est, gravissimumque dissidium. Contendunt Moliniani gratiam suam habere efficaciam à voluntatis consensu. Quod ut quisque percipiat, controversiam, ut inquiunt, ab ovo explicabo. Ludovicus Molina insignis Societatis Jesu Theologus, ut facilius everteret hæresim Calvinianam, & arbitrii libertatem cum Dei gratia expedite conciliaret (quod sane consilium laudandum erat, si hujus conciliaturæ rationem ex Patrum regulis, non ex humanis figmentis proponere studuisset) anno 1588. librum, quem inscripsit *Concordiam*, edidit in lucem. In 1. autem Parte q. 23. art. 45. disp. 1. membro ultimo rationem illius Concordiæ à se traditam fatetur novam esse, & Gratiæ invictissimo Propugnatori Augustino prorsus ignotam. *Si ea data* (inquit) *explanataque semper fuisset, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare obtendentes cum divina Gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse, neque ex Augustini opinione, & concertationibus cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent, facileque Reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ.* Ex quo notandum obiter, tam singularem esse Molinæ de se opinionem, ut se magno Augustino existimet præferendum, & à se adinventam doctrinam antiquissimæ, plenisque Romanorum Pontificum oraculis consecratæ. At in hanc hominis jactantiam perbelle vir clarissimus Jacobus Le-Bossu Ordinis S. Benedicti, & Theologus Parisiensis in suis adver-

adversus Molinianum Opus Animadversionibus cap. 2.

2. Et refutatur.

Præcipuum ergo hujus Auctoris dogma, ut docet loco citato disp. 2. membro 5. nec non in *Concordia* q. 14. art. 13. est gratiæ efficaciam ex solo liberi arbitrii consensu metiendam esse, id est, *auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad conversionem seu justificationem sint, pendere à libero consensu, & cooperatione arbitrii nostri cum illis, atque adeo in libera potestate nostra esse, vel illa efficacia reddere consentiendo, vel inefficacia illa reddere continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.* Arbitratur enim Molina Deum eodem prorsus affectu omnibus conferre gratiam, eamque subjicere arbitrii libertati, pro cujus nutu reddatur efficax, vel inefficax; ita ut nullum sit discrimen inter gratiam sufficientem & efficacem ex parte Dei, & in actu primo, sed in actu secundo duntaxat, dum liberum arbitrium Indifferenti auxilio præventum, absque vividiori motione vult, aut non vult assentiri. Hinc non est, juxta Molinam, in Deo absoluta voluntas conferendi donum perseverantiæ, nisi ob prævisionem liberi consensus, quo liberum arbitrium gratia illa pedisequa bene utitur. Vulgavit quidem primus omnium hanc opinionem Salmanticæ anno 1581. Prudentius de Monte-Major Jesuita, & Lovanii ab anno 1585. Leonardus Lessius, & Joannes Hamelius ejusdem Instituti: sed cum Molina in Conc. q. 14. art. 13. disp. 53. profiteatur se ante annos triginta scientiam *mediam* & mente præformasse, & in Scholasticis quoque disceptationibus illam propugnavisse sub naturalis scientiæ vocabulo; æquum est Molinam auctorem, placitumque istud appellare Molinianum.

3. Refertur & explicatur.

Altera est sententia Congruistarum, quam majori consensione modo PP. Societatis defendunt, nam Molinæ scitum alienum à sententia divinarum scripturarum esse, & evertere fundamentum prædestinationis divinæ, scribit Bellarminus lib. 1. de Grat. & lib. arbitrio cap. 12. Vide ipsum Bellarminum Tom. 4. edit. Parisiensis an. 1608. pag. 420. Lugdunensis an. 1593. p. 426. Tomi tertii, postremæ etiam Venetæ an. 1721. Tom. 4. pag. 228. nec non aliarum. Sane ibidem his verbis Bellarminus Molinæ sententiam declineat: *Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens.* Hac autem scientia, quam Molinianam esse constat, exposita, *Hæc opinio aliena est omnino* (inquit) *à sententia B. Augustini, & quantum ego existimo à sententia etiam Scripturarum divinarum*: quod etiam invictis argumentis demonstrat, ut mirum sit nonnullos negasse hoc esse Bellarmini de sententia Molinæ judicium. Eandem opinionem ut diminutam, licet non ut falsam, reprobat lib. 3. de Auxiliis cap. 3. num. 8. Franciscus Suarez, rejicit omnino Adam Tannerus Tom. 2. disp. 6. de Grat. q. 2. dub. 5. num. 8. extatque adversus illam decretum Claudii Aquavivæ Generalis Jesuitarum Præpositi editum anno 1613. die 14. Decembris. Est autem sententia Congruistarum exposita à Suaresio lib. 111. de Auxiliis divinæ gratiæ cap. 14. In quo docet efficaciam Gratiæ in hoc sitam esse, *Quod Deus infinita sua sapientia prævidens, quod unaquæque causa, seu voluntas in omni eventu & occasione operatura sit, si in ea constituatur, quando, & cui vocationi sit unaquæque voluntas assensum præbitura, si ei detur, unde quando vult hominem convertere, vult etiam illum vocare illo tempore, & modo, quo novit illum consensurum. Et talis vocatio vocatur efficax, quia licet in se non habeat infallibilem effectum, tamen ut subest tali scientiæ divinæ infallibiliter est illum habitura.* Hæc est illa Gratia, quam *Congruam* appellitant: propterea quod congruo tempore & modo hominibus conferatur; & hanc immerito Tournely comparat art. ultimo pag. 676. gratiæ victricis delectationis, cum hæc ad gratiam sufficientem addat majorem abundantiam charitatis, per quam voluntas ita inflammatur ut velit, & tantum velit, ut faciat. Econtra Gratia hæc Suaresiana, ut idem Auctor fatetur citato loco num. 14. nullam intrinsecam motionem requirit præter illam, quam præstat auxilium *sufficiens*, sed tantummodo congruas circumstantias, in quibus per scientiam *mediam* prævidet Deus humanam voluntatem fore divinæ vocationi obtemperaturam.

4. Sententia congruistarum.

Hæc sententia non exploditur memorato Decreto Generalis Aquavivæ, à quo tamen proscribitur sententia Molinæ. Præcipit enim, ut Patres Societatis *doceant inter eam gratiam, quæ effectum reipsa habet, & eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia una ex usu liberi arbitrii etiam cooperantem gratiam habentis effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ea media selegit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibilem habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia & in actu primo contineri, atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam, qua facere possimus.* Hæc Claudius Aquaviva. In quibus verbis, inquit citato loco Tannerus, negari nullo modo potest plane definiri gratiæ efficaciam *formaliter* non esse sitam in ipsamet cooperatione sua, sed etiam in actu primo prius natura efficacem esse, quam cooperatio nostra absolute secutura sit. At Mutius Vitelleschi Aquavivæ successor, postulantibus quibusdam PP. Societatis, an præmisso decreto doctrinam de gratia per se efficaci tenerentur amplecti, declaravit id eis nequaquam esse præscriptum. Et revera, cum an. 1586. curante potissimum ipso Generali Aquaviva prodierit. *Ratio atque institutio studiorum*, ubi quinta regula declaratur, liberum Sociis esse à sententia B. Thomæ circa causarum secundarum præmotionem recedere; credibile non est voluisse Aquavivam rescindere jam editas, receptasque communibus suorum plausibus præceptiones. In hac Congruistarum sententia defenditur à nonnullis absque gratia ab intrinseco efficaci Prædestinatio ad gloriam gratuita; cujus prædestinationis executio ex illis circumstantiis sit repetenda, in quibus Deus ab æterno prævidit, liberum arbitrium subministrationes gratiarum minime aspernaturum.

5. Alia Societatis Jesu sententia refertur.

Defenditur in scholis ejusdem Societatis Jesu alia quoque sententia, efficaciam gratiæ sitam esse non in hac vel illa particulari vocatione atque inspiratione, sed in omnium complexu, non quod liberum arbitrium sit, ut sancte operetur, beneficiorum divinorum plenitudine cumulandum; sed quia Deus in thesauris Sapientiæ suæ plures habet gratias, quarum collectionem homo repudiare non potest, tametsi repudiare possit singulas distributive sumptas, cum nulla sit ex suis intrinsecis cum effectu infallibiliter conjuncta. Hi nimirum Theologi tam gratuitam prædestinationem ad gloriam, quam speciale donum perseverantiæ electis divino beneplacito præparatum concedunt, sed cum se divellere nequeant à Scientia *media*, quam ad salvandam futurorum liberorum contingentiam existimant necessariam, inquiunt hunc, vel illum liberi arbitrii actum non dependere à cælesti delectatione prædominante, neque à prædeterminatione Thomistica, sed tantummodo ab illa gratia ex cumulo gratiarum omnium selecta: atque independenter ab omni absoluto decreto à Deo prævideri. Quam sententiam ætate hac nostra celebriorem reddidit non semel à me laudatus Edmundus Simonnet Universitatis Mussipontanæ Cancellarius in suis de Scientia Dei, de Prædestinatione, & de Gratia disputationibus.

6. Explicatur sententia Thomistarum.

Postrema Sententia est Thomistarum & Augustinensium omnium affirmantium gratiam efficacem esse seipsa, non talem reddi aut cooperatione liberi arbitrii, aut ex circumstantiis congruis: atque certissime & infallibiliter cum effectu conjunctam esse, non vage prout comprehenditur in cumulo omnium gratiarum, sed quatenus est individua & peculiaris præmotio & inspiratio collata hominibus non suspensa & indifferenti Dei voluntate, sed absoluta & plenissima: ita ut hæc gratia det posse, velle & perficere, neque ipsa cooperetur quia volumus, sed nos velimus, quia ipsa operatur. Instituitur vero quæstio de gratia, per quam recte operamur in statu naturæ lapsæ, nam de gratia ad perseverandum necessaria in statu innocentiæ aliis in locis pertractatum est.

7. Propositio: datur gratia ab intrinseco efficax & Prob. 1 ex Scriptura.

Propositio: Datur Gratia ab intrinseco efficax sensu nunc explicato.

Momentum Primum ex Scripturis.

Inter Scripturarum divinarum loca à Theologis in confirmationem nostræ sententiæ producta, illustriora sunt quæ sequuntur. Primum Ezech. cap. XXXVI. v. 26. de Gratia quæ per Christum confertur iis, qui ab idololatria resipiscunt, implentque præcepta Domini verba facions,

ciens, *Dabo vobis*, inquit, *cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* His autem verbis non ſolum nobis promittitur gratia ſingulis communis, & ab arbitrii flexione pendens, ſed magna, ſpecialis, victrix, & ab intrinſeco efficax. Etenim hac promiſſione Deus ſpopondit, & quidem abſolute, ac nulla facta mentione aut humani conſenſus, aut conditionis alicujus extrinſecæ effecturum ſe, ut cor carnis concupiſcentia gravatum charitatis flamma ſuccenſum innovetur, atque divina præcepta mandentur executioni; id eſt, largiturum ſe gratiam cum effectu infallibiliter conjunctam. At hanc gratiam eſſe ex intrinſecis ſuis efficacem, nemonon videt. Deinde alia eſt gratia quæ facit ut poſſimus facere, alia quæ facit ut faciamus. Prior eſt inefficax, ſive adjutorium *ſine quo*; altera efficax eſt, & adjutorium *quo*; illa ſuſpenſa eſt & pediſequa, quia velle ac determinare ſeſe ad opus relinquit libero arbitrio: hæc vero eſt victrix & prædeterminans, quoniam dat etiam velle; & voluntas, quæ non determinatur, non vult. Enarrata autem promiſſio eſt de Gratia, quæ facit ut faciamus, ut in præceptis Domini ambulemus, ut judicia ejus cuſtodiamus, ut operemur. Eſt ergo de auxilio ſeſe, atque ex intrinſecis ſuis efficaci. Rurſus citato Prophetæ teſtimonio Deus non prædicit filios promiſſionis divinis obtemperaturos mandatis, ſed promittit ſe facturum ut divinis mandatis obtemperent. At quod Deus promittit, non ex poteſtate liberi arbitrii, ſed ex firmo ſtatoque divinæ voluntatis decreto cum rei eventu connectitur. Docet id ſanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 14. ut obſervarunt Theologi Duacenſes in celebri Cenſura ad Aſſertionem PP. Societatis Jeſu quintam ac viceſimam: ſed manifeſtius S. Pater de Prædeſtinat. SS. cap. 10. ubi ait: *Non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines; quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit: alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate.* Præterea, ut Theologi Lovanienſes argumentantur in Juſtificatione Cenſuræ ſuæ cap. XI. ait Dominus, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*; non facit autem in præceptis ſuis ambulare illos, qui adhuc bene vivere recuſant, etiamſi horum plurimi gratiam habeant inefficacem. In iis ergo, ut actu operentur, neceſſaria eſt uberior gratia, quam non peſſundent, donumque ſpeciale per ſeipſum ab inefficaci diſtinctum. Denique peremptoria eſt Auguſtini ſententia, & fruſtra contorquetur, in lib. de Gratia & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis.* Gratia enim, quæ pendet à voluntatis conſenſu non eſt efficaciſſima, cum ſæpenumero inefficax reddatur, ſuoque effectu fruſtretur.

8. Reſponſio AA. refutatur.

Advertas hoc loco laudata Ezechielis verba explicari non poſſe hoc tantum ſenſu quod in nova lege plures, quam in veteri, ambulent in viis Domini. Quamquam enim lex nova amplior eſt, & obſervatur à pluribus; diſcrimen inter illam ac veterem non eſt, quod per ſe pauciores vel plures ſint legis obſervatores, quandoquidem juſtitia non eſt ex lege, neque lex ad perfectionem adducit; ſed quoniam in lege nova in pluribus Deus per ſubminiſtrationem charitatis aufert cor lapideum, largitur Spiritum novum, & facit ut faciamus. Nam hæc eſt Auguſtini, aliorumque Patrum, ipſis quoque Propheticis verbis concordiſſima, interpretatio. Quare declarunt Lovanienſes Theologi explicationem Leſſii & Hamelii expreſſam memorata aſſertione 25. intentioni Prophetæ nequaquam congruere, & Duacenſes, eſſe novam & non ferendam unanimi conſenſione affirmarunt. Vide utriusque Univerſitatis Cenſuras, de quibus proximo capite.

9. Confirmatur Concluſio ampliùs ex S. Scriptura.

Huc ſpectant innumera alia divinarum Scripturarum loca, in quibus aſſeritur Deum inclinare & trahere corda hominum, operari in eis bonam voluntatem, agi filios Dei Spiritu Sancto & alia id genus quamplurima. Hujusmodi ſunt Job. XII. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ.* Joan. VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ad Philipp.

11. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Et ad Romanos VIII. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filii Dei.* Hæc putant Adversarii nostri quam facillime eludi, si reponant hoc tantum sensu Deum inclinare, trahere, & operari in nobis bonam voluntatem & sanctam operationem, quod nos adjuvet ut velimus & faciamus per inspirationem, sine qua velle & agere non possumus, non qua efficaciter, & prævia motione præstet ut velimus & faciamus. At sunt isthæc subterfugia mera. Principio enim, ut diximus, in his, qui sola gratia versatili & pedisequa præventi sunt, non inclinatur cor, voluntas non trahitur, neque homo vult, quia Deus operatur in eo velle; sed ex adverso liberum arbitrium gratiam determinat, flectit, trahit, & ideo Deus operatur quia homo vult. Deinde in horum Theologorum systemate, quicunque indifferenti gratia adjuvantur, inclinarentur, traherentur, agerentur, operarentur; & singuli venirent ad Patrem, singuli filii Dei efficerentur per istiusmodi gratiam indifferentem: atque ita qui non credunt nec convertuntur, inefficaciter tamen vocantur, & versatili adjutorio præmoventur, haberent illam gratiam, quam commendabat Christus dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sane vero Judæi incredduli ac pervicaces, quos Salvator alloquebatur, non trahebantur à Patre; unde addit Evangelista: *Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum: & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Judæi ergo illi non habebant gratiam efficacem, ideoque hæc suapte natura, non consensu voluntatis, aut circumstantiis extrinsecis, ab inefficaci distinguitur. Ad hæc: cuinam non plane stupido ac bardo Molinianus Apostolica ad Philippenses sententia timorem incutere poterit salutarem? Respondebit quisque non ingenio hebes, nihil esse cur pertimescat, cum ei semper affuturum sit illius gratiæ adjutorium, cui præbet libera voluntas pro suo arbitratu consensum. *Quid vero sentias* (inquit Nicolaus L'Herminier Tom. 4. operis Theologici p. 241.) *de systemate, in quo omnis plane timor salutaris evertitur?*

10. Respondetur argumentis Molinæ.

Refellendi sunt ergo Moliniana interpretamenta, quæ profecto Gratiæ Propugnatori Augustino adversantur. Is enim de Gratia per se efficaci prædicta loca interpretatur. Nam quod ex Evangelio Joannis depromptum est, ita à D. Parente explicatur libro de Gratia Christi cap. 14. *Non est autem consequens ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est:* nimirum, quod passim inculcat, Gratia dat posse, dat velle, & efficit ut agamus. Apostoli ad Philippenses verba ita S. Pater exponit de Persev. cap. 13. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc est pium, hoc verum ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.* Atque de Gratia Christi cap. 45. sermonem instituens de Petro, *Misericordia Domini,* inquit, *latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis.* Eodem pariter libro cap. 10. redarguit Pelagium explicantem verba Apostoli de suasione & excitatione morali, qua *nos terrenis cupiditatibus deditos futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, & revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem*; demonstratque his minime recedere hæreticum ab ea gratia, quam in lege doctrinaque constituit. Quapropter sanctus Doctor contendit sic esse Apostolicam sententiam accipiendam, ut Deus non suadendo tantum quod bonum est, sed physice nobis etiam actum voluntatis inspirando, & efficaciter ad operationem trahendo dicatur in nobis operari *velle & perficere.* Sententiam vero ex Epistola ad Romanos petitam, ita Gratiæ Propugnator excepit ipsomet libro cap. 25. *Profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est:* & de Corrept. & Gratia cap. 2. *Intelligant, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Porro qui

qui indifferenter præmoventur, & qui ſuaſionibus, ſive extrinſecus ſonent, ſive interius illuminent, absque alio præveniente adjutorio illiciuntur atque invivitantur, nonniſi improprie, & metaphorice dicuntur agi. *Nam proculdubio* (nota quod Auguſtinus ſcribit cap. 3. de Geſtis Pelagii.) *plus eſt agi, quam regi; qui enim regitur aliquid, agit & à Deo regitur ut recte agat: qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur; & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam ut illi ſe agendam commendet, qui male agere non poteſt; & hoc cum fecerit, ab illo ut faceret adjutam eſſe non dubitet, cui dicitur in Pſalmis, Deus meus miſericordia ejus præveniet me.* Sunt ergo juxta Auguſtinum præfata Scripturarum loca ita accipienda, ut Salvatoris gratia efficiat in nobis voluntatis affectum, operetur in nobis ut operemur, agat nos ut agamus, neque ſola nos morali excitatione præmoveat, ſed trahente, inclinante, agente, & tantam voluntatem, quæ poſſit, velit, faciat, nobis divinitus inſpirante.

11. Probatur alio argumento Scripturæ.

Proferam modo præclarum Apoſtoli teſtimonium ad Rom. IX. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Hinc gratia ab intrinſeco efficax demonſtratur, tum quia effectus potiori jure tribuitur cauſæ determinanti, quam indifferenter præmoventi, ideoque in ſententia Adverſariorum noſtrorum ſunt bona opera potius homini volenti & currenti attribuenda, quam Deo gratiæ auxilium ſubminiſtranti: tum etiam quia in eorum ſyſtemate non impertitur Deus majus gratiæ beneficium homini operanti, quam non operanti; ideoque quod ille non iſte divinis præceptis obtemperet adſcribendum eſt homini volenti & currenti, & pro nutu arbitrii ſui commune illud, fluxumque auxilium determinanti.

12. Refutatur Suareſius.

Huic autem argumento qua arte occurrat Suareſius lib. de Auxiliis III. cap. 15. ſedulo videndum eſt. Nititur primum oſtendere hæc verba non eſſe Pauli affirmantis, ſed poſita ex perſona hæc objicientis, abuſus commentationibus, quæ ab imperitis tribuuntur Hieronymo & Ambroſio, addita quoque Chryſoſtomi auctoritate. At expoſitio, quæ Commentariis Beati Hieronymi ſubjicitur, Pelagianum aliquem habere auctorem, nec eſſe poſſe Hieronymi in ſuis contra Pelagium lucubrationibus hæc Apoſtoli verba non ſemel proferentis, ſcripſerat Sixtus Senenſis lib. 14. Bibliothec. Bellarminus de Script. Eccleſ. aliique eruditi viri, à quibus nemo hodie diſſentit. Commentaria olim inſcripta Ambroſio, quamquam poſtea traditam à Suareſio expoſitionem refellunt, ut dixi de Transfuſione Originalis peccati, ſunt pariter Criticorum conſenſu ſuppoſititia. Chryſoſtomus docet tantummodo Apoſtoli verba intelligenda eſſe cum arbitrii libertate, quam tunc aliqui ſtudebant evertere; nam è veſtigio addidit: *Dum enim dicit, Non volentis, neque currentis, libertatem non tollit, ſed oſtendit rem totam non illius eſſe, ſed ſuperna indigere gratia.* Prima ergo Suareſii raſponſio ſubleſta, fallax, & prorſus inepta eſt. Addit ſermonem ab Apoſtolo inſtitui de electione Jacob ad temporalem hæreditatem, ſive etiam de electipne ad gloriam, qua præparavit electis *congruam* vocationem conferendam in tempore, quo bene uſuros prævidit; at pertractare Paulum etiam de abſoluta prædeſtinatione ad gratiam & gloriam, & Deum in hac ſola prædeſtinatione hujus ſtatus opera bona prænoſcere, jam in quarto & quinto libro fuit commonſtratum. Poſtremo Suareſius tertio libro citato cap. 9. hunc Apoſtoli locum exponendum docet cum Nazianzeno Oratione prima ac triceſima, *quia licet ipſum velle noſtrum ſit, non tamen niſi Deo opitulante, ac adjuvante & principaliter operante.* Verum ſi hæc tantum proferret Nazianzenus, nec Suareſium juvaret tanti viri auctoritas; nam & nos bonam voluntatem noſtram eſſe fatemur, Deo tamen *principaliter operante;* & negamus operari Deum principaliter, ſi indifferenter ipſe præmoveat, liberumque arbitrium hanc motionem determinet. Sed quo videas magnificentiſſime falli Suareſium, eodem loco Nazianzenus poſteaquam ait, noſtram voluntatem & electionem à Dei benignitate manare, addidit protinus. *Idcirco non volentis, id eſt, non ſolum volentis, nec currentis ſolum, ſed etiam miſerentis Dei; ita, quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo jure totum Deo aſſignavit.* Commendat ergo Gregorius ſententiam Apoſtoli, eamque ſic interpretatur, ut totum tribuendum ſit Deo, quia ipſa bona voluntas à Dei benignitate promanat, nec gratia Dei dat tantum poſſe, ſed etiam *ipſum velle.*

13. Ac confirmatur prius argumentum.

Verum licet Gregorius, aliique Græcorum non tam aperte gratiæ aſſeruiſſent efficaciam in expendenda præmiſſa ſen-

sententia Apostoli, athletha gratiæ Augustinus Quæst. 2. ad Simplicianum, & cap. 32. Enchiridii, ait: quod, si illa posset sic explicari, *quia voluntas hominis non sufficit ut juste rectèque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei*; ratione consimili posset dici, quod nullus Christianorum dicere audet, non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, atque currentis, *quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Unde infert S. Pater, ut consistat dictum Apostoli necessarium esse, non solùm ut adjuvemur misericordia Dei, sed etiam, ut Deus voluntatem bonam præparet adjuvandam, & adjuvet præparatam, ut misericordia etiam faciat ut velimus, ut Deus in nobis operetur velle & operari pro bona voluntate. Evidens ergo est, per sufficientem gratiam, quæ non operatur & velle, non salvari sententiam Apostolicam, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Agnovit autem Franciscus Suarez vel invitus sensum Augustinianæ expositionis, atque ad præsidium Nazianzeni confugiens, *Ad hoc tamen* (inquit) *responderet Nazianzenus non esse parem rationem, quia licet homo aliquid conferat ac operetur cum bene vult & currit, Deus tamen est, qui principales partes confert, propter quod ejus misericordiæ & velle & currere hominis attribuitur.* Cæterum Suarezius frustra se Nazianzeni umbraculo contegit, & frustra Deo partes dat principales, si liberum arbitrium versatilem gratiam determinat, quemadmodum diximus supra.

14. Adducitur 3tio Probatio ex S. Scriptura.

Percelebris quoque est textus Apostoli in prima ad Corinthios cap. 4. v. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo testimonio revocatum se ab errore Semipelagianorum testatur S. Pater in lib. de Præd. SS. cap. 3. Hinc vero sententia pariter exploditur Moliniana. In ea quippe unius ab alio discretio nequit desumi sive à gratia præveniente, sive à simultaneo concursu, cum illa omnibus sit communis, atque in omnibus eadem; iste autem & communis sit, & operationem voluntatis non antecedat. nullus autem ab alio secernitur per id, quod est utrisque commune. Restat ergo in sententia, quam impugnamus, unum discerni ab alio se ipso, videlicet suamet determinatione, suoque consensu. Utitur S. Pater hoc argumento libro 11. ad Bonifacium cap. 7. & de Prædestinat. SS. cap. 5.

15. Satisfit responsis adversariorum.

Respondent vero patroni Gratiæ *congruæ* cum Bellarmino lib. 1. de Grat. & lib. arbitrio cap. 13. testimonium Apostoli habere locum ubi agitur de gratia *sufficiente*, non autem ubi disputatur de *congrua*. Fieri enim potest, inquiunt, ut duo homines eamdem internam motionem recipiant, & unus credat, alter non credat; qui tamen credit accipit motionem eo modo, loco & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere; alter non ita accipit, ac per hoc longe majorem habuit Dei gratiam is qui credit, quam qui non credit. At verba sunt hæc speciosa. Primo quia cur unus credat, alter non credat, ut infra demonstraturus sum, non pendet ab intrinsecis circumstantiis, sed refundendum est in judicia Dei inscrutabilia, & contingit interdum, ut qui credit, sit in circumstantiis omnino oppositis, à quibus alienus est qui in incredulitate persistit. Præterea vel in circumstantiis congruis constituitur homo per seipsum, vel gratiâ Dei; si per seipsum ipse ergo sese discernit ab alio: si gratiâ Dei; igitur non ideo hæc gratia efficax est, quia donatur à Deo in iis circumstantiis, in quibus prævidet hominem consensurum, sed econtra constituitur in iis circumstantiis, quia Deus decrevit, ut consentiret. Reponunt alii uti Augustinum citatis verbis Apostoli lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 6. & de Prædest. SS. cap. 5. ad debellandos Pelagianos, qui ita prædicabant merita humana, ut ea ex semetipso habere hominem dicerent. Id quidem verum est; sed contendimus iisdem argumentis etiam Molinianos urgeri. Enimvero naturalia dona non discernunt bonos à malis, quoniam bonis & malis communia sunt. Sed etiam gratia supernaturalis, quæ suam habet efficientiam à consensu, bonis ex æquo, malisque communis est. Igitur si naturalia dona minime sufficiunt, ut unus discernatur ab altero, nec sufficiens erit gratia ista ab arbitrio pendula, fluxa & indifferens. Insuper etsi Molinæ sodales supernaturalem gratiam agnoscunt, neque habendi sint Pelagiani, quoniam tamen in eorum sententia cum eadem gratia unus agit, alter non agit, necesse est, ut qui agit se discernat ab eo qui non agit non per gratiam, quæ utrisque communis est, sed per solam determinationem arbitrii. Quamvis enim duo opus habeant & ad cursum peragendum equo, & ad remigandum remis, & ad pugnandum armis; si hisce in rebus pares omnino sint, cur unus alium præcedat, ab ipsorum industria & conatu erit solummodo

modo repetendum. Et quod caput est, Augustinus eodem loco de Prædestin. SS. quo se hostes nostri communiunt, non solum ait esse intentionem Apostoli, ne quis glorietur se discerni ab aliis per dona Dei naturalia, sed etiam ne suspicetur se habere validum illud arbitrium, quale granditate primi peccati perdidimus. *In hac Apostoli*, inquit, *evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescunque reliquias, nimis quantum existimo absurdum est.* Demonstravi autem alibi, in prima conditione Apostolicam sententiam, *Quis autem te discernit?* hoc duntaxat sensu locum habuisse, quod primus homo habuit à Deo adjutorium *sine quo*, & gratiam quæ dabat posse, sed fuisse illi standum per liberum arbitrium, quo se determinaret ad velle, & perseverantiam Angelorum sanctorum fuisse peculiari quodam titulo mercedem arbitrii, & stantes discretos fuisse à cadentibus suamet libertate. Non ergo ad salvandam Apostoli intentionem sat est, ut homo se discernat in hoc infirmitatis statu ab aliis per gratiam supernaturalem, sed necesse est, ut se discernat per adjutorium *quo*, & per gratiam victricem dantem & posse & velle, ne glorietur homo se habere integritatem naturæ ob Adæ prævaricationem deperditam. Sed vide quæ diximus lib. IV. cap. 8. & 9. & lib. XII. cap. 8.

Momentum III. ex Orationibus Ecclesiæ.

16. Probatur Conclusio adò ex orationibus Ecclesiæ.

Validissimum ad explorandam gratiæ naturam argumentum petitur ex orationibus Ecclesiæ; hæc enim fuit apud Sanctos Patres ab antiquis temporibus immota sententia, *ut legem credendi lex statuat supplicandi*, inquit in Epist. ad Galliarum Episcopos Sanctus Pontifex Cœlestinus: atque, ut S. Pater ait in Ep. ad Vitalem 107. nunc 207. n. 27. *Nemo est tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari se præcepit, ut faciat.* Sunt præterea orationes Ecclesiæ traditionis Patrum, atque imbecillitatis nostræ singulare argumentum, quoniam plures à priscis temporibus recitari consueverunt; & nemo, teste ipsomet Augustino lib. II. de Peccator. meritis cap. 6. *optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento.* Si ergo orationibus victricem gratiam postulamus, consequens est, ut fateamur ejusdem gratiæ necessitatem. Porro quod gratiam, quæ est sese efficax, imploremus, ex Ecclesiasticis precibus satis liquet. Orat enim S. M. Ecclesia Dominum Deum Feria 4. post Dom. 2. Quadragesimæ his verbis, *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto & in fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces.* Sabbato post Dom. 4. *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Dom. 5. post Pascha, *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus* In vigilia Pentec. *Concede nobis & nostræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere.* In proxima solemnitate, *Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.* In Dominica post Pentec. 19. *Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhærere mandatis.* In vigesima quarta, *Omnium nostrorum ad te corda converte.* Sunt autem hujusmodi precibus sacra Officia plenissima. Nec prætermittenda est oratio edita à Benedicto VII. qua utuntur in sacris Congregationibus Summi Pontifices; cujus orationis hæc pars est: *Veni ad nos & dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur ostende, quid efficiamus operare: esto solus & suggestor, & effector judiciorum nostrorum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summæ veritatis diligis æquitatem, ut in sinistram nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero &c.* Extat hæc oratio 1. tom. Conciliorum in princ. Hujus generis sunt Ecclesiæ preces quamplures. At gratiam, quæ inspirando Spiritus Sancti fervorem reddit nos efficaces, quæ voluntatem etiam rebellem revocat ad obsequium, quæ præstat ut faciamus, quæ nostræ voluntatis frangit pravitatem, quæ rigidum & renitentem animum flectit, quæ facit ut divinis inhæreamus mandatis, quæ nostra ad Deum corda convertit, quæ sola efficaciter nos Deo jungit; gratiam, inquam, hujusmodi quisnam non esse per se effectricem poterit nobis persuadere? Si medicinalis gratiæ operatio bonam efficit voluntatem, si corda dirigit & convertit, si præstat bonæ voluntatis consensum; quomodo pendet à directione, flexione, & determinatione voluntatis ut efficax dici valeat? Insuper si penes nos est adjutorium

rium Dei efficax reddere, cur ad Sancta Altaria petimus, ut faciat nos velle, neque nudam ab eo poteſtatem poſtulamus, ſed etiam operationem? Quis, niſi infirmus, Deum rogat, ut oculos ſibi aperiat, aut pedem moveat, quando indifferenti præmotione, quam ſuapte voluntate conjungit cum opere, poteſt valide atque expedite hæc officia peragere? *Prorſus in hac re* (ajebat Auguſtinus de dono Perſ. cap. 7.) *non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas: orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: orat, ut fideles perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam usque in finem.*

17. Rejiciuntur reſponſiones contrariæ.

Videndum eſt modo, qua arte ab hoc argumento quidam ſe expedire conentur. Nonnulli apud Tournely pag. 654. reſpondent ex orationibus Eccleſiæ tantum probari admittendam eſſe gratiam operationis, quæ dicitur efficax; ſed non eſſe efficacem ex ſe, id eſt, connexionem non habere cum effectu ante prævisum voluntatis conſenſum, propterea quod ſine periculo fidei negari non poſſit, quin voluntas roborata gratiæ efficacis auxilio libere ſeipſam & cum indifferentia determinet, cum non mere paſſive ſe habeat, nec tantum agatur, ſed etiam agat, ut loquitur Auguſtinus. Quæ reſponſio jam refutata eſt: cum enim Dei gratia ipſum voluntatis conſenſum efficiat, nequit illa ab eodem conſenſu ſuam mutuari efficaciam: cumque voluntas, quam agere, & ſe determinare concedimus, quemadmodum Auguſtinus ait, *agatur ut agat;* non determinat gratiæ præmotionem, ſed ipſa à præmotione gratiæ, nullatenus labefactatâ vi libertatis, determinatur. Neque enim repugnat eamdem voluntatem agi ſimul & agere, determinari ac determinare, ſi unum ad ſuperiorem cauſam iſtud vero ad liberum effectum referatur. Addit ibidem Tournely Apoſtolum 11. ad Tim. 1. v. 6. dixiſſe: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*: in idem autem recidit, gratiam quaſi ſopitam ſuſcitare, & illam quodammodo reddere efficacem. Sed tenuiter, & nugatorie. Enimvero loquitur Apoſtolus de gratia habituali, & Sacerdotii charactere & munere ſacra ordinatione collatis. Quæ ductâ ab igne comparatione hortamur ἀναζωπυρεῖν, *ſuſcitare* quaſi ſopitam flammam, vel ut Theſſalonicenſibus dicitur v. 19. *non extinguere*, dum ſine intermiſſione orando, & quod bonum eſt tenendo ardeſcit charitas, magisque ad capeſſendas virtutes cor inflammatur. Atque id perfici per Spiritum virtutis & dilectionis, & per virtutem Dei, qui nos vocat ſecundum propoſitum ſuum, id eſt per gratiam abſoluta Dei voluntate efficacem, Paulus è veſtigio commonſtrat. Reſponſa itaque à Tournelio ſelecta noſtram corroborant aſſertionem. Quidam è Molinianis reſpondent, Eccleſiam non orare ut poſſimus reddere gratiam efficacem, cum id in noſtra ſit poteſtate, ſed petere ut defacto hoc faciamus. Sed interrogare illos pergimus, cur iſtud à Deo poſtulamus, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate? Inquiunt alii, petere Eccleſiam auxilium gratiæ eo tempore, quo prævidet homines minime reluctaturos. At ubinam quæſo, Chriſti Eccleſia talibus utitur precibus, & non magis gratiam præſtolatur divinam eo quoque tempore, cum voluntas Dei vocationem contumaciter, præfracteque repudiat? Manet ergo hæc ab orationibus Eccleſiæ petita argumentatio firmiſſima atque inconcuſſa.

Momentum tertium ex Gratiæ ſtrenuiſſimo vindice Auguſtino.

18. Probatur tertiò authoritate S. Auguſtini.

Diximus quidem in præcedentibus argumentis de mente Auguſtini non pauca. Nunc ad quædam capita S. Patris doctrinam curabimus revocare; eritque primum complexio nominum, quibus efficacem gratiam delineat. Hanc appellat in 1. de peccatorum meritis cap. 9. *Spiritus Sancti occultiſſimam gratiam*: libro de Grat. Ch. cap. 24. *internam, occultam, mirabilem, ac ineffabilem poteſtatem, qua Deus operatur in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*: cap. ejusdem lib. 35. *inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ charitatis*: in 4. contra Julianum cap. 8. *omnipotentiſſimam voluntatem*: in primo contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 20. *occultiſſimam & efficaciſſimam voluntatem ac poteſtatem, quæ convertit, & transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem*: ſeq. libro cap. 8. *inſpirationem bonæ cupiditatis, ut homo non ſit invitus, non ſit reluctans, ſed conſentiens bono & volens bonum*: proximo cap. 9. *charitatem, quæ tota nobis ex Deo eſt, & benedictionem dulcedinis, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt amemus quod nobis præcipitur, & quæ reluctanti ſtudium virtutis immittit*: de Gratia, & lib. arb. cap. 5. *magnam & efficaciſſimam vocationem*: de Corrept. & grat. cap. 14. *inclinandorum cordium omnipoten-*

tentissimam potestatem: ibidem virtutem, qua omnipotens Deus in Abisai, filiisque Jesse: *intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ille operatus est, traxit*: de prædest. SS. cap. 8. *gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur*. Quænam ampliora vocabula ad exprimendam gratiam ex intrinsecis suis efficacem poterant inveniri? Gratiam efficacem reddi aut consensu voluntatis, aut circumstantiis loci vel temporis, non est illam operari miris, occultis, atque inneffabilibus modis, quandoquidem causa, cur operetur, in hoc systemate obvia, & apertissima foret. Non est esse efficacissimam & potentissimam, cum nequeat in ea hypotesi quicquam perficere, si homo resistat, suaque pervicacia repugnet. Non est efficere ne sit reluctans, sed consentiens & volens, cum ex adverso gratia sit efficax quoniam homo vult & consentit. Non est Deum inclinare hominum corda quo ipsi lubet, sed hominem, quo ei placet, divinam omnipotentiam flectere atque inclinare. Non est denique divinam voluntatem intus agere & trahere, sed agi potius & trahi. Stabiliunt itaque sententiam gratiæ per se efficacis etiam auxiliorum divinorum epitheta & characteres.

19. Referuntur Responsiones Molinæ.

Reponunt Molinistæ apud Tournely pag. 651. hæc frustra & immerito sibi objici, quasi & ipsi non agnoscant vim & efficaciam gratiæ ab una Dei omnipotentissima virtute derivari: hoc omnes ultro fateri; hoc etiam in statu innocentis naturæ locum habuisse; hoc verissimum esse in eorum quoque opinione, qui volunt gratiam reddi efficacem per consensum voluntatis, quandoquidem consensus ille absque gratiæ virtute minime poneretur; Augustinum denique hisce gratiæ descriptionibus solos urgere Pelagianos, qui negabant gratiam prævenire voluntatem. Verum hæc non moror. Constat enim Augustinum appellare gratiam efficacissimam & omnipotentissimam, non eo quod à divina omnipotentia diffluat, sed quoniam facit consentientem etiam reluctantem & invitum, neque ab ullo duro corde respuitur. Et quamvis etiam gratia, quam habuit Adam donum esset omnipotentis, quoniam tamen in actu secundo reddebatur efficax à consensu, nullibi appellatur ab Augustino efficacissima & potentissima, nullibi dicitur, quod humanam voluntatem inclinaret & traheret; quin rotundis verbis gratiam Christi medicinalem, quæ dat velle, & facit ut faciamus appellat S. Pater *validiorem* & *potentiorem*, & gratiam prioris conditionis *magnam* quidem, sed *disparem*; quod & alibi demonstratum est, & paullo infra est repetendum. Deinde in hoc etiam fallitur Tournely, quod scribit Molinistas fateri efficaciam gratiæ petendam esse ex omnipotentissima Dei voluntate, cum id aperte negaverint in Congr. de Auxiliis coram summo Pontifice Paulo V. die 20. Septembris anno 1605.

20. Sequuntur aliæ authoritates ex eodem S. Patre.

Complectitur alterum caput quasdam Augustini auctoritates illustriores. Sit prima ex libro de Gratia Christi cap. 14. ubi inquit: *De isto docendi modo Dominus ait, Omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut veritas loquitur, Omnis qui didicit venit, quisquis non venit profecto non didicit.* Animadvertit insignis Theologus Augustinianus Basilius Poncius P. 1. Relect. de Necessit. Gratiæ cap. 9. in sententia Molinistarum hanc tenere causalem, Gratia efficax est quia homo consentit, in sententia autem nostra causalem istam, homo consentit quoniam vocatur gratia efficaci: & puto hanc Poncii animadversionem sese notam esse. Atqui per Augustinum de homine, qui non venit, & non habet gratiam conjunctam cum actu atque efficacem, non recte dicitur, Habet quidem gratiam, sed non est efficax, quia facere non vult: & de eo qui venit ideoque habet gratiam conjunctam cum actu, dicitur recte, Venit, quia à Patre audivit & didicit. Ergo gratia, per quam aliquis venit ad Christum, non est efficax ob voluntatis consensum. Secunda auctoritas sit ista: *Ut autem de cælo vocaretur* (inquit de Paulo S. Pater in lib. de Grat. & libero arb. cap. 16.) *& tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Tournely loco citato ait, gratiam magnam & efficacissimam appellari subitam & indeliberatam motionem quæ fit in nobis sine nobis, non vero illam, cui voluntas libere consentit, utramque enim ibidem distinguit S. Doctor. At licet Augustinus reapse, & quidem optime scribat simul cum gratia agere etiam arbitrium, quod nemo nisi damnatus hæreticus in dubium vertit, fallitur tamen duplici titulo eximius ille Theolo-

gus. Primo quidem; nam si gratia est magna & efficacissima, quatenus est motio indeliberata quæ est in nobis sine nobis; ergo non habet suam efficaciam à nostra deliberatione nostroque consensu, sed efficax est & conjuncta cum actu ante liberam consensionem, sive ut in Scholis loquimur, in actu primo. Præterea Augustinus appellat magnam & efficacissimam gratiam collatam Paulo non solum ut vocaretur, sed etiam ut converteretur. Conversio autem non est absque deliberatione, & cooperatione liberi arbitrii. Vocatio ergo quam Augustinus scribit fuisse magnam & efficacissimam, non solum talis est comparate ad motionem gratiæ indeliberatam, & subitam, verum etiam ut pertinet ad liberam ac deliberatam operationem. Sit locus tertius depromptus ex eodem libro cap. 16. *Certum est nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est quod paulo ante posui, Præparatur voluntas à Domino: de quo dictum est, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet: de quo dictum est, Deus est qui operatur in nobis & velle & operari. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis &c.* Si ergo impertitur Deus vires efficacissimas voluntati, ut velit, ut faciat, ut servet mandata, quomodo gratia sumit efficaciam suam à voluntatis cooperatione? Verum quid ad hæc Adversarii? Attendendum inquiunt scopum Augustini, cui incumbebat evertere dogma Pelagianorum affirmantium necessariam non esse gratiam prævenientem hominum voluntates. Probat ergo tantumodo laudato, & consimilibus testimoniis prævenientis gratiæ necessitatem. Optime vero, ac præclare! Sed simul Augustinus hujus prævenientis gratiæ naturam commonstrat, affirmando ita prævenire liberam voluntatem ut vi efficacissima operetur in ea velle, & tantum velle, ut volendo faciat, impleatque præcepta; ideoque non à voluntate mentiendam esse efficaciam gratiæ, sed ab efficaci gratia operationem voluntatis. Cum insuper Pelagiani ideo prævenientem gratiam negarent, quod ex ea putarent consequi interitum libertatis; quare Augustinus ratus hanc esse gravissimam difficillimamque quæstionem, nullibi respondit præmoveri humanam voluntatem à gratia Molinistice *sufficiente*, quæ non est efficax nisi ab ejusdem voluntatis consensu, aut ex circumstantiis loci vel temporis, quod fuisset expeditissimum; sed cum in isto, tum in locis aliis occurrit dicendo nos quidem velle, nos facere, sed Deum efficacissima sua potestate efficere ut velimus & faciamus? Sed de hac re postmodum.

21. Adhuc aliæ.

Ad tertium caput reducuntur principia, quibus Augustinus suam de Gratia sententiam corroborat. Præcipuum est, quod ab homine infirmo, & in peccatis concepto, totum bonum opus Deo tribuendum est, non quod liberum arbitrium non agat, sed quia ut agat agitur, & efficaciter præmovetur. Unde S. Pater de Dono Persev. cap. 6. ait: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus: quod vidit iste venerabilis Martyr* (Cyprianus) *nam ait: Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe, arroganterque aliquid assumat, ne quis, aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat: ut dum procedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid supplicitur cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Si ergo totum tribuendum est gratiæ, non partim homini, partim Deo; ipsa hominis cooperatio à Deo est, non efficacia gratiæ ab hominis cooperatione. Neque enim hanc rationem elidunt, qui apud Gonzales Controv. ultima art. XI. §. 8. reponunt totum attribui Deo, quoniam licet sit in potestate nostra reddere cooperatione nostra efficax auxilium gratiæ, non tamen penes nos est habere auxilium illud, aut impedire quin detur. Imo ex labili hac responsione ratiocinari fas erit, Si auxiliorum divinorum collatio attribuitur tota Deo quoniam non dependet ex nobis quod conferantur; nec ne; pari jure eorumdem auxiliorum efficacia, cum tota Deo tribuatur, nequit à cooperatione nostra pendere. Accedit, quod cum præstantius & laudabilius sit determinate velle, & agere, quam posse, quemadmodum detestabilius facere mala, quam posse facere: videntur Molinistæ nobis nobiliores partes dare, Deo autem concedere deteriores.

Alte-

22. Iterum aliæ.

Alterum Auguſtinianæ doctrinæ principium eſt in aſſignanda cauſa, cur unus convertatur, & efficaciter vocetur, alter non item, confugere ad graviſſimam Apoſtoli exclamationem ad Rom. XI. 33. *O altitudo divitiarum*! Ita enim de Dono perſev. cap. 9. inquit: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt Dei judicia.* De Sp. & lit. cap. 34. *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat; O altitudo divitiarum*! *&*, *Nunquid iniquitas eſt apud Deum*? Atque lib. 11. de Peccat. mer. cap. 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.* At aliter Congruiſtæ & Moliniani reſpondent, illum videlicet credere, non iſtum, quod unus velit, alter nequaquam, nec tempore aut loco congruo vocetur uterque. Gratulandum iis impenſiſſime, tranaſſe pelagus Apoſtolicis mentibus immenſum ac difficillimum. Reponunt tamen aliqui cum Bellarmino lib. v. de Grat. & lib. arb. cap. 12. potuiſſe Auguſtinum reſpondere uni perſuaderi, alteri non ita, quia unus vult aſſentiri, alter non vult: ſed quoniam noverat poſſe Deum etiam nolenti facile perſuadere, & ex nolente volentem facere, ſi vellet ei proponere quæ ſcit menti ejus, & ingenio congruere, ideo ad arcanum divini conſilii retulit, dicens, *O altitudo divitiarum*! Sunt hæc perbelle conficta: quippe Auguſtinus inter illos duos diſcrimen repetit ab excellentia poteſtatis divinæ, quæ prout Dei beneplacito lubet, frangit in uno cordis pravitatem, quia illum tantum vocat, in alio non frangit, quia hunc non vocat tantum; cumque Deus omnipotens poſſit ubique, ac ſemper bonam ac robuſtam voluntatem inſpirare etiam reluctantibus, oppugnantibus, repugnantibus, idque etiam in oppoſitis loci, temporisque circumſtantiis; gratia, quæ tanta eſt ob excellentiam poteſtatis divinæ, neque ab ingenio, neque à temperamento, neque à cæteris perſonæ adjunctis ſuam mutuatur efficientiam. Nam ſi gratiam *congruam* placeat appellare ob *congruitatem*, quam ipſa facit, non quam ſecum afferant rerum circumſtantiæ; etiam Auguſtinenſes Poncius, Manſius, & Hiſpani communiter gratiam per ſe efficacem, ſanctam vocationem *congruam* appellitant. Solent reſpondere alii, quæſtionem illam, Cur unus gratiæ vocanti conſentiat, alter reſiſtat, ſpectare ad inſcrutabilia judicia Dei ſi accipiatur comparative, non vero ſi conſideretur abſolute; quærenti enim, cur ille vocanti conſentiat, iſte reſiſtat, prompta & obvia occurrit reſponſio, quia hic noluit, ille voluit. Promptumne obviumque reſponſum? At mihi pulſat animum eadem quæſtio, Cur Deus unum tantum movit, ut vellet, & alterum non tantum movit ut vellet, & tantum vellet ut faceret. Quamquam hæc poſtrema reſponſio etiam juxta Auguſtini ſenſum vera eſt. Abſolute enim cur unus non convertatur, eſt quia non vult; ſed non vult, quia juſto judicio Dei denegatur illi adjutorium *quo*, & nunc *quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur*, inquit S. Pater de Correp. & Grat. cap. XI. Comparative autem cum omnes obſtricti peccato naſcantur, cur uni præparetur, alteri non præparetur voluntas à Domino, penes ipſum eſt æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis. *Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat*; inquit de Dono Perſev. cap. 8. Auguſtinus.

23. Denuo aliæ.

Tertium Auguſtinianæ Sententiæ principium eſt quod Dei volenti hominem ſalvum facere nullum reſiſtit arbitrium. Hinc celebris locus de Prædeſt. SS. cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Hinc exempla, quibus gratiam trahentem reluctantium animos explicat, & de lib. arb. & gratia cap. 5. in Paulo ad fidem converſo, quando perſequebatur Eccleſiam: & in 1. ad Bonifacium cap. 20. in Aſſuero, quem Deus ex iracundia tranſtulit in lenitatem: & de Corrept. & Grat. cap. 14. in Abiſai, qui David regem excepit; & de quo Auguſtinus hæc ſcribit: *Nunquid ille poſſet adverſari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, quam in ejus corde operatus eſt per Spiritum ſuum, ut hoc vellet, diceret, & faceret.* Hinc denique ſuæ doctrinæ concluſio, quam habet S. Pater eodem cap. quarto decimo: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, quæ in cœlo & in terra quæcumque voluit fecit, & quæ etiam illa quæ futura ſunt fecit,*

fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit. Ex quibus omnibus constat efficaciam gratiæ non pendere ab hominum nutu, vel ab extrinsecis circumstantiis, sed ab absoluta Dei voluntate & potestate, quæ inclinat quo ipsi placet hominum corda, & ei volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium.

24. Rursus novæ. In capite postremo repetendum est discrimen inter gratiam necessariam in statu innocentiæ, & illam, quam imploramus in hac infirmitate & lucta concupiscentiæ. Pluribus de hoc in libris de Divina scientia, ac de primo homine fuit disputatum. Vidimus ibidem, Augustinum distinguere inter adjutorium *sine quo*, & adjutorium *quo*: illud comparare alimentis, sine quibus vivere non possumus, nec tamen dum affuerint, eis fit, ut vivat qui mori voluerit: istud æquiparare beatitudini, qua homo fit continuo beatus; per illud accepisse primum hominem *posse*, non autem *velle*, quod in ejus relinquebatur arbitrio; per istud dari & *posse* & *velle*, & tantum velle ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntas Spiritus vincat. Hinc demonstratum est, Adam habuisse quidem Dei gratiam & magnam, sed hanc esse in secundo Adam potentiorem, quandoquidem virtus in infirmitate perficitur, & voluntas nostra tantum Spiritu Sancto accenditur, ut ideo possit quia vult, & ideo velit, quia Deus in ea operatur ut velit. Hæc fuerunt expressissimis & locupletissimis testimoniis comprobata. Istius discriminis causam diximus ab infirmitate hujus status esse petendam. *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua* (inquit in lib. de Corrept. & Gratia cap. XII. S. Pater de Justis, qui medicinali Christi gratia adjuvantur) *inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Istud inter gratiam Conditoris, & Redemptoris discrimen falsum esset, si gratia redderetur efficax vel à voluntatis consensu, vel ab adjunctis circumstantiis. Angeli enim qui steterunt habuissent adjutorium *quo*; tum quia reapse per liberum arbitrium in veritate perseveraverunt; tum etiam, quia major circumstantiarum *congruitas* dari nequit, quam status primæ conditionis, in quo prævidit Deus fore illos in veritate permansuros per liberum arbitrium adjutorio *sine quo* roboratum. Atque ita adjutorium *quo* non esset Gratia per Christum, & rueret utriusque status discrimen, quod alibi validissime propugnavimus.

25. Reconciliantur objectiones Thomistarum. Non proferam hoc loco impugnationes Thomistarum, quia licet discrimen istud rejiciant, agnoscunt tamen in adjutorio *quo* gratiam suapte natura efficacem. Rem habeo cum illis, qui nolunt hanc gratiam profiteri, negantque ipsam laudato textu fulciri. Hi respondent adjutorium *sine quo*, sive gratiam status innocentiæ fuisse solam illustrationem mentis; adjutorium *quo*, sive gratiam naturæ lapsæ esse ulterius inspirationem bonæ voluntatis; unde illud dabat *posse*, istud dat etiam *velle*. Ita Simonnet, ita Descamps, ita Tournely, ita Recentiorum alii. Sit, ut lubet. Atqui adjutorium efficax in statu naturæ lapsæ non solum dat velle, sed etiam tantum velle, ut voluntas non relinquatur sibi ipsi; tantum velle, ut voluntas agatur divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter; tantum velle, ut voluntas spiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiscentem; tantum denique velle, ut voluntas invictissime quod bonum est velit. Ergo adjutorium, quod in hoc statu dat velle, est efficax ab intrinseco. Insuper quomodo in Adversariorum systemate gratia Salvatoris dat velle? physicane præmotione, an morali? Morali, inquiunt; qua fit *ut objectum quod amandum proponitur, honestius & amore dignius appareat; quod timendum, horribilius; quod odio habendum, turpius.* Ita Suarezius lib. 3. opusc. cap. 5. num. 10. cui consentiunt Valentia 1. 2. q. 3. de divisione Gratiæ, puncto 3. Vasquez. 1. p. q. 27. disp. 88. num. 20. & 23. Quod exemplo confirmant aliqui, de quo Augustinus tract. 26. in Joan. *Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur.* Porro hac comparatione Sanctus Pater recte demonstrat animum trahi charitate & voluptate; sed

sed nunquam ego assentiar exempla istiusmodi per omnia prævoventi gratiæ quadrare; nam motionem metaphoricam ac moralem sitam in propositione objecti nec Pelagium arbitror negavisse, ut dixi cap. v. prop. 3. Sed ero liberalissimus. Sufficit, ut gratia det velle promotione morali, atque, ut *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum.* Habuit Adam gratiam internæ illustrationis. Igitur habuit gratiam, qua proponitur objectum honestius, & dignius amore dignoscitur. Habuit ergo & gratiam prævoventem moraliter. Atqui hoc non obstante per Augustinum Gratia Adæ collata dabat *posse*, non dabat *velle*. Est ergo ad gratiam quæ dat *velle*, sive adjutorium *quo*, præter excitationem moralem necessaria præmotio physica; ideoque gratia est efficax ante voluntatis consensum. Sed hæc ex sententia Adversariorum dicta sunto. Nostra enim sententia suo loco expressa est, in statu prioris conditionis Deum rationali creaturæ contulisse illuminationem & inspirationem indifferentem, nunc autem requiri determinatam, & efficaciter prævoventem.

26. Referuntur aliæ objectiones contra S. Augustinum.

Antonius Boucat, qui admittit quidem gratiam per se efficacem, sed rejicit traditum à nobis utriusque status discrimen differt. 3. de Nat. cujuslibet Grat. sect. 4. contendit S. P. Augustinum cap. 12. de Corrept. & Gratia pertractare solum de Persev. finali, de qua tantum dici possit, quod moveat voluntatem indeclinabiliter & insuperabiliter: imo plurimum miratur Augustinianos Theologos prædicta uti auctoritate; si enim gratia efficax sic moveret, *sequeretur*, inquit tom. 7. p. 499. *gratiam hominem non solum necessitare ad bonum, quod est contra Concilium Tridentinum, sed & figere immobiliter in bono.* Qua in re morem gerit Congruistis eodem inani subterfugio utentibus apud Honoratum Tournely pag. 652. Horum prodam, explodamque æquivocationem. Cum argumentum quod petitur à perseverantia finali, quam denegabant Semipelagiani esse speciale gratiæ donum, sit ad probandam electionem secundum propositum præcipuum atque palmare; agit utique Augustinus ad evincendam gratiæ necessitatem de finali perseverantia, ut ex ista discretionis nostræ principium, & divinorum auxiliorum propugnet necessitatem. Ergo gratiam iis, qui prædestinati sunt in regnum Dei singulariter præparatam, liberantem à peccato, quod est ad mortem, & adeo perficientem libertatem, ut peccare nequeat ulterius, quemadmodum prædicto, proximoque capite loquitur Augustinus, donum esse finalis perseverantiæ nullus negat, nec est cur tanta pompa verborum id moliantur quidam ostendere. Hocce nostrum assertum est: Adam non indiguit hoc perseverantiæ dono, quoniam fortissimo permisit Deus atque dimisit facere quod vellet; nec ergo indiguit adjutorio *quo* ad standum. Contra infirmus nequit perseverare, nisi ipsi perseverantia donetur; igitur nec converti, atque implere mandata, nisi per adjutorium, *quo* in ipso homine virtus perficiatur, & Deus operetur ut velit. Videsne quomodo cum Augustino ex dono perseverantiæ, quo Adam non eguit adstruamus utriusque status, divinorumque auxiliorum discrimen? Cæterum quod magnus Doctor tribuit perseverantiæ, quantum spectat ad auxilii efficaciam, etiam gratiæ victrici manifesto concedit. Docet cap. xi. ad Sanctos pertinere gratiam liberationis, quia in malis sunt, & caro concupiscit adversus spiritum: nunquid non sunt toto vitæ decursu in certamine laborantes ac periclitantes, ita ut poscant dari sibi per Christi gratiam pugnandi, vincendique virtutem? Addit xii. cap. quod ut primus homo non acciperet in bono perseverantiam, sed perseverare, aut non perseverare, in ipsius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, cui nihil ex seipsa concupiscentialiter resistebat: id fortassis non probat esse ad superandas, ut oportet, tentationes, legemque adimplendam amplioribus donis adjuvandam infirmitatem? Ostendit insuper sanctis donari gratiæ largitate non solum possibilitatem, sed etiam voluntatem, actumque perseverantiæ, ne in viribus suis glorientur: anne de cæteris operibus gloriabimur in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita hominis super terram, & ne quis, nisi in Domino glorietur, virtus in infirmitate perficitur? Ait demum, subventum infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: an non est ab utero quilibet homo infirmus, atque imbecillis? Ita ergo comparantur ad invicem donum perseverantiæ, & reliqua dona gratiarum, ut cum illud in hoc statu sit efficax ab intrinseco; necesse sit admittere ad opera salutaria præter gratiam sufficientem, etiam gratiam efficacem atque victricem, qua opus non habebat primus homo.

27. Ac refutantur.

Quod vero miretur ille Theologus; nos superiorem textum interpretari de gratia efficaci, cum inde sequeretur hanc gratiam necessitare ad bonum, istud potius

tius mirandum est. Peto enim, num homo finaliter perseverando mereatur? Si non meretur, quomodo gloria, quæ redditur perseverantiæ, est corona justitiæ? Si meretur, atque ad meritum requiritur libertas à necessitate, quomodo gratia perseverantiæ finalis agitur homo indeclinabiliter; sive, quomodo apud Augustinum idem est agi indeclinabiliter, atque impelli necessitate? Peto etiam, cur non inferatur necessitas ex D. Thoma scribente quæst. 6. de malo, *Deus movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis; quæ deficere non potest*, & ex Joanne Chrysostomo Hom. 74. in Joan. *Imploramus insuperabile Spiritus Sancti auxilium*? Respondet idem Auctor, S. Thomam appellare gratiam moventem *immutabiliter*, non ob necessitatem aliquam inductam libertati, sed ob infallibilem consecutionem operis; & Chrysostomum dicere auxilium *insuperabile*, non natura sua, ut cum beatorum voluntas in Deum rapitur, sed insuperabile *secundum quid*, ex virtute gratiæ, & ex libera hominum voluntate. Vide pag. 636. & 638. Bene quidem, & sapienter. Atqui etiam Augustinus loquitur de tali immutabilitate, & indeclinabilitate; cum gratia, quæ necessario voluntatem rapit in summum bonum, non sit donum perseverantiæ, sed sit consequens gloria, & visio Dei per essentiam, cum qua libertas non consistit, ut sæpe adversus Jansenistas ostendi. Ergo Augustinus non loquitur de gratia taliter insuperabili, ut inferat necessitatem. Arbitramur nihilominus opportunum esse, ne hæreticis præbeatur ansa propugnandi necessitantis gratiæ adjutorium, ubi gratiam dixerimus indeclinabilem atque invictissimam, libertatis simul commendare indifferentiam, sermonisque vitare cruditatem; quomodo hactenus factum est ubicunque de libero arbitrio oratio fuit instituta.

Ex tam prolixa, necessaria tamen Augustinianæ doctrinæ vindicatione, quæ me adversus veteres ac recentiores impugnatores exercuit, judicet prudens Lector, an Augustinus inierit pro gratia sese efficaci pugnam cum Pelagianis. Quæstionem hanc aliquibus odiosam, aliquibus vero ingratam nollem inter nos suscitari. Scimus pro affirmativa parte stare Thomassinum, Alvarez, aliosque Thomistas doctissimos; negativam Congruistas omnes tenere. Ne simus autem rigidi audacesque Censores, dicimus Augustinum pugnasse pro necessitate gratiæ adjuvantis voluntatem & operationem subministrando charitatem: & ne videamur causam nostram deserere; addimus S. Patrem pro gratia operationis & voluntatis decertantem auxilii per se efficacis invictissima argumenta suppeditasse. Atque hujus assertionis nostræ partem primam propositione quinti capitis tertia, alteram vero hac eadem Augustinianæ doctrinæ enucleatione & syntaxi dedimus multiplici ratione stipatam.

Momentum IV. ex aliorum Patrum doctrina.

28. Manutenetur Authoritas S. Augustini.

Sapienter monuit Perronius in postremo ad Regem Britanniæ Opere obs. 4. cap. 5. ante Pelagianos de Gratia & libero atbitrio non fuisse à PP. perfecte tractatum, quoniam multi, *qui optime poterant scripturas cognoscere & pertractare latebant in populo Dei, vel non afferebant solutionem quæstionum, difficilium, cum calumniator nullus instaret.* Jure ergo Augustinus in libro de Præd. SS. cap. 14. docet, non opus esse scrutari *eorum opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur: unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeuntur attingerent, immorarentur vero in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate servitur.* Quod cum animadvertisset vir doctissimus Dionysius Petavius, ut diximus in Præfatione ad VI. librum, scripsit in hisce disputationibus Latinos Patres Græcis esse præferendos, inter illos vero majorem esse auctoritatem Augustini. Quare sub tanto Magistro pugnantes non debent oppositorum phalanges reformidare.

29. Et conclusio probatur ex aliis SS. Patribus.

Non desunt tamen aliorum PP. cum antiquorum, tum posteriorum Augustino testimonia locupletissima. Atque paullo supra Chrysostomi, & Cypriani nonnulla producta sunt. Ambrosii pariter, & Nazianzeni, quorum apertissima sententia est, Deum ex indevotis devotos facere, & dare nobis tam credere, quam confiteri, pugil Gratiæ Augustinus in lib. de Dono persev. cap. 19. insignia loca produxit. Tertullianum appellasse *vim divinæ gratiæ potentiorem naturâ, quod habeat in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem*, liquet ex libro ejus de Anima cap. primo ac vicesimo.

vicesimo. Magnus Basilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 8. vocat gratiam *Auxilium quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis*; & serm. de liber: arbitrio, *Gratiam insuperabilis potentiæ.* Plura græce, latineque conscripta vide in egregio Opere Isaaci Haberti, quod inscribitur *Theologia Græcorum Patrum*, cuso anno 1646. Lutetiæ Parisiorum.

Ex iis vero, qui Augustini tempora sunt consecuti, accipe hæc pauca. Prosper S. Parenti notissimus, eique superstes scribens ad Rufinum: *Quis ambigat*, inquit, *tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generavit? Alioquin sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso novam fieri voluntatem, &c.* & pariter hæc addit illustriora, *Ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis obediendi in se delectatione generata ibi surgat ubi premebatur, ibi discat ubi ignorabat, ibi fidat ubi diffidebat, inde velit, unde nolebat.* Fulgentius etiam genium & lingua Episcoporum ævi sui, uti dicitur à Ferrando, & Sirmondo, primo libro de Verit. præd. & gr. cap. 15. ait: *Ista gratia ut eligatur ipsa prius eligit, neque suscipitur, atque eligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur.* Et Petrus Diaconus in libro de Incarn. & Gratia cap. 6. *Frustra garriunt qui dicunt, Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; cum etiam ipsum credere, quod est consensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus.* Hæc quidem, & alia permulta directe feriunt negantes necessitatem gratiæ prævenientis: sed quatenus hujus gratiæ effecta declarant, stabiliunt simul auxilii per se efficacis naturam, cum nequeat dependere à voluntatis assensu omnipotens virtus, quæ illum etiam in invito & nolente infallibiliter operatur. Quæ autem reponere possent Molinistæ, omnia in explicatione consimilium locorum Augustini fuerunt exposa, nec debent scholasticum stadium terentes injecto pulvere retardare.

Momentum V. ex aliorum placitorum confutatione.

30. Solvitur Objectio 1.

Erat ergo primum refutanda sententia Molinæ, postmodum Congruistarum, & eorum denique, qui invenerunt in sylva solis arbusculis consita proceram robustamque ilicem, gratiam scilicet efficacem in cumulo inefficacium gratiarum. Id præstiti superioribus argumentis; nec res iterum nisi compendio tractanda est. Molinianum placitum improbatur I. quia opponitur sacris litteris, & in eo potest homo gloriari in seipso: potest sese ab alio discernere; potest rationem reddere, cur unus obediat vocanti, alter resistat. II. Juxta illud non facit Deus ut servemus præcepta, non operatur in nobis velle, non agit ut agamus, rimaturque mortalis homo altitudinem judiciorum inscrutabilium. III. Orationum Ecclesiæ verba extorto fallacique sensu Moliniani nituntur exponere, certumque & planissimum contegunt novarum doctrinarum involucris. IV. Augustini scita, argumentationum capita, & statutam ab eo inter vires innocentis & infirmæ naturæ discrepantiam non assequuntur. V. Ut his, quæ non ignaviter censeo comprobata, addam aliquid, videntur mihi sufficientem gratiam nullo pacto secernere ab efficaci. Nam sicuti ratiocinabatur eruditus Augustinensis Theologus Lovanienses Petrus Clenaerts in quodam opusculo typis edito anno 1688. cui titulus, *Augustinus per seipsum docens*; dividiturne lux in sufficientem, & efficacem, eoquod unus, non alter oculos claudat? Eadem virtutis ejusdem medicina dividiturne taliter, quia unus sumit, alter non sumit? Concursus Dei naturalis ac indifferens ad sedendum soletne dividi in efficacem & sufficientem, quando unus cum illo se determinat ad sedendum, alter non? Distinctio illa est determinantium, non principii concurrentis de se indifferenter. Hæc Clenaerts. VI. Tandem quomodo in sententia Molinæ perseverantia finalis donum est speciale, ut definit Synodus Tridentina, si perseverantes nullum præ cæteris singulare auxilium recipiunt?

31. Solvitur 2. Objectio.

Opinio pariter Congruistarum subjacet, ut vidimus iisdem incommodis, quandoquidem circumstantiæ nullam addunt divinæ gratiæ virtutem; ideoque militant adversus Congruistas argumentationes eædem. Inferuntur ex ea aliæ absurdissimæ consecutiones. I. quod constitutus in mortis articulo non deberet gratiam suppliciter exorare, cum tamen, si necesse est orare sine intermissione, id tunc maxime. At quid morti jam proximus postulabit? Gratiamne? Hæc vero singulis adest, præsertim in istorum opinatione. Petet locari

locari se in circumstantiis magis congruis? Sed in articulo mortis est, atque in extremis laborat. Nihil est ergo illi petendum, nisi ut frangat omnipotens cordis ejus pravitatem, si male vixit; si bene, donet misericorditer perseverantiam, & in extremo certamine pugnandi, vincendique virtutem. II. Habuisse Adam gratiam *congruam*, & consequenter perseverasse, quod falsum esse constat experimento; nulla quippe major *congruitas* dari potest, quam hominis constitutio in priori integritate naturæ. III. Sequeretur falsum esse, quod tamen videmus contingere, nunquam converti peccatores in ipso æstu & fervore peccandi, & justos semper respondere gratiæ excitanti, dum summa pace fruuntur; quod falsum esse exemplo Pauli, ac testimonio Augustini alibi ostendimus. Datur ergo gratia *congrua*, sed quàm à gratia per se efficaci perperam Recentiores distinguunt. Quælibet enim Gratiæ congruitas non à naturalibus circumstantiis, sed à Dei munere petenda est. *Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit: ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admisisti:* ita Augustinus Hom. 23. inter L. Rem breviter explicabo haud obscura comparatione. Sit aliquis à latronibus expoliatus, & relictus plagis impositis semivivus. Certe si medicus pertransiens veniat secus eum; misericordia motus, & approprians alliget vulnera ejus, infundat oleum & vulneratum imponat super jumentum suum, ducat in proximum stabulum, & curam ipsius agat; congruum, aptumque miserrimo illi remedium exhibet, & tale, quo opus non habebat, nisi incidisset descendens à Jericho in Jerusalem, in latrones. Hujus autem medicamenti efficacia non inde repetitur, quod peregrinus ille media in via prostratus jaceat, atque à prætereuntibus reliquis sit derelictus; sed à misericordia & cura liberatoris; rerumque circumstantiæ possunt quidem infirmitatem aggravare, ut diligentior cura sit necessaria; sed hæ non tribuunt oleo virtutem, quam habet qualitate sua, & medici applicatione. Id præstat medicinali gratia Salvator; quemadmodum sub parabola Samaritani nobis decimo capite explicat S. Lucas Evangelista.

Novissima Defensorum scientiæ mediæ sententia fucum facit, & nullatenus à præcedentibus diversa est. Illa enim divinorum auxiliorum ubertas & copia, si habet efficaciam à se, atque ex Dei voluntate absoluta, est gratia quam nos defendimus, neque cum Scientia media concordat; si non habet talem efficaciam seipsa, stant omnia præcedentia argumenta in suo robore. Illud præterea nobis imperceptibile est, quomodo unaquæque gratia singulariter accepta nequeat esse cum effectu infallibiliter conjuncta; & talis sit tamen gratia aliqua ex omnium thesauro selecta. Cum insuper hi Theologi singularem gratiam suapte natura infallibiliter operantem rejiciant, quod arbitrentur evertere libertatem; neque componi poterit cum qualibet multiplicitate gratiarum libertas ipsa, quoniam in ea multiplicitate est aliqua gratia operans infallibiliter. Atque hæc sunt argumenta, quæ pro gratia per se efficaci videntur nobis Augustinianæ Theologiæ concordissima; eorumque plura etiam Thomistas probaturos esse cofidimus. Juxta horum principia, quadraginta invenies in Commentariis Guilelmi Estii, quinquaginta in disputationibus Bancel, plura apud Thomam de Lemos, innumera in amplo volumine Reginaldi, validiora in Controversiis Joannis Gonzales, aliorumque Auctorum. Ut omnia brevissime comprehendamus; dicimus cum beato Prospero in Carmine de Ingratis, medicinalis gratiæ efficaciam à nulla mutabili conditione pendere. Sic enim ille Poeta, ac Theologus præstantissimus:

32. Solvitur Objectio 3tia.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis,

)o(

CA-

CAPUT X.

Quam in literario Orbe Molinæ doctrinam fortunam subierit.

SUMMARIUM.

1. Auctor non vult dicere Molinæ sententiam acatholicam.
2. Historia de doctrina Molinæ.
3. Sententia S. Augustini non subjacet Censuræ.
4. & 5. Continuatur Historia.
6. Qualem fidem mereatur hæc historia.
7. Defenditur doctrina Augustiniana.
8. Per Sententiam Thomistarum.
9. Scotistarum.
10. Ac Recentiorum.

1. Auctor non vult dicere Molinæ sententiam acatholicam.

HISTORICAM narrationem circa progressum ac discrimina Molinianæ sententiæ hoc capite paucis facturus, præmittendum arbitror nulla nos censura eamdem tanquam acatholicam, erroneamque insectari, memores quod à nobis postulant Christiana charitas & modestia, nec non Romanorum Pontificum definitiones. Cum tamen falso nonnulli scripserint sententiam illam in habitis circa eam ventilationibus magnum supra nostram reportasse triumphum, proximumque fuisse ut hanc Clemens VIII. proscriberet, quemadmodum ait P. Assermet Doctor Sorbonicus; prætereundum non est, rem omnino aliter evenisse, nec Molinistis aliquid accessisse præsidii, sententiæ autem nostræ ex hac etiam parte multum auctoritatis. Quod sane nequit melius, quam ex historia rerum gestarum, dijudicari.

2. Historia de doctrina Molinæ.

Itaque ubi primum facta Scholarum S. J. Moderatoribus libertate docendi, anno 1581. Prudentius de Monte Mayor Salmanticæ decreta per se efficacia expositis thesibus cogitavit explodere, celeberrima universitas Salmanticensis, nullo contradicente Magistro, censuit erumpentem in Scholas opinionem severiori temeritatis nota suffocandam & comprimendam. Factum id opera Dominici Bannes rigidiori prædeterminationis assertore, atque in ætate ad perstringendum editas lucubrationes plus æquo prona, conqueritur in suo pro Scientia media Apologetico Paulus Leonardus: at factum tamen. Vertente verò anno 1584. antequam prodiret *Ratio atque Institutio Studiorum*, de qua consilium iniit hoc ipso anno Aquaviva, ut narrat Possevinus Tom. 1. Biblioth. & in libro *de Cultura Ingeniorum*, Volstadii P. Avullentia cœpit Molinianum dogma vulgare; atque illo edito jam & sparso libro de studiorum institutione Lessius & Hamelius in Collegio Societatis Jesu Lovanienſi anno præsertim 1586. eadem Molinæ placita scripto, verboque tradiderunt. Verum adeo Lovanienſi per totum orbem clarissimæ Academiæ nova doctrina displicuit; ut in eam proximo anno 1587. notissimam, gravissimamque *Censuram* emiserit; uti fecit insequenti anno 1588. celeberrima Duacensis. Exornavit autem illam Theologorum omnium approbatione & mandato Henricus Gravius, hanc autem Guilelmus Estius, nomina universis scientiarum divinarum Professoribus longe audita. Addiderunt eodem anno 1588. Lovanienses memoratæ Censuræ *Justificationem* adversus Apologiam à PP. Societatis conscriptam. Oborta hinc inter Scholas Jesuitarum, & inter Universitatem dissidia.

3. Sententia S. Augustini non subjacet Censuræ.

Antequam de horum compositione nonnulla dicam, de prædictis Censuris sunt aliqua subtexenda. Dixerunt quidam consarcinatas ab iis, qui partibus Bajanis nimium erant addicti, atque postea à cæteris Theologis reprobatas. Sed ii supino errore falluntur. Nam præterquam quod Auctorem, & deprehendimus, & commemoravimus, Censuram Lovanienſem omnium plane Doctorum suffragiis fuisse firmatam, & Gratiam per se efficacem in ea contentam semper ab Universitate propugnatam, totisque lacertis defensam, Universitas ipsa sub juramento declaravit die 30. Julii 1613. & die 19. Aprilis an. 1648. Atque hanc Majorum suorum sententiam esse, & adhuc à se teneri declaravit anno 1679. summo Pontifici per eximios Theologos Martinum Steyaert, Franciscum Vanvianen, & Christianum Lupum singulare Ordinis nostri ornamentum. Qui die 20. Martii à felicis recordationis Innocentio XI. ad Ecclesiæ Clavum sedente obtinuerunt damnationem sexaginta quinque propositionum ad mores pertinentium, simul-

que obtulere supplicem libellum cum Censuris Lovanienſi & Duacenſi, & Juſtificatione earumdem, ut ſi quid in his eſſet corrigendum, id præſtaret Petri cathedræ Magiſterium. Atque poſt operoſum examen die 10. Junii ejusdem anni 1679. ſignificatum illis eſt doctrinam ibidem contentam ab omni erroris nota eſſe immunem, & absque Sedis Apoſtolicæ offenſa defendi poſſe; licet Pontifex Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, & Eccleſiæ paci provide conſulens noluerit Cauſam hanc Reſcripto aut decreto aliquo definire. Colligere hinc præſtat, quam immerito aliqui ſententiam noſtram in Janſenio telo petitam auſerint vociferare. Etenim eo tempore, quo de Janſeniſmo extirpando ſummus Eccleſiæ Rector erat ſolicitus, oblato ſibi libello, in quo ſententia de gratia efficaci ab intrinſeco liquatiſſime & absque ulla tergiverſatione comprehenditur; non poterat hæc Vaticanum fulmen vitare, ſi quid haberet cum pravo Janſenii dogmate affinitatis. Sententiæ ergo noſtræ ſecuritas non potuit Lovanienſes Doctores retrahere, quin eam proponerent etiam in circumſtantiis, in quibus contra quinque famoſas propoſitiones Eccleſia univerſa obſtrepebat; & ipſa Janſeniana hæreſis ſeſe vaferrime quaſi pallio noſtro occultabat. Quamobrem in Janſenismi profligatione Cenſuræ Lovanienſi, & conſequenter ſententiæ noſtræ non præjudicium obvenit, ſed fulcimentum; maxime quod Alexander VII. qui poſt Innocentium X. Janſeniana aſſerta damnavit, die 7. Auguſti anno 1660. ſuo Brevi Lovanienſes hortatus eſt, *ut Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſemper, & impenſe revereri* ſtuderent. Qua hortatione & commendatione doctrinam de gratia per ſe efficaci tantummodo celebrari, & non illorum, qui ad Moliniana placita contorte trahunt Auguſtinum vel Thomam, id profecto comprobat invictiſſime, quod Academia Lovanienſis in Cenſura, in Juſtificatione, & in publicis Juramentis tam aperte fuerat conteſtata ſe rejicere ſcita Molinæ, & defendere & tutari gratiam ex intrinſecis ſuis efficacem. Nec debet quemquam movere, à Cenſura Lovanienſium receſſiſſe Univerſitatem Trevirenſem, & Moguntinam, propterea quod traditæ jam erant diſciplinæ Patrum Jeſuitarum, nec invenimus Romanos Pontifices has, aut aliam quamlibet hortatos ad tenenda *inconcuſſa* dogmata Molinæ, quomodo ad tenenda *inconcuſſa tutiſſimaque* dogmata gratiæ per ſe efficacis hortatus eſt Lovanienſes præfatus Pontifex Alexander, atque ætate noſtra Fratres Prædicatores Benedictus XIII. ex eodem Ordine aſſumptus in Brevi dato Romæ die 4. Novembris 1724. & in altero dato die 26. Maji 1727. in quibus etiam palam & in conſpectu Eccleſiæ conteſtatus eſt, ſe eamdem cum noſtra ſententiam tenere. Quæ omnia diligenter notanda ſunt ad coercendam eorum licentiam, qui prætextu exorti Janſeniſmi putant Herculeis viribus contra nos velitari.

4. Continuatur.

Redeundum jam ad Lovanienſium cum PP. Societatis concertationes. Eodem anno 1588. vulgata *Juſtificatione*, & adeo à doctis viris probata, ut Archiepiſcopus Mechlinienſis vellet contra doctrinam Molinæ convocare Provinciale Concilium, idque pararet etiam Archiepiſcopus Cameracenſis, quod liquet ex literis ad Univerſitatem directis die 21. Januarii, occurrens gliſcenti malo Sixtus V. Pontifex Maximus Lovanium miſit Octavium Fregipanium Epiſcopum Calatinum apud Germanos & Belgas Apoſtolicum Nuntium: qui auctoritate Apoſtolica indixit utrique parti ſilentium, juſſitque, ne una adverſus alteram cenſoria notatione uteretur, donec accederet Sedis Apoſtolicæ definitio. Etiam Duaci utrinque conticuerunt, conditione tamen, ne PP. Societatis docerent in materia de Gratia quod non probaretur à Theologica Facultate, quoadusque diſceptatio finiretur Romani Pontificis Conſtitutione. Suſtinuiſſe quoque Leonardum Leſſium ſuæ temeritatis gravem reprehenſionem affirmat lib. de ult. fine cap. 12. Henricus Henriquez Societatis Jeſu Theologus. Hic exitus controverſiarum in Belgio.

5. Hiſtoria.

Interea temporis prodiit Concordia Molinæ: atque ex Belgio ad Hiſpanos pertranſiit vetus contentio. Stetit pro Gratia efficaci adverſus Moliniſtas Sacer Ordo Prædicatorum. Cauſa ad Inquiſitionem Hiſpanicam delata eſt: hæc conſuluit Univerſitatem Salmanticenſem: apud iſtam male audit Molinæ liber, ſi fides habenda eſt Thomæ Lemos lib. 4. Panopliæ Tract. 4. cap. 43. Nec eſt cur tanto viro fides derogetur, cum ob illius integritatem, tum ob judicium conſimile ejusdem Academiæ Salmanticenſis, quando talia movit Prudentius de Monte Mayor ſeptem annis ante editio-

tionem Concordiæ. His ergo ferveſcentibus controverſiis Clemens VIII. in ſummum Pontificem renunciatus die 30. Januarii 1592. impoſuit primum utrique parti ſilentium; deinde mandavit, ut ſcripto ſententias expreſſas ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, & Conciliorum ac Patrum auctoritatibus communirent; ac tandem cauſam Romæ agitari mandavit, id ultro cupientibus Jeſuitis, atque laudabili humilitate promittentibus ſe obtemperaturos ac ſubſcripturos judicio Romanæ Sedis. Initium inde habuit ſub eodem Pontifice die 2. Januarii an. 1598. celeberrima Congregatio de Auxiliis.

6. Qualem fidem mereatur hæc Hiſtoria.

Hujus Congregationis Hiſtoria ex variorum ſcriptis & reconditis monumentis à duobus inter ſe pugnantibus Auctoribus edita eſt, ſcilicet à P. Hyacintho Serry ſub nomine Auguſtini Le Blanc Lovanii an. 1700. & à P. Meyer ſub aſcititio cognomine Eleutherii Antuerpiæ an 1705. Hunc Auctorem falſitatis redarguere & plane confutare priorem hiſtoriam ſcribit Tournely Tom. 1. Curſus Theologici pag. 440. ſed non vidit fortaſſe vir doctus editionem alteram Antuerpienſem anni 1709. ſub proprio Auctoris nomine, in qua prior vindicatur, fides Actorum aſſeritur, & Eleutherius haud obſcuris argumentis revincitur. Quidquid ſit de utriusque auctoritate Scriptoris; tria certiſſima ſunt, nec in dubium revocari poſſunt, niſi temere Acta quæque memoriæ poſterorum conſignata negentur, præſertim conſcripta ab ingenuo viro F. Gregorio Nunnio Coronello Ordinis noſtri primo Congregationum Secretario; quæ penes nos adhuc in Angelica Bibliotheca ſervantur. Primum eſt majorem Conſultorum partem ſententiam de gratia efficaci à conſenſu, & cooperatione liberi arbitrii exoſam habuiſſe, ſuisque ſubſcriptionibus reprobaſſe. Alterum, Clementem VIII. non tantum Congregationum initio mandaſſe, ut aſſertionum capita ad probatiſſimam atque à Prædeceſſoribus ſuis conſecratam S. Auguſtini doctrinam expenderentur; verum etiam ad proſcribenda Moliniana dogmata maxime fuiſſe inclinatum, ſcriptumque pro Gratia per ſe efficaci ex variis Auguſtini locis depromptum ipſummet exhibuiſſe, ejusque mandato editam à Coronello Cenſuram Molinæ, cui omnes, ſi Bovium exceperis, die 12. Martii 1599. Conſultores Theologi ſubſcripſerunt. Quam Cenſuram in Archiviis noſtris Romæ aſſervatam neque in Molinam ſtudioſi editam negant, plura cauſantes ad illius minuendam auctoritatem, veluti Cenſorum in adverſam partem officium clientelæ, atque non tantam, quæ ſatis eſſet, cauſæ peritiam. Hæc vero, quoniam inepta ſunt, nec ſolidi crepant aliquid, refellere non eſt opus. Tertium, quod indubitatum contendimus, eſt, Paulum Quintum Pontificatus ſui anno 2. ideſt 1606. præcepiſſe unicuique Conſultorum ut damnandas propoſitiones diligenti ſtudio ſeligerent, ac delinearent ſinguli edendæ Conſtitutionis ſpecimen; omnes vero, excepto Bovio, in damnationem Molinæ iterum conſpiraſſe. Hujus Bovii Epiſcopi Melphitenſis olim Societatem profeſſi eſt Tenor alius Bullæ delineandæ, in qua indeciſum relinquitur punctum de Gratia per ſe efficaci & hunc Annatus, aliique ſolent ex adverſo laudare; ſed non eſt digeſto à Cenſoribus omnibus reliquis præferendum exemplar iſtud ab uno Bovio delineatum. Veriſſimum tamen eſt, nullum diploma contra ſententiam Molinæ fuiſſe publicatum; quin decreto Pontificis cautum eſt, ne aſſertores unius ſententiæ oppoſitam aliqua cenſura proſcinderent, reſervato, ut æquum erat, Apoſtolicæ Sedi judicio. Cui nos debitam obſervantiam profitentes, etſi pro una parte pugnamus, ſuam alteri probabilitatem relinquimus, hoc unum aſſerentes in hiſce omnibus controverſiis nunquam ſententiam noſtram, quomodo Molinianæ accidit, ſubiiſſe pericula. Sed & ingenue fatemur, nullam, quod jus attinet, vim habere Acta, & Cenſuras hactenus memoratas, utpote quæ non fuerint ſupremo judicio finita. An vero Paulus V. ſententiæ promulgationem ſuſpenderit (ut inquiunt nonnulli) ob interdictum in Venetos promulgatum, cujus occaſione PP. Jeſuitæ ſuam erga Apoſtolicam Sedem obedientiam ſingulari exemplo comprobarunt, an ob aliam cauſam in ſummi Paſtoris animo latitantem, noſtrum, Eccleſiæ videlicet puſillorum divinare non eſt: imo firmiſſime tenemus ſupremum Eccleſiæ Rectorem nullo humano affectu, ſed provido ſanctoque conſilio abſtinuiſſe à promulganda ſententia; ut pax inter nos ſervaretur, & veritas conjuncto cum humilitate ſtudio, & absque acerba contentione diligentius inquireretur. Ex Congregationibus itaque de Auxiliis, quæ a die ſecunda Januarii anni 1598. in qua habita fuit Congregatio prima perdurarunt uſque ad

diem 20. Augusti anni 1607. in qua habita fuit postrema, hæc tantum colligenda esse existimavi.

7. Defenditur doctrina Augustiniana.

Puto neminem dicturum, etiam Augustinianam doctrinam pluribus aliquando displicuisse, uti Adrumetinis Monachis, & Massilienſibus, aliisque doctrina & sanctitate conspicuis, ac tempestatem & naufragii periculum passam in damnatione Gothescalchi, in causa Leonardi Utinensis, atque in proscriptione propositionum Baji, Jansenii, Quenellii, aliorumque hujusce factionis hominum. Enimvero quisquis lucubratiunculas nostras perlegere non dedignabitur, videbit ex Adrumetinis rudiores tantum, & divinarum rerum ignaros dissensionem inter Monachos suscitasse, & hanc etiam opera S. Patris oportune sedatam, in causis autem cæteris non sine magna Augustinianæ doctrinæ commendatione novitates atque hæreses eliminatas. Atque hæc, quoniam suis quæque locis dispositui, necesse non est permixtione quadam conglutinare. Sat est nullum ex Romanis Pontificibus, nullamque Christiani Orbis celebrem Academiam unquam dogmata hæc nostra repudiasse, sed tradidisse antiquitus, & hactenus propugnare, vel saltem præconii laudibus ornavisse.

8. Per Sententiam Thomistarum.

Factum hinc arbitror, ut, ubi Molinæ sententia continuit se inter domesticos parietes, externos autem defensores nonnisi aliquos ab institutis Majorum suorum degeneres adinvenit; nostram exceperint omnes fere Ordines Regulares, atque Theologi ætatis cujuslibet præclarissimi. Et quidem amplissimo S. Benedicti Occidentalium Monachorum Patris Ordini ego tantum censeo tribuendum esse, ut Augustinianæ Scholæ splendorem ei maxime acceptum referam. Nullus in Molinam magis integer animadversor Jacobo Le-Bossù Doctore Sorbonico: nullus pro Lovanienſi Censura stetit magis, quam cum sua Ecclesia Atrebatensi Episcopus Meulartius; atque, ut mittam Didacum Sylvam, innumerosque Theologos Duacenses, ut plurimum ex horum Monasteriis decem simul, ac plures electos, nullus Operibus ac Doctrinæ Augustini melius consuluit, quam S. Mauri sanctissima & doctissima Congregatio. Dominicanæ Familiæ Doctores omnes Alvarez, Lemos, Bannes, Gonet, & quos recensere non vacat, numero atque eruditione præcipui, duo quoque Scholarum lumina Magnus Albertus, & S. Thomas, fuerunt, ac sunt Gratiæ efficacis acerrimi propugnatores. Nostrates prætermitto. Quid sentiant Carmelitæ cum Joanne Baccone, quem habent Scholarum suarum Ducem, præclara scripta Thomæ Valdensis, Andreæ de Lao, Lezanæ, aliorumque, una cum Salmanticensium, & Complutensium editis Voluminibus, apertissime contestantur. Meminissem, uti æquum esset, Ordinum cæterorum, nisi hanc provinciam viri celebres suscepissent, neque res esset in medio posita, omniumque sermone celebratissima.

9. Scotistarum.

Sunt revera ex recentioribus Scotistis aliqui magis sententiæ oppositæ addicti; at si de Ordine universo indiscriminatim loquamur; malo causæ nostræ patronos appellare, quam adversarios. Ipse profecto Molina in Concordia Quæst. 14. art. 13. disp. 48. Scotum illorum Principem contrarium esse testatur: & si Doctorem Subtilem videamus in dist. 46. libri quarti, prorsus optime. Docet quidem alicubi voluntatem determinare seipsam; & recte, est enim libera & activa facultas: sed determinationem hanc ab efficaci decreto, & prædefinitione divina minime sejungit, ut constat ex dist. 37. libri primi. Primus aliorum Episcoporum subscripsit Censuræ Lovanienſium Franciscus Waloncapelle Antistes Nemovicensis. Steterunt pro Gratia per se efficaci qui Congregationibus de Auxiliis ex hoc Ordine Censores interfuere: eamdem propugnavit Florentius Conrius Archiepiscopus Thuamensis cap. 9. Peregrini Jerichuntini, Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus Comment. in cap. 8. Epist. ad Romanos, in libro adv. hæreses VII. Alphonsus à Castro, &, ne percenseam singulos, in Cortina, & in libro, qui inscribitur *Mens vera Augustini*, Franciscus Macedo. Videntur propterea juniores quidam perpauci, qui Majorum signa dereliquerunt, uti de Scholis aliis dictum volo, nequaquam sufficere ut insignes Scoti palestræ ab Augustinensibus credantur disjunctæ. Quarum tanta est consuetudo, ac tantum pervetustæ necessitudinis vinculum, ut Scotus in solis Theologicis Commentariis octingenties, ac quindecies in præsidium assertionum suarum advocaverit Augustinum; & ex Augustiniano Ordine primus omnium Scoti opera anno 1474. edi curavit Thomas Pendet, Divum autem Bonaventuram Scholiis, vindiciisque illustraverit Angelus Rocca vir etiam Oudini judicio doctissimus.

10. Ac Recentiorum.

Ipsam quoque amplissimam Societatem Jesu decretis nostris adversari non ausim universim asserere. Neque enim Sanctus Patri-

Patriarcha Ignatius à Benedictinis, quos dicitur adjisse, nec primi ejus alumni à Gymnasiarchis, à quibus imbuti sunt, potuerunt doctrinam nondum excogitatam haurire. Neminem præterea latet Societatis Constitutiones, ut in prima generali Congregatione anno 1550. fuerunt receptæ, IV. parte cap. 14. præcipere, ut prælegatur Thomæ Aquinatis Scholastica Theologia. A qua in hoc præsertim de Gratia efficaci puncto non fuisse alienum Alphonsum Salmeronem unum ex primis Ignatii Sociis, demonstrat in altera parte de Mente Concilii Tridentini cap. 71. eruditissimus Reginaldus. Francisci Cardinalis Toleti in Commentariis ad Evangelium Lucæ cap. 5. annot. 54. necnon Benedicti Pererii lib. VIII. de Rerum nat. principiis, cap. 8. & in Danielem lib. III. cap. 3. extat pro sententia nostra absolutum plenissimumque suffragium. De Henrico Henriquez legendi Salmanticenses Tract. 3. de scientia media disp. 10. dub. 8. De Azorio, Canisio, & Costero videndus Paulus Fasseau in Opere, cui titulus *Auctoritas Philaletis*, edito cum magnifica plurium approbatione Duaci anno 1670. Ibidem de aliis compluribus. Etiam Ferdinandum de Bastida acerrimum defensorem Molinæ in Hispaniam absolutis Congregationibus de Auxiliis reversum cum veste Societatis priorem exuisse doctrinam ferunt apud Auctorem illius Historiæ Oviedo, & Martines. Eam ob rem scite ac sententiose concludam, non defuturos Gratiæ per se efficaci, quamvis oppugnarent illam cæteri, Scriptores Societatis, qui susciplant ejus causam: tanta est Augustinianæ sententiæ dignitas atque auctoritas; ut, quemadmodum de magno Protoparente ait in Epigrammate Doctor Aquitanus, nequeat eam inficere anguiculus,

In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa torqueat arte caput.

CAPUT XI.

Expediuntur argumenta, quæ pugnant adversus gratiam per se efficacem.

SUMMARIUM.

1. Usque ad N. 10. Variæ solvuntur, & diluciduntur objectiones contra gratiam per se efficacem.

1. Adducuntur objectiones contra gratiam efficacem.

PRÆCIPUUM Adversariorum argumentum est, quod cum Gratia per se efficaci nequeat componi libertas. Et illud quidem à nobis non semel contritum fuit; sed cum tironibus videatur difficillimum, & non uno runcinæ ductu possit robur dolari, illius asperitatem, si quæ supereſt, complanabimus. Dari ergo libertatem indifferentiæ, quam definiunt Theologi omnes *potestatem ad agendum vel non agendum positis omnibus requisitis*, & de qua affirmat Augustinus, quod sit *media illa vis, quæ ad fidem, & infidelitatem potest inclinari*, S. autem Thomas eam appellat *vim mediorum electivam*, nullus non hæreticus negat. Atque hanc libertatem per efficacem gratiam subverti non uno ex capite evincere conantur Moliniani. Proferunt primo nuper traditam libertatis definitionem, atque sic argutantur. Requiritur ad essentiam libertatis potestas indifferens, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, agere, vel non agere valeat. Datâ autem gratiâ ex intrinsecis suis efficaci, non remanet hæc potestas indifferens, quoniam hæc gratia dat ipsum velle, ipsum agere, ipsum indeclinabiliter operari, atque determinatio actus tollit indifferentiam. Igitur gratia ab intrinseco efficax libertatem evertit. Deinde afferunt definitonem Tridentini Concilii sess. 6. Can. 4. declarantis liberum arbitrium *à Deo motum & excitatum posse dissentiri si velit*: quod sane ita debet intelligi, ut liberum arbitrium dissentiri possit *in sensu compositio divinæ motionis*, loquitur enim Concilium de libero arbitrio præmoto, atque excitato, & consequenter frustra ad hoc momentum elidendum recurrunt quidam *ad sensum compositum & divisum*. Idem insuper probant ex notissimo Scholasticorum axiomate, *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est*: Si ergo gratia efficax est cum effectu necessario connexa, neque ab illo potest divelli, subministratur enim absoluta

soluta Dei voluntate atque decreto efficaci, quod non potest non exequi prædefinitam operationem; erit quoque necessaria ipsamet operatio, quæ tale decretum consequitur. Insuper nos efficacem gratiam statuimus esse victricem delectationem: At notissima est sententia Augustini, super quam Jansenius totum systema construere tentavit, *Quod magis delectat, illud sequamur necesse est*: Igitur necessarium est quidquid per auxilium efficax operamur. Item si cum promotione absoluta & indeclinabili potest consistere indifferentia liberi arbitrii, erimus etiam liberi ad ambulandum, dum constringimur vinculis gravati compedibus atque ergastulo. Rursus si quis in hac sententia efficacem gratiam abjiceret, eique reluctaretur, decreta Dei frustrarentur: pari ergo ratione si posset quis reluctari, possent irrita fieri, & frustrari absoluta decreta Dei; ideoque aut hæc decreta non dantur, aut non persistit cum iis potestas liberi arbitrii abjiciendi divinam gratiam, & reluctandi. Tandem sub gratia efficaci aut potest quis dissentiri, aut non potest: si non potest, jam periit libertas: si potest, vel dissentiet aliquando, vel non; si illud dixeris, non est ergo gratia cum effectu infallibiliter conjuncta; si nunquam dissentiet, cui bono, cuinam commodo potestas nunquam operatura?

2. Eædem Solvuntur & quidem prima.

Meminisse te oportet, Lector, eorum, quæ scripsi lib. IV. cap. 13. Principio dixi argumenti difficultatem nos minime deterrere; cum Augustinus fateatur esse perdifficile libertatem concordare cum gratia; & similia objecerint olim Semipelagiani Massilienses. Quare si nobis responsio nulla succurreret, fateremur ignorantiam nostram, non tamen denegaremus gratiam per se efficacem, reponentes dari liberum arbitrium, dari gratiam, & hanc trahere illud modis miris, atque ineffabilibus. Illud repeteretur à nobis, istam conciliandi cum gratia liberum arbitrium perplexam difficillimamque quæstionem demonstrare, quod divinorum auxiliorum efficacia non sit repetenda à voluntatis consensu; nam si hoc esset, non foret quæstio *ad discernendum difficilis*, ut dicitur ab Augustino in libro de Gratia Christi cap. 47. de Sp. & lit. cap. 39. in Epistola ad Sixtum, atque aliis in locis. Sed quoniam nolunt adversarii his acquiescere; percurre regulas à nobis ibidem traditas, & quintam præsertim, in qua docuimus liberam esse voluntatem circa omne bonum, quod in se non habet plenitudinem bonitatis, & etiam circa bonum incommutabile, quotiescunque non videtur in se, ut contigit in patria; ubi idcirco non remanet, comparate ad ultimum finem, indifferentia judicii, nec libertas à necessitate. Quibus ad memoriam revocatis, ad primum argumentum admitto traditam liberi arbitrii definitionem; & nego quod sub gratia efficaci non remaneat potestas ad oppositum, quando operatur in nobis velle, & facit ut faciamus. Id enim præstat per supernam illuminationem, & inspirationem sanctæ dilectionis, at non talem quæ nobis verum sub omni ratione veri, & bonum sub omni ratione boni proponat, rapiatque in se mentem & animum illa necessitate, qua in verum bonumque in communi protendimus. Neque inducit gratia efficax necessitatem, propterea quod ipsa sit infallibiliter conjuncta cum actu. Nunquam enim eveniet ut non amplectamur liberrimâ voluntate, quod nos magis trahit, magisque delectat, quamdiu ipsa delectatio, bona voluntas, & deliberatio animi perseverat: & nihilominus id potest non evenire; quoniam ea delectatione non absorbetur voluntas à plenitudine bonitatis, ideoque *potest alio amore superari, & ex mundi delectatione marcescere*; etsi non superabitur, donec Spiritu Sancto inflammante charitas Dei vincat pugnantem cupiditatem. Ita quamdiu teneor amore servandi propriam vitam, aut determinate volo sedere, vel ambulare, nunquam me præcipitem dabo, nunquam ab opere, quod volo, desistam; possum tamen velle, & facere oppositum, quoniam in hoc quod volo possum apprehendere aliquam speciem mali, ac præsentem voluntatem abjicere.

3. Solvitur 2da

Ad secundum respondeo optime exponi definitionem Tridentini Concilii per sensum compositum ac divisum. Neque enim Thomistæ docent quod in sensu composito excitationis & motionis divinæ non sit in nobis potentia dissentiendi, ut cavillantur nonnulli; sed docent tantum quod non possit componi dissensus cum ipsa efficaci excitatione & motione, ita ut sensus compositus & divisus appellet *positionem actus*, non *possibilitatem*. *Quamvis enim* (audi Beatum Thomam q. 23. de Verit. art. 5. ad 3.) *non esse effectus divinæ voluntatis non possit stare cum divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate: non enim ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.* Verum ut hactenus

mus

mus in priori responsione in re ab hac doctrina Divi Thomæ non discrepante: concedo posse hominem dissentiri etiam in sensu composito vocationis & excitationis divinæ, non enim est excitatio & motio, quæ proponendo bonum incommutabile cum perfectissima ipsius cognitione necessario trahat ad se voluntatem: sed nego cum tali excitatione divinæ gratiæ ponendũ fore aliquando dissensum. Aliud est enim posse dissentiri, aliud dissentiri reapse: stat quippe sine actu potentia, & plura possumus facere, quæ non facimus. Dum excitamur auxilio efficaci infallibiliter assentimur, quoniam Deus facit, ut faciamus, agit ut agamus, & operatur in nobis velle & perficere: atque si facimus, si volumus, si operamur; quomodo simul & semel nec operemur, nec velimus, nec faciamus? Possumus tamen non assentiri, cum talis excitatio non sit luminis gloriæ, & charitatis consummatæ, sed illuminationis & dilectionis, quæ consistit cum indifferentia judicii. Profecto infallibilitas actus excludit negationem actus, minime vero negationem potentiæ ad non agendum. Dum volo, ut velim necesse est; non est autem consequens, ut dum volo non possim non velle. Fatentur etiam Congruistæ illum, cui gratia *congrua* parata est, infallibiliter consensurum. Non ergo infert infallibilitas actus negationem potentiæ ad oppositum.

4. Sententia Augustiniana non cadit sub censuram Tridentini.

Dicam de Tridentino Concilio ad Tironum eruditionem nonnulla. Congregatum fuit adversus hæresim Lutheri & Calvini; quorum impissimum dogma erat: extinctum penitus per culpam Adæ liberum arbitrium, ita ut motio & excitatio divinæ gratiæ non adjuvet libertatem, sed hanc nihil cooperantem, &, veluti inanime quoddam, *passive* se habentem, absolutâ necessitate ad opus impellat. Nam Calvinus præsertim lib. 2. Instit. cap. 3. impugnat expresse doctrinam Augustini asserentis Epist. 107. obsequi gratiæ prævenienti à pedisequa voluntate. Concilium ergo Tridentinum non definit gratiam prævenientem non esse per se efficacem, imo id confirmat; & damnando memoratam hæresim declarat sub hac efficaci gratia consistere potentiam ad oppositum, & libertatis indifferentiam. Primo enim, cum hæretici ex præmotione Dei & doctrina de Gratia per se efficaci malâ consecutione inferrent liberum arbitrium non cooperari Dei moventi; definit Synodus Tridentina præmoveri utique & excitari, sed liberum arbitrium non rapi necessitate, sed etiam motum & excitatum posse dissentire si velit. Doctrinam ergo de Gratia per se efficaci veram supponit & confirmat: consequentiam Calvini merito negat, & damnat. Nec enim definitum est à Tridentinis Patribus ideo liberum arbitrium posse dissentire, quoniam excitatur & præmovetur gratiâ duntaxat indifferenti: id in nullo Tridentino Canone legimus. Imo si hæc erat mens Patrum: cur id expressis terminis non declarare, & Calvinianam hæresim subvertere à fundamento? Sed ex Tridentino ipso Concilio non solum hac conjectura, verum etiam argumentis plurimis potest evinci falsam esse Molinistarum sententiam, nostram autem verissimam. Mitto quæ de Justificatione declarat, ipsius exordium in adultis *à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*, complementum autem etiam ab ipsa gratia, quam confitemur orantes, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: quibus verbis non petimus auxilium, *sine quo* converti non possumus, id est, gratiam indifferentem, sed auxilium *quo* Deus nos convertit, gratiam videlicet efficacem. Animadverto Canonem tertium sess. 6. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, & diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*, desumptum ex Canone 6. secundæ Synodi Arausicanæ: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus: petentibus, pulsantibus nobis dicit misericordiam conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus, in nobis fieri confitetur, & aut obedientiæ, aut humilitati subjungit gratiæ adjutorium, nempe ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes quod non accepisti, &, Gratia Dei sum id quod sum.* Superiori ergo Canone etiam Tridentina Synodus per inspirationem, & adjutorium Spiritus Sancti intelligit auxilium, quo fit ut credamus, ut velimus, ut operemur, non illud tantum, sine quo credere, velle, & operari non possumus. Definit etiam Can. 22. *Justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare non posse.* In sententia autem Adversariorum nostrorum perseverantia non est speciale Dei axilium: aut si speciale est, debet non esse commune; si non commune fatentur, non dabit solam potestatem perseverandi, sed ipsum perseverare efficaciter operabitur,

ut

ut probat Estius in 2. sent. dist. 26. §. 43. & Lescotius Carnotensis Episcopus in Prælect. de Grat. q. 4. art. 13. Revera si Concilium Tridentinum nostram de Gratia sententiam non judicasset oppositam Calvinianæ; Theologi, qui Sacrosanctæ Synodo interfuerunt, postmodū de Theologia pertractantes illam minime propugnassent. Propugnarunt autem ferme omnes, ut demonstrat in secunda parte Antoninus Reginaldus; & potest quisque percipere ex Operibus eorumdem. Et ne singula percurramus, si hi Theologi non admiserunt gratiam per se efficacem; defenderint necesse est scientiam *mediam*, hac enim scientia non admissa, sequitur Deum prævidisse futura supernaturalia in antecedenti & absoluto suæ voluntatis decreto, ut recte Suaresius lib. 2. de Scient. fut. condit. cap. 4. At quandonam Scientia *media* prodiit in orbem? Molina se illam invenisse gloriatur, & consentit Fonseca lib. VI. cap. 2. Metaphysices. Alii scribunt etiam traditam à PP. sed adeo perplexe & obscure, ut non eam designaverint nisi nomine scientiæ *simplicis*, unde invaluit tantum post assiduam eorumdem Patrum lectionem, auctore Vasquesio disput. 67. cap. 4. primæ partis, & Herice disp. VII. cap. 10. Tempore ergo Tridentinæ Synodi vetus Augustini sententia regnabat, novitiâ Mediſtarum aut nondum natâ, aut nondum expositâ. Sed ad argumentum secundum nimis multa; tertium jam diluamus.

5. Solvitur quoad 3tiam

Prædictum Axioma, *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est*, idem videtur cum isto, *Quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, illud inimpedibile est & necessarium*: istud vero damnatum his, non aliis verbis expressum, à Sixto IV. & revocatum à Petro de Rivo testatur in sua *justificatione* Universitas Lovanienſis. A qua etiam solvitur hac ratione argumentum, *Quod vero subjungitur Dei decretum in ipsius esse potestate, non itidem in nostra, eoque illius non impediri libertatem, sed impediri nostram in eo quod ex illo decreto necessario sequitur: hoc inquam nullam eis præbere labendi viam. Primum, quia necessitatem colligunt ex ipsa talis decreti suppositione, qua facta non est mutationis locus. Deinde etsi decretum Dei in causæ secundæ non sit potestate, ipsum tamen ejus causæ conditionem in agendo naturalem non immutat, eoque effectus libertatem, & contingentiam non impedit; alioquin enim sequeretur liberam non fuisse gentium conversionem, sed necessariam; quia absoluta Dei promissio de gentium conversione, unde illa per necessariam consequentiam futura colligitur, non erat in hominum convertendorum potestate: estque ante annos 112. in hac universitate cujusdam Petri de Rivo hæc primo censurata, deinde vero in Urbe Roma sub Sixto IV. damnata, & ab ipso præsente revocata propositio, Quod ex inimpedibili, &c.* Quibus verbis habes simul quænam fuerit propositio illa Petri de Rivo, & optimam ad argumentum responsionem. Vide Hist. de Aux. lib. 1. cap. 15. & Jo. Gonsal. contr. v. art. 3. in Append.

6. Ac magis explicatur.

Ne tamen à priori responsione nostra ullatenus recedamus; dico in omni decreto antecedenti, absoluto & efficaci, quod nobis necessarium dicitur hoc tantum sensu, quia non est in nostra potestate ut ponatur, vel non ponatur, distinguendum esse ratione nostra primo voluntatem Dei elargiendi inspirationem victricem, quam per scientiam *simplicis intelligentiæ* optime novit operaturam in hominum voluntate ut velit, & tantum velit, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem facile vincat, deinde voluntatem Dei adjuvandi voluntatem nostram per gratiam *cooperantem;* atque his duobus statutis habere certissimam futurorum præscientiam, qua in sua prædestinatione novit Deus quicquid est ipse facturus. Hanc præscientiam non evertere libertatem, consentiunt adversarii, nihil enim per ipsam Deus in voluntate nostra operatur. Decretum pariter adjuvandi voluntatem humanam per gratiam *cooperantem*, nequit libertatem lædere, eoquod effectus hujus decreti est ipse concursus Dei concomitans actualem voluntatis operationem. Si esset ergo in priori decreto antecedenti & absoluto aliquid evertens libertatem, foret voluntas largiendi victricem illam delectationem, quæ à nullo duro corde respuitur. At hæc, quantumvis vivida & efficax, non proponit voluntati bonum sub omni ratione boni, neque excitat amorem, quem superare nequeat mundi dilectio, ideoque ex illo decreto non profluit effectus aliquis inferens necessitatem potentiæ, sive negationem *possibilitatis* actus oppositi; quemadmodum infert suppositio antecedens luminis gloriæ, quod manifestans summum bonum in se trahit ad amorem suavissimum quidem, sed necessarium.

7. Solvuntur reliquæ Objectiones.

Quæ sequuntur non est ex dictis operosum diluere. Augustinus enim docet nos *necessario* sequi quod magis delectat, sumpta necessitate pro infallibili con-

consecutione actus, non pro negatione *possibilitatis* ad actum oppositum: quo sensu necesse est, ut sedeamus quamdiu efficaciter sedere volumus, salva semper potestate non volendi quod volumus. Proximum de vinculis nullius est momenti; in actibus enim *imperatis* à voluntate, cujusmodi est ambulatio, quoniam hi impediri possunt à causa extrinseca, non solum necessitatem pati possumus, sed etiam coactionem; in actibus vero *elicitis*, cujusmodi sunt velle & nolle, semper immunes sumus à coactione, quia voluntas dari nequit invito, neque auferri nisi volenti: possumus tamen velle necessitate, si in bono quod volumus nullam apprehendere valeamus rationem mali, quemadmodum vincula cogunt, quando nullus patet aditus fugiendi. Hanc tamen necessitatem non infert, ut diximus, Gratia Christi; nisi illa, quæ coronat nos in misericordia & miserationibus, id est, vita æterna. Eam objectionem, quæ sexto loco posita est, repellere non est opus; siquidem divinum decretum est ut operemur, sed libere & cum potentia ad oppositum; unde eo supposito repugnat hominem non operari, sed non repugnat, imo conforme est ipsi decreto, operari libere, & posse simul non operari: quod in Scholis consuetum est dici, posse utique sub efficaci auxilio hominem dissentiri *potentia possibilitatis*, non *positionis*. Postrema etiam facilius refellitur. Nam ut potentia non sit, ut inquiunt, frustranea, sat est quod possit non agere; nec est necesse, ut aliquando sub efficaci præmotione non agat: alioqui frustranea esset potentia resistendi etiam sub gratia *congrua*; sub qua nunquam libera voluntas resistit; sicuti & potestas non perseverandi collato speciali dono perseverantiæ, quandoquidem supposito tali dono quilibet perseverat.

8. Objectio 5. Rejicitur.

Arguunt præterea Mediстæ: Isaiæ cap. v. v. 4. conqueritur Dominus de Israelitis dicens: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* At si necessaria esset gratia efficax, non esset justa talis querimonia; possent enim respondere Israelitæ, Quid? Debuisti nobis gratiam per se efficacem elargiri. = Resp. I. cur pariter respondere non possent, debuisti nobis tribuere gratiam *congruam*? Deinde non loquitur Esaias de Gratia internæ vocationis saltem victricis: non est enim, qui possit resistere voluntati Dei, *si decreverit salvare Israel*, ut habetur cap. 13. Estheris: atque id decrevisse cur non potuit? Ergo sermonem habet propheta de institutione Ecclesiæ Judæorum, & de gratiis æternis, quas omnes comparatione vineæ recenset. Ait enim *plantatam in cornu filio olei*, id est, in montibus Palestinæ pinguissimis atque uberrimis *sepisse eam*, scilicet tutatum undique ab incursionibus finitimorum; *lapides elegisse ex illa*, hoc est ejecisse sculptilia, electis ex ea cultoribus suis: *ædificasse turrim in medio ejus*, nemqe in munitissimo loco Civitatem Jerusalem; *extruxisse in ea torcular*, nimirum propitiatorium, & altare perfusum sanguine victimarum. Quæ sensu mystico, & spiritali etiam conveniunt Ecclesiæ Christi. Tandem si hunc locum ad prædestinatos ad fidem referamus, qui vineæ electæ non immerito comparantur; dico iis etiam auxilium efficax ad credendum divina largitate donari. Atque *donari* dixi; quælibet enim gratia est beneficium indebitum; neque verba Esaiæ significant aliquod Dei beneficium deberi, nisi supposita promissione, providentia, & prædestinatione divina.

9. Objectio 6. Refutatur.

Præterea objiciunt nomen gratiæ efficacis inventum fuisse à Calvino: quale autem judicium feras de sententia tali auctore propagata? Sed his reponimus Calvinum appellare gratiam eo sensu efficacem, quod ipsa omne opus salutare efficiat nihil libero arbitrio operante: at nos dicimus efficacem, quod ipsa faciat, ut faciamus. Addimus Augustinum non solum appellasse efficacem, sed & *efficacissimam* atque *omnipotentissimam*. Dicimus vocabulum etiam intrusum ab hæreticis ad labefactandam Catholicam veritatem, posse retineri ad hanc illustrandam & confirmandam; uti vocabulum *Homoousion*, quod in ore Sabellianorum præfert sensum hæreticum, receptum est ad extirpandam hæresim Arianam. Demum ut recentiores nobis objectant errores Calvini, ita Semipelagiani opponebant Augustino dogmata Manichæorum, asserentes ex illius circa gratiam & prædestinationem doctrina induci fatalem necessitatem, ut vidimus lib. VI. primæ partis cap. 6. mom. 2. Quale autem judicium feras de objectis Massilienſium?

Huc etiam spectant omnia argumenta, quæ pro scientia media afferuntur tam ex increpatione Corozaitarum, & Bethsaitarum, quam ex iis Augustini locis, in quibus videtur adstruere gratiam *congruam* ad sensa Molinistarum. Verum ad hæc responsum est lib. IV. cap. 12. eamdem gratiam quæ in Tyriis & Sydoniis fuisset efficax, in Corozaitis & Bethsaitis talem non fuisse ob istorum obdurationem, ut Augustinus scribit

cap. 4. de Dono Perseverantiæ : quod ex præcedenti cap. VII. ubi fuse de gradibus & œconomia gratiæ pertractatum est, arbitror omnibus manifestum. Ostendimus etiam citato cap. 12. Augustinum commemorasse gratiam *congruam* sine præjudicio latentis consilii Dei, & locutum de *congruitate*, quam facit ipsa gratia, non quæ pendeat ab extrinsecis circumstantiis; atque id etiam superiori capite octavo iterum confirmavimus. Non erimus ergo in his repetendis nimium importuni, ac morosi. Quod etiam objiciunt, ex nostris principiis removeri virtutes, induci desperationem, ac bonorum operum studia torpescere, in libro de Prædest. Sanctorum cap. XV. fuit evidentissime refutatum. Cumulate quod nos ibidem Monitione V. explicavimus, demonstrat secunda pars Institut. Theologicarum, quæ prodierunt Leodii anno 1705. Et MSS. de Gratia, quæ fuerunt ad usum Patris Desirant Doctoris Lovanienſis ubi cap. 6. probatur Doctrinam de Gratia per se efficaci esse fundamentum omnis virtutis Christianæ iisdem plane argumentis, quæ producta sunt in Institutionibus Leodiensibus. Hæc itaque omnia sufficit modo revocasse ad memoriam.

10. Objectio 7. reprobatur.

Unum argumentum supereſt adversus sententiam nostram, quod Thomistis repetentibus gratiæ efficaciam à dominio Dei, & à dependentia causarum secundarum, nihil affert incommodi. Est autem: Admittitur à nobis gratia ab intrinseco efficax in hoc tantum statu, ac titulo infirmitatis. At infirmitas exigit solum, ut tantæ vires restituantur infirmo, quantæ sunt in morbo, quo lacessitur. Homini ergo qui trahitur in malum à concupiscentia quatuor graduum, sufficit si medicinalis Christi gratia inspiret sanctam dilectionem, ut quatuor: neque necessaria delectatio est victrix ac prædeterminans.

Verum respondetur eo ipso, quod gratia efficax admittitur ob creaturæ rationalis infirmitatem, efficacem esse ex intrinsecis suis. Primo quia, ut ostendimus, hujus gratiæ proprium est tribuere non tantum *posse*, sed etiam *velle*, atque subvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter operetur. Deinde, quia cum trahatur animus delectatione, si ex æquo afficiatur delectatione sanctâ & noxiâ, nunquam se inclinabit in unam potius, quam in alteram; sed pendebit anceps, donec una sit alterâ robustior, eamque deprimat: nullus enim nisi à fortiori vincitur ac superatur; & voluntas vetus & nova, dum ista illam non superat, & pugnant conflictatione, discordando dissipant animam; ut Augustinus docet lib. VIII. Conf. cap. 5. Tertio, quia in æquali gradu concupiscentiæ & gratiæ, gratia concupiscentiæ, non concupiscentia gratiæ succumbet; quia homo, etiam cum æquali virtute, majorem habet ad malum, quam ad bonum inclinationem; & ideo Augustinus scribit de corrept. & grat. cap. 12. *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, &c.* Denique agere & non agere in æquilibrio virium, & determinare seipsum absque efficaci Dei præmotione, est liberi arbitrii sani & robusti, non autem infirmi. Sed de gratia per se efficaci hæc satis.

CAPUT XII.

De Theologico, & pervulgato Axiomate, *Facienti quod in se est Deus non denegat Gratiam.*

SUMMARIUM.

1. Varia Doctorum placita.
2. Quæstio est de gratia habituali, ac actuali.
3. Operibus naturalibus non potest quis mereri gratiam supernaturalem.
4. Probatur ex Conciliis.
5. Authoritate S. Augustini.
6. Probatur ex dictis remissio.
7. Nemo potest se positivè ad gratiam disponere.
8. Dispositio negativa non attenditur à Deo.
9. An Deus det gratiam facienti, quod est in se per vires naturales.
10. Explicatur axioma.
11. 12. 13. 14. 15. & 16. Solvuntur objectiones.

SYNODUM

1. Varia Doctorum placita.

SYNODUM Paleſtinam damnaſſe Pelagianam propoſitionem *Gratia datur ſecundum merita noſtra*, diximus cap. 2. hujus libri. De ipſo nunc Pelagianorum capitali dogmate agendum eſt breviter; cum refellatur argumentis omnibus, quibus Gratiæ neceſſitatem, & initium cujusque ſupernaturalis operis à Deo in præcedentibus, & conſequentibus diſputationibus propugnamus, necnon in libro de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. Aliquam tamen operam à nobis poſtulant varia Scholaſticorum placita; non enim defuere qui naturalibus operibus crederent vim ineſſe meriti tantum *de congruo* ad beneficia ſupernaturalia obtinenda, & qui exiſtimarent poſſe homines naturæ viribus ſeſe ad gratiam diſponere. Atque diſpoſitionem hanc quidam poſitivam dixere, quidam vero negativam tantummodo, quatenus minora committentes peccata, non adeo ſunt obdurati & obcæcati, ut Deo vocanti reſiſtant. Eſt autem inter diſpoſitionem & meritum nonnihil diſcriminis; quoniam illud movet quodammodo largitorem gratiarum, ut velit beneficia conferre; diſpoſitio aptat ac præparat ſubjectum, ut ſi conferre velit, eadem non reſpuat. Poſtremam hanc ſententiam tenuerunt Durandus, Scotus, & Gabriel, ut ſcribit Eſtius libro 2. diſt. 26. §. 34. nec non alii plures apud Ripalda de Ente ſupernat. diſput. XVII. ſect. 1. & ſeqq. Molina, ejusque Sectatores bene multi docent facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ inditas Deum ſuam gratiam largiri, non quod opera naturalia aut illam mereantur, aut ad illam poſitive diſponant, ſed lege quadam, & pacto inito à Deo cum Jeſu Chriſto, ut bene utentibus ratione ac lumine naturali, promiſſione quadam ex divino beneplacito ſupernaturale auxilium minime denegetur. Non eſt tamen inter Propugnatores ſcientiæ *mediæ* hæc opinio communis, ſed eam rejicit Suarez de Prædeſt. SS. lib. 2. cap. VII. num. 24. imo. num. ſequenti nititur demonſtrare, quod ſi vera ſit, opera naturalia promerentur gratiam *de congruo*. Vaſquez etiam 1. p. diſ. 91. cap. 10. ſcribit illam accedere ad errorem Maſſilienſium, & horum errorem ſufficienter non effugere demonſtrat Martinez in Theologicis diſputationibus de Gratia diſp. 3. ſect. 2. Reprobat hanc legem & pactionem etiam memoratus Ripalda diſp. XVIII. ſect. 3. n. 17. Oppugnant denique illam omnes Auguſtini diſcipuli, & quotquot controverſias Pelagianas limatulo judicio verſarunt.

2. Quæſtio eſt de gratia habituali, ac actuali.

Indubitatum eſt hanc definitionem, *Gratia non datur ſecundum merita noſtra*, ſive quod idem eſt, *non eſt debita operibus naturalibus*, non tam ſpectare ad gratiam habitualem, quam ad actualem, id eſt, non ad illam ſolam, quæ *formaliter* juſtificat, ſed etiam ad illam, quæ ad juſtificationem diſponit. Enimvero de gratia potiſſimum actuali erat Catholicis adverſus Pelagianos concertatio; atque argumenta Auguſtini deprompta vel ex gratia fidei neceſſaria ad credendum, vel ex adjutorio implorando etiam à juſtis ad perſeverandum, ſatis evincunt de auxilio præſertim actuali ac præveniente fuiſſe cum Pelagio diſcrimen. Certum eſt etiam, quod augmenta gratiarum & vita æterna meritis retribuuntur, ſi meritorum nomine ea intelligas, quæ cum divina gratia comparat ſibi liberum voluntatis arbitrium: unde ipſa gloria appellatur ſimul & miſericordia & corona juſtitiæ; miſericordia, quia omnia opera, quæ à Deo miſericorditer nobiſcum operante non efficiuntur, ſunt ad vitam æternam capeſſendam ſteriliſſima: corona autem juſtitiæ, quoniam tanquam merces rependitur meritis auxiliante gratia Dei comparatis. Quibus prænotatis ſit

3. Operibus naturalibus non poteſt mereri quis gratiam ſupernaturalem.

PROPOSITIO I. Operibus naturalibus nec de condigno nec de congruo mereri poſſumus ſupernaturale Gratiæ adjutorium.

Demonſtratur primo ex Scripturis. Docent enim Sacræ Literæ à nobis nihil fieri ſine gratia, quod ad veram pietatem pertineat: *Sine me nihil poteſtis facere*, inquit Salvator Jo. cap. 15. 5. & cap. VI. 4. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Docent omne opus ſalutare à Dei gratia præveniente ſuum habere principium: *Qui incæpit in nobis opus bonum*, inquit Apoſtolus ad Philipp. 1. 6. & cap. proximo v. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere.* Docent neminem prius aliquid Deo tribuere, propter quod gratiæ beneficia rependat; *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ait idem Apoſt. ad Rom. XI. 35. & in prima ad Corinth. cap. IV. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti.* Docent ad rationem gratiæ pertinere, ut non ſit debita operibus: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*, ait idem Apoſtolus citato cap. XI. ad Rom. v. 6. At ſi operibus natura-

ralibus aliquo pacto gratia foret debita; posset homo aliquid ad salutem pertinens suamet virtute patrare, posset gloriari à se bonum opus incœptum esse; posset asserere, se priorem aliquid dedisse Deo, & habere meritum aliquod à Deo non acceptum; posset denique contra Apostolicum testimonium affirmare gratiam conferri ex operibus. Nullum ergo meritum inest cuilibet operi naturali ad divinarum gratiarum beneficia obtinenda.

4. Probatur ex Conciliis.

Idem ostenditur ex Conciliis. Inter quæ Diospolitanum oppositum errorem damnasse vidimus supra, & aperte tradit Augustinus in 1. contra Jul. cap. 5. De Gestis Pelagii cap. 29. de Peccato Orig. cap. 6. & in Epist. ad Paulinum 106. sive 186. Confirmat eamdem damnationem. II. Arausicanum Can. 3. 4. 6. Concilia Africana apud Prosperum cap. x. contra Collatorem, & Tridentinum, à quo sess. 6. Can. 3. definitum est neminem sine præveniente Spiritus Sancti illustratione posse credere, sperare, aut pœnitere sicut oportet, *ut ei justificationis gratia conferatur*, & Can. 5. *ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum.* Si autem naturalia opera Deum ad gratiam conferendam allicerent ac moverent: ab illis sumendum esset salutis, & justificationis initium. Non ergo alliciunt, nec permovent.

5. Authoritate S. Augustini.

Augustini autem, cui Patres alii subscribunt, innumera sunt loca. *Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omnimodo*, inquit de peccato Originali cap. 24. & rationem affert, quia *charitas per Spiritum Sanctum, qui ubi vult spirat, non merita sequitur, sed ipsa merita facit.* In lib. etiam de Prædest. SS. cap. 2. demonstrat non recedere à sententia Pelagii, quam ipse in Episcopali judicio Palestino damnare compulsus est, Gratiam Dei secundum merita nostra dari, quisquis arbitratur ex nobis esse initium fidei, aut bonæ voluntatis conatum, cui retribuatur supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus. Sed non opus est in re notissima diutius versari. Tantummodo insigni aliquo testimonio demonstrandum est, quæ hucusque fuere producta non esse accipienda de gratia ordinis naturalis, ut commenti sunt Pelagiani. Quos perstringens invictissimus debellator in Epist. ad Sixtum 105. nunc 194. *Abjiciatur* (inquit) *à Christianorum cordibus ista fallacia. Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati sumus, ut homines justi essemus. Ista enim gratia per Jesum Christum Dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur: quippe homo erat qui dicebat; Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et statim Augustinus demonstrans non solum gratiam justificationis, sed etiam fidem, omneque auxilium præveniens conferri absque ullo meritorum intuitu ait: *Possum quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit justificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltatur. Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, propter quod dicitur ab Ecclesia in Cantico Canticorum, Venies, & pertransies ab initio fidei, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram id est sine meritis cogitamus.* Vide etiam de Prædest. SS. cap. 5. ubi demonstrat in sacris literis commendari gratiam, *quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis.* Enimvero ille, quem coercebat Apostolus scribens, *Quis enim te discernit?* non adversus pecus, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere quod inesse posset & pessimo, sese inflabat; *Sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuens inflabatur.* Et recte; nam Apostolus reprehendit Corinthios, qui de acceptis donis gloriabantur, & quasi illa haberent à se, cæteros contemnebant. Itaque certissimum est, non solum humanam naturam in qua conditi sumus, sed fidem, vocationem, & quidquid ad justificationem disponit, gratiam esse, quam mereri non possumus præcedenti opere naturali; atque de hac gratia accipiendas esse Patrum, Conciliorum, & Scripturarum sanctarum auctoritates. Et quoniam fides meretur justificationem *de congruo*, & est re-

vera

vera initium salutis, opera autem naturalia, nullo modo ad justificationem salutemque perducunt; dicendum est his nec *de congruo* divinam gratiam aliquem promereri.

6. Probatur ex dictis remissio.

Probatur denique omnibus argumentis productis præc. cap. IX. Si enim gratia daretur secundum merita, esset prædestinatio & gloria opus currentis atque volentis, & unusquisque per liberum arbitrium se à non electis discerneret: non foret Dei vocatio mirabilis atque occultissima: ageret homo, ut ageretur à Deo: frustra Deum orarent homines, ut eis inspiraret fidei ac bonæ voluntatis initium: nec in distributione beneficiorum Dei recurrendum esset ad inscrutabilia judicia.

7. Nemo potest se positive ad gratiam disponere.

Propositio II. Nemo potest se *positive* ad gratiam disponere; dispositionis autem *negativæ*, sive minoris obdurationis nullam rationem habet beneficentissimus largitor gratiarum in suorum dispensatione donorum.

Demonstro priorem partem I. Præmissis omnibus argumentationibus; si enim nos ad gratiam positive disponimus, possumus aliquid ad salutem spectans sine gratia Reparatoris; & justificationis exordium ex nobis est, cum ex nobis sit ad eam dispositio. Possumus etiam adversus alios inflari, gloriantes nos priores dedisse aliquid Deo, animam scilicet præparatam atque dispositam, & Deum nobis suamet beneficia non donare, sed retribuere. II. Expresse Concilium Arausicanum definit can. 6. *Misericordiam divinitus non conferri sine gratia Dei desiderantibus, conantibus, laborantibus, pulsantibus, aut quicquam tale facientibus nobis, atque fieri per inspirationem Spiritus Sancti, ut hæc omnia sicut oportet agere valeamus.* Quid est autem hæc dispositio, nisi forte animi conatus, desiderium, labor, aut tale aliquid? Ubi etiam animadverte, definire Concilium non tantum per naturalia opera neminem mereri supernaturalia dona gratiarum, sed ulterius ob nullam dispositionem, ob nullam operationem naturalem, *Misericordiam conferri divinitus.* Quibus verbis non solum aliquod meritum, verum quamlibet dispositionem ad gratiam negat ex nobis esse. III. Tridentinum declarat quod *justificationis exordium à præveniente gratia sumendum est*: Dispositio autem ad gratiam est justificationis exordium: Ergo nequit esse dispositio aliqua istiusmodi, nisi à præveniente gratia. IV. *Aufertur gratia cum à libero prævenitur arbitrio*, ut inquit Prosper adversus Collatorem cap. 39. Hæc dispositio prævenit gratiam; Ergo gratiam negat & aufert. V. Aut hæc dispositio cum inspiratione gratiæ aliquo modo connectitur, aut non; si primum dixeris, Gratia est ex operibus: sin autem, nulla est hujusmodi dispositio, quoniam accidentia quæ ad formam disponunt, habere debent cum ipsa forma aliquam connexionem.

8. Dispositio negativa non attenditur à Deo.

Quod vero Deus in distributione gratiarum suarum non attendat ad minorem obdurationem, sive nihil ad gratiam conferendam moveatur à dispositione, quam appellant *negativam*, probat egregie Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. ubi demonstrans neque majus ingenium, neque minora peccata, neque honestas utilesque doctrinas esse causam electionis gratiæ, *Sed cum hoc statuero*, inquit, *ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia; ut eum intuens & pudore correptus ego irrideam & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne advertimus nonnullos fideles nostros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari non dicam quorundam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines cujusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, & tamen hæreticos, vel paganos?* In 1. etiam De peccatorum meritis cap. 22. n. 31. *Unde enim fit* (ait Sanctus Doctor) *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus ita gubernetur ut audiat, ut credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat.* In quibus docet exclamandum esse, *O altitudo!* quod sane non fieret consequens, si minora peccata & negativa dispositio divinam liberalitatem ad elargiendum gratias attraherent.

9. An Deus det gratiam facienti, quod in se est per vires naturales arbitrii.

Propositio III. Neque lege, aut promissione aliqua, vel pacto largitur Deus supernaturalium gratiarum auxilia facienti quod in se est per vires naturales arbitrii.

est in se per vires naturales.

Demonstratur I. argumentationibus præcedentibus. Enimvero si facienti quod in se est confertur gratia vi conventionis, aut legis, quamvis liberalissime ac beneficentissime sit constituta, non est amplius inscrutabile judicium, quare unus trahatur, non alter; nec verum est gratiam à libero arbitrio non præveniri, Deumque in nobis bonorum operum primordia inchoare. II. Dum quæritur de lege aliqua, aut promissione Divina, non est aliquid pro libito affirmandum, sed juxta Scripturarum sanctarum, aut Apostolicarum Traditionum revelationem. Inde vero non constat Deum cum Christo hujusmodi iniisse pactum; siquidem ubi testatur Deus non derelicturum quærentes se, & expectare conversionem nostram & velle salutem, docet etiam se omnia operaturum in nobis, à se gressus hominis dirigi, à se converti corda mortalium, & à se voluntatem præparari; uti probatum est cap. 3. de Prædest. SS. Cum ergo nequeat ex his locis Molinianum pactum inferri, debemus illud tanquam commentitium refellere, eo vel maxime quod gravissimis censuris in ipsum Theologi plures animadverterunt. III. Ut fatentur Ripalda & Martinez, videtur concordare cum erroribus Massilienſium. Et merito: non enim hi asserebant nos per opera naturalia mereri gratiam, sed Deum expectare hæc opera, ut gratiam impertiatur, ut constat ex verbis Cassiani Collat. XIII. cap. 13. *Ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet.* At posita lege ac pactione Moliniana Deus ut gratiam conferat exigit vel expectat opera naturalia. Hujusmodi pactum, ergo lex hujusmodi habet cum erroribus Cassiani magnam affinitatem. Quod sane argumentum non solvitur, si dixeris non semper gratiam Dei expectare ut velimus, & plerumque omnem nostrum conatum provenire ex Deo: quoniam & hoc fatebatur Cassianus ipse apud S. Prosperum libro contra Collatorem cap. v. ubi Semipelagianum exagitans, *Et satis* (inquit) *te contra Pelagianorum calumnias præcavere existimas, si quod in universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas?* & cap. x. ejusdem libri, *Quasi multum gratiæ tribuas, si in quorumdam mentibus bonæ voluntatis initium sit ex gratia Dei, in aliis ex sola natura.* Ex quibus verbis Martinez scribit consequi evidentissime, quod non dissentit à Cassiano, qui dicit *non semper gratiam Dei conferri facienti quod in se est ex viribus naturæ, cum aliquando conferatur etiam non facienti, imo nolenti ac resistenti.* IV. Nec illud verum est, quod adversarii contendunt, gratiam conferri ex Dei liberalitate, si debeatur ex lege & pactione; ut probatur auctoritate & exemplo. Docet quippe Augustinus lib. II. ad Bonif. cap. 8. n. 18. quod si *per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjutorium, & sic gratia à Deo non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur.* Et Prosper citato loco cap. 6. *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, convinceris dicere, Gratiam secundum merita nostra dari; cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum omnes hujusmodi & accipere & invenire & intrare dicantur.* Si ergo qui faciunt opera moraliter bona & gratiam accipiunt, & misericordiam inveniunt, quomodo eadem opera erunt nullius meriti? In parabola quoque Evangelica apud Matth. cap. XX. Paterfamilias denarium Operariis spopondit conventione quadam & pacto: & tamen debitum fuisse constat ex verbis illis v. 14. *Tolle quod tuum est, & vade,* Neque dicas hoc verum esse respectu Christi Domini, cum quo pactum initum est; nam merces non solum imputatur iis, qui operarios conducunt, & pacisscuntur de pretio: sed ut Apostolus scribit ad Rom. IV. 4. *ei, qui operatur.* Quapropter si gratia tribuitur operibus naturalibus ex conventione etiam liberali & munifica imputatur *secundum debitum* & Christo qui fœdus una cum Patre sancivit, & hominibus singulis, quod in se est exercentibus. V. Postremo, ut ratiocinatur Thomas de Lemos Lib. IV. Tract. 6. Quis non videt juxta hanc Molinistarum doctrinam posse tuto defendi dogmata Pelagiana, quod omne opus bonum sit ex nobis, non à prævenientis gratiæ auxilio, & conatibus nostris se inserat Deus adjuvando possibilitatem, & largiendo sanctæ operationis incrementum?

Se-

10. Explicatur axioma.

Sequitur ex dictis, Theologicum axioma, quod Isaacus Habert demonstrat antiquissimum esse, atque ex Patribus derivatum, ita esse accipiendum, ut facienti, quod in se est cum adjutorio gratiæ moventis & operantis Deus gratiam tribuat uberiorem, sive fidem perfectam, sive justificationem, sive augmentum charitatis, sive gloriam ac sempiternam beatitudinem: atque ita prolatum esse, non ad divinam promotionem evertendam, sed ad inflammandam torpentem hominum voluntatem. Recte itaq. S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. *dicendum quod nihil homo potest facere nisi à Deo moveatur, secundum illud Joan. 15. Sine me nihil potestis facere, & ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc est in potestate hominis secundum quod est motus à Deo.* Si alia esset hujus pronunciati intelligentia; aut Gratia daretur secundum merita, aut ad illam absque divino auxilio sese homo disponeret, aut intereresset adumbrata à Molina conventio, aut possent impune vagari decreta Massilienſium; quæ omnia mihi videor sufficienter refutasse.

Solvitur Objectio.

11. Objectio 1. Proponitur.

Argumenta Contrariorum, quoniam disputando de Electione Sanctorum ea singulatim expedivi, atque hoc ipso loco studui præoccupare, explodam nunc brevi. Scripturis itaque, Patribus, ratione, inquiunt Adversarii, hæ positiones repugnant. Scripturis quidem; nam in Prov. xvi. 1. legimus: *Hominis est animam præparare.* Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Matth. 15. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.* Lucæ xi. 13. *Dabit Spiritum bonum petentibus se.* Joan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Apost. ad Rom. vii. 18. *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et Apocal. iii. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Nostrum est ergo disponi, converti, petere, uti naturali potestate ac virtute, velle, ostiumque aperire; & Dei est adjuvare, & gratiam tribuere quærentibus, volentibus, petentibus, & pulsantibus.

12. Objectio 2da Adducitur.

Repugnant præmissæ theses & Patribus, Græcis præsertim; Origeni, qui Hom. 29. super Num. ait: *Si offeramus Deo justitiam nostram, accipiemus ab ipso justitiam Dei.* Et Chrysostomus Hom. 45. in Genesim, aliisque in locis plurimis docet, homines se prius ad gratiæ beneficia disponere, & hæc promereri. Idem affirmant Latini, Ambrosius inprimis, qui lib. 4. in Lucam scribit *non dormientibus divina beneficia servari, sed observantibus.* Hieronymus in 1. contra Pelagium Dialogo ait: *Constat ergo inter nos, in bonis operibus post propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio;* & cap. 2. *Nostrum quidem est velle & currere, sed ut voluntas nostra compleatur & cursus, ad Dei misericordiam pertinet.* S. Augustin. in lib. xix. de Civit. Dei c. 13. scribit Deum dedisse hominibus quædam bona huic vitæ congrua; *eo pacto æquissimo, ut qui mortalibus talibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, &c.* Et in Opere contra Porph. cap. 9. *Deus,* inquit, *nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.* Divus etiam Thomas de Verit. q. 14. art. xi. ad primum, docet quod aliquis nutritus in sylvis *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Habet autem consimilia 1. 2. q. ult. art. 3. in C. atque aliis in locis.

13. Objectio 3tia Refertur.

Demum adversantur assertiones nostræ rationibus: quarum prima petitur ex anima rationali, cujus creationi non officit quod homo corporalem materiam præparet ac disponat: similiter nec gratiæ liberam largitionem tollit, si quis ad eam possit se naturaliter præparare. Altera desumitur ex efficacia Sacramentorum, quibus, cum sint sensibilia, & constent elementis ac verbis, iis tamen positis nectuntur institutione ac lege character & gratia. Tertia sit: Dummodo affirmetur gratiam non dari secundum merita, evitatur sufficienter Pelagianismus: Juxta Molinæ sententiam gratia non datur secundum merita, sed ex divina liberalitate ac beneficentia. Igitur juxta hanc sententiam Pelagianismus sufficienter exploditur. Ita impugnantur superius statuta argumentationibus à Divina scriptura, à sententiis Patrum, atque à ratione depromptis.

14. Respondetur ad Primam.

His omnibus constat quid sit respondendum ex dictis. Sacræ enim literæ com-

commendant liberum arbitrium, sed minime tollunt gratiam prævenientem; siquidem ex oppositio docent *præparari voluntatem à Domino*, Prov. 14. vers. 70. Deum operari *in nobis velle & perficere*, ad Philip. 11. 13. atque his similia superius producta: de quibus videndus Augustinus in 11. de Peccat. meritis cap. 18. & 19. Quod objicitur ex cap. 16. Prov. solvitur his verbis à D. P. Aug. lib. 11. ad Bonif. cap. 9. n. 19. *Sed nimirum quod scriptum est, Hominis est præparare cor, non bene intelligendo falluntur, ut existiment cor præparare, hoc est, inchoare sine adjutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit ut sic intelligant filii promissionis, qui cum audierint Deum dicentem, Sine me nihil potestis facere, quasi convincant eum dicentes, Ecce sine te possumus cor præparare:* & num. 20. *Ecce Dominus admonet ut præparemus voluntatem, in eo quod legimus, Hominis est præparare cor, & tamen ut hoc faciat homo adjuvat Deus, quia præparatur voluntas à Domino, & aperit os ita jubendo, ut nemo possit, nisi id faciat adjuvando, cui dicitur, Labia mea aperies.* Plura ididem. Similiter virtus illa, secundum quam Deus unicuique talenta distribuit, non est absque præmotione Spiritus Sancti, ut recte S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 3. Quamquam necesse non est, ut in parabolis omnia prorsus rei significatæ respondeant. Sunt & qui hunc locum exponunt de gratiis gratis datis, & muneribus Ecclesiasticis, quæ ut plurimum conferuntur hominibus naturali virtute exornatis; licet hæc etiam Deus quandoque largiatur infirmioribus. Ad vers. 12. Joannis respondet S. Pater Enarrat. in Psal. 120. *Unde accepisti hanc potestatem? Credentibus, inquit, in nomine ejus. Si ergo credis, ipsa tibi potestas data est.* Vide & cap. 3. n. 6. libri 1. contra duas Epist. Pelag. Verborum Apost. ad Rom. VII. sensus est, bonum velle, quod nobis adjacet operante Dei gratia, ut aderat Paulo vocato jam atque justificato, non sufficere ad perfectionem bonorum operum absque gratia Dei cooperante, ob pravam cupiditatem captivantem in lege peccati, ut statim explicat dicens, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, possibilitatem perfectionis suæ ponens in Dei gratia; ut Augustinus scribit lib. 111. num. 73. Op. Imperf. Locus Apocaly. demonstrat oppositum, videlicet, Deum pulsare ad ostium, antequam homo aperiat, & gratiam vocantem præcedere voluntatis humanæ conatus.

15. Respondetur ad secundam

Idem est sensus Patrum: qui affirmant nos per liberum arbitrium divina gratia præmotum ad justificationem, & ad ampliora beneficia disponi. Ita Chrysostomus, & Ambrosius. De illo tamen, quoniam nonnulli ausi sunt illum Semipelagianis connumerare, instituam iterum orationem. Origenem ii, quibus placet lavare laterem, atque Æthiopem, poterunt eadem responsione explicare: nos enim de illo prolatum cap. 1. judicium nolumus retractare. D. Hieronymi in primo dialogorum verba significant quæstionem inter Catholicos & Pelagianos non fuisse, an detur in nobis liberum arbitrium, cujus est velle & currere, neque an detur gratia consequens, à qua est operis consummatio: unde Critobolus agens Pelagiani personam respondit: *Constat, & super hoc nulla contentio est.* Igitur erat controversia de gratia adjuvante & operante, quæ antecedit omnem motum bonæ voluntatis, eamque gratiam Atticus propugnaturus ait: *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Rectissime autem Augustinus in lib. XIX. de Civit. Dei cap. 13. ait, quod bene utentibus bono quolibet temporali æquissimo pacto rependitur æterna gloria: at opus habet mortalis homo, ut bene utatur temporalibus bonis, *magisterio divino cui certus obtemperet, & adjutorio ut libere obtemperet*, inquit S. Pater capite proximo. Mitto quæ Gregorio de Valentia textum hunc proferenti contigisse narrat Auctor Historiæ de Auxiliis pag. 302. postremæ editionis. Adverto etiam dici ab Augustino *pactum æquissimum*, ideoque non agi de benefica conventione Molinistarum. In memorato contra Porph. Opusculo ait S. Pater Deum non defuisse iis, qui digni fuerant, ita tamen ut ipse dignos fecerit sua vocatione & proposito, ut explicat in 11. Retract. cap. 31. Quod attinet ad S. Thomam, quidam dicunt priorem retractasse sententiam; nos arbitramur ubique locutum absque præjudicio præmotionis divinæ, ut constat ex 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & q. 112. art. 3. in Corpore.

16. Respondetur ad tertiam.

Nec perdifficile est oppositas argumentationes elidere: quarum prima in Adversarios retorquetur. Rationalis quippe anima, cum certas materiei dispositiones exigat, est naturalis corporum forma, iisque debetur: esset ergo & gratia naturalis quædam perfectio, si homo ad illam se nativa potestate disponeret.

Per-

Pertinent enim cum dispositio, tum forma ad unum, eumdemque ordinem. In secunda latissima est disparitas, quoniam Sacramenta, in quorum participatione dignoscitur Ecclesia visibilis, debent constare sensibilibus elementis: supernatulis autem res pendere non debet à naturali, nisi huic divina virtus accedat. Cæterum hæc quoque argumentatio retorquetur; quandoquidem nemo vi Sacramentorum percipit gratiam, si contritionem habeat tantummodo naturalem: igitur naturalis dispositio ad gratiam obtinendam non sufficit. Ad Postremam respondeo, ipsum P. Molinam in Epistola, quam refert Herice de Præd. d. 27. cap. 7. necnon Ripalda & Martinez citato loco, fateri necessarium non esse, ut quis incurrat in Semipelagianorum errores, meritum concedere conatibus solius naturæ, cum sufficiat iis subjungere gratiam pedisequam. Quare sub finem laudatæ sect. 2. inquit Martinez: *Satis constat illius sententiæ auctores non effugere, quantum par esset, doctrinam Massilienſium.* Id vero demonstratum est supra in tertia Propositione. In Censura etiam San-Germanensi dicitur eamdem sententiam *Semipelagianissimum instaurare mutatis tantum vocibus.* De qua censura Contensonius, Juenin, Piette. Nihilotamen minus habeant ista solam conclusionem, quæ de arte Dialecticorum descendit: hoc nobis asserentibus non esse in nobis, quid amet Deus, nisi ex illius liberalissima & munificentissima largitate, atque repetentibus cum Prospero, quinto ac sexagesimo Epigrammate:

Tales à Domino, quales formamur, amamur;
Non quales nostris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet;
Et sibi perpetuo, quod placeat, faciat.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS QUINTUS

SIVE

DE HÆRESI SEMIPELAGIANA.

Introductio, & Monita Auctoris.

RELIQUIAS Pelagianorum, sive sparsos circa Christi Gratiam errores, postquam Augustinus Pelagii hæresim profligaverat, proximo libro decrevimus insectari. In his autem vellicandis occurrunt nobis monita quædam utilia ad doctrinam simul, atque ad mores spectantia: quorum primum est, pernicioſas hæreſes, ubi semel radicem fixerint, non absque magna difficultate, firmissimoque Apostolicæ auctoritatis judicio exstirpari; & aliquando recisas talia germina emittere, quæ solent furculis, nisi opportune evellantur, abundantioribus fruticari. Alterum est, viros quoque percelebres, quales fuerunt Vincentius, Cassianus, Hilarius, erroribus fieri interdum obnoxios: unde debemus attendere quid habeamus ex nobis, quid ex munere Largitoris; ne aliquis nostrum adversus alterum glorietur, sive scientiâ præditus sit, sive decore atque honestate virtutis. Postremo denique Cœlestini, ac Prosperi exemplo docemur, quanto nobis studio pro Christi Gratia, amplissimoque Augustini Nomine pugnandum sit, aut audeant Adversarii magnificare humanæ libertatis conatus, aut illam nitantur evertere, aut opponant ejusdem cum divinis constitutionibus repugnantiam; quod cum Augustinensium præsertim discipulorum interſit, iis merito post Pelagianam hæresim trado Semipelagianam breviter Historicis, & Dogmaticis thesibus refutatam.

CAPUT I.

Quænam fuerit Semipelagiana hæresis, & qui illam intruserint, qui profligaverint?

SUMMARIUM.

1. In quo consistat hæc hæresis.
2. Unde habeat originem.
3. 4. 5. Enumerantur varii Semipelagiani.
6. & 7. Quinam scripserint, & pugnaverint contra hæresin.
8. Illius proscriptio facta à Synodo.

1. In quo consistat hæc hæresis.

POSTREMO Capite etiam Semipelagianam hæresim cœpimus oppugnare; illius enim decreta fuerunt bonam voluntatem, quæ fidem præcedit, ex nobis esse, in consequentibus non deesse divinæ Gratiæ adjutorium. Posteaquam S. P. Augustinus gratiæ operationem, ac divinæ voluntatis propositum tot, tantisque lucubrationibus confirmaverat; complures in Lugdunensi præsertim, & Arela-

Arelatensi Provincia, arbitrantes ex Augustiniana Doctrina consequi fatalem necessitatem, in oppositam sententiam abierunt, tria dogmata ex adverso constituentes. Fuit primum, justitiæ aliquod initium, bonam scilicet voluntatem credendi esse ex nobis absque divinæ gratiæ auxilio; ex hujus autem fidei & voluntatis merito gratiam & justificationem conferri: unde hæc erat illorum vox, ut scribit Petrus Diaconus ad Fulgentium, *Meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare.* Deinde asserebant Prædestinationem nullam esse, nisi ex meritorum præscientia, & parvulos etiam eligi ex prævisione operum, quæ facturi essent, si viverent: posse augeri, vel minui prædestinatum numerum electorum, & posita electione secundum gratiam, inutiles esse hortationes & correctiones. Ita scripserunt ad Augustinum Hilarius & Prosper, atque ita contendit Faustus de libero arbitrio lib. 1. cap. XI. & lib. 2. cap. 3. Tertio, quod consectarium hujus est, dixerunt perseverantiam non esse speciale Dei donum præparatum iis, qui sunt à massa perditionis prædestinatione discreti: ut constat ex Resp. Prosperi ad VII. objectionem Gallorum. Pertractabimus hoc libro de priori tantum dogmate, in quo revixit hæresis Pelagiana; quoniam de Prædestinatione disseruimus in prima Parte, & de Perseverantia disputabimus libro XVIII.

2. Unde habeat originem.

Non male dixeris hujus hæresis originem ad antiquiora tempora referendam. Ipsum Augustinum nondum Episcopum similiter errasse, ex ipsius confessione didicimus in cap. 3. de Prædest. SS. Similia tenuisse quosdam Monachos Adrumeti circa annum 424. sed statim ab Augustino correptos, alibi scriptum est. Erravit pariter Vitalis quidam Carthaginensis, quem ab errore revocavit idem Augustinus, quatuor circiter annis ante dissidia Adrumeti, ut liquet ex Epistola 107. vel 217. scripta vertente an. 420. Sed cœpit coalescere in Sectam Semipelagianismus anno 428. aut insequenti, cum delato in Gallias libro de Corrept. & grat. scripto ad eosdem Monachos Adrumetinos, cœperunt Lirinenses Monachi, inter quos aliqui scientia & sanctitate conspicui, insectari S. Patris doctrinam. Scripserunt ea occasione ad Augustinum Hilarius & Prosper, quorum acceptis Epistolis, ille edidit libros de Prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ, referens etiam de reliquiis Hæresis Pelagianæ triumphum. Horum Semipelagianorum ducem fuisse Cassianum scribit Norisius lib. 2. cap. 1. & 5. ante Norisium Vossius lib. 1. cap. 7. Suarez Prolog. v. de Grat. cap. v. Petavius de Hist. Pelag. & Semip. cap. x. n. 11. Gonzales Controv. IV. art. 10. quibus accedunt Tournely q. 3. pag. 91. Isaac Habertus lib. 2. cap. VII. §. 3. cum Theologorum, & Historicorum maximo numero. Infeliciter eum purgare conati sunt, quos refellit Norisius in Appendice cap. 2. necnon Henricus Cuykius, Possevinus, Petrus Diaconus, Thomas Pius, & ex Scholasticis, novissime Antonius Boucat de Grat. Dissert. Præambula art. VII. Fuit autem Cassianus primum Diaconus S. Joannis Chrysostomi, postea Presbyter Massilienses, insignis, & facundus Scriptor, ut appellatur in Chronicis Prosperi ad an. 433. nisi elogium istud infartum sit, quomodo annotavit Pontacus. Scripsisse Cassianum novimus de Institutis Cœnobiorum libros XII. Collationum libros XXIV. & adversus Nestorium de Incarnatione opus singulare. Collationes scriptas constat anno 432. ex notis Conradi Abbatis Urspergensis apud Gerardum Vossium lib. 2. de Hist. Latinis cap. XVII. contra Nestorium scripsit *absolutis Collationum libellis*, ut ipse testatur in libri ingressu: de Institutis autem Cœnobiorum ante editas Collationes.

3. Enumerantur.

Post J. Cassianum fuisse Ducem & Coryphæum Semipelagianorum Faustum Rejensem probat Norisius lib. 2. cap. XV. & in Append. cap. 3. Et quidem juremerito. Quippe in eadem sententia fuere Theologi Lovanienses in Justificat. Censuræ, Baronius ad annum 490. Bellarminus de Script. Eccl. Theologi fere omnes, atque illustriores Historici. Suos nihilominus, ut mali omnes, habuit Patronos, inter quos celebrioris famæ sunt Driedo, & Ruardus Tapperus laudati à Vossio lib. 1. H. P. cap. 10. Sirmondus & Cellotius à Norisio in memorato loco Appendicis. Faustus Lirinensium Monachorum Abbas factus anno 433. eosdem rexit annos supra viginti, electus post Maximum Episcopus Rejensis. Scripsit de Spiritu Sancto, de Gratia & libero arbitrio, & libellos, atque Epistolas alias apud Gennadium.

4. Varii.

Et hunc, id est, Gennadium adhæsisse Semipelagianis vera est, & communior sententia, quam tenent Lovanienses Theologi, Thomas Bradwardinus, Ferdinandus Mendoza apud Vossium loco nuper laudato. Accedunt Bellarminus de Script. Eccles. Gonzales Controv. IV. art. 14. Norisius lib. 2. cap. 16. &

16. & Appendicis postremo, Baronius ad an 388. & posterioris ætatis Scriptores eruditissimi, quos recensere non vacat. Sed neque huic defuit Defensor illustris, quem eloquenti Apostrophe compellat Norisius, Franciscus Suarez Prolog. v. de Gratia cap. 5. Scripsit Gennadius librum de viris illustribus, & multorum opinione de Ecclesiasticis Dogmatibus rejectum in Appendicem Tom VIII. Operum Augustini: & illum quidem circa annum 492. Porro si hi tres Cassianus, Faustus, Gennadius connumerentur à nobis inter Semipelagianos, neminem arbitror futurum, qui non fateatur nos aut meliorem causam suscipere, aut consentire præcipuis, gravissimisque Scriptoribus.

5. Semipelagiani.

Aliqui sunt autem sanctitate, atque eruditione percelebres, quos Semipelagianos dici ægre ferunt nonnulli; inter quos eminent Vincentius Lirinensis, & Hilarius Arelatensis. Scripsit Vincentius Commonitorium anno 434. & Semipelagianus probatur à Norisio lib. 2. cap. XI. Non aliter sentit Scriptor Eminentissimus de Hilario Episcopo Arelatensi eodem libro cap. 2. Plures utrumque defendere aggressi sunt: sed cumulatius, nec servata erga Norisium moderatione, Bruno Neusser in Apologia, quam ex Prodromo Velitari retulerunt Bollandistæ ad diem v. Maji, & Franciscus Macedo in libro, cui titulus *Commentationes duæ, &c.* Qui nec styli acrimonia, nec rationum vi potuerunt efficere, quin subscriberent Norisio viri literarum laude celebratissimi, ut dicam sequenti capite tertio. De Hilario tamen invaluit nuper opinio Semipelagianismum ejurasse; eaque unde muniatur, ostendam, de horum virorum celebritate dicturus, ut æquum est, non indigne. Gabriel Vasquez censet Semipelagianum etiam Joannem Chrysostomum: id vero prorsus immerito. Econtra Theophilus Raynaudus operam perdidit in disputatione Theologica pro Defensione Valeriani Cenetensi, non ut ipse putat. Cemelienſi, qui vixit ætate Fausti Rejensis: cum Valerianus aperte Semipelagianum se prodat Homilia XI. XVII. & XVIII. Verum de ipso, quemadmodum & de aliis obscurioris nominis, necessarium non arbitror pertractare. Similiter nec de Arnobio juniore, pro quo decertavit Vossius lib. 1. H. Pelag. cap. XI. pag. 569. refutatus à Norisio lib. 2. cap. 15. Disceptandum ergo erit, ut habeamus etiam rationem temporum, de Joanne Chrysostomo, de Cassiano, de Fausto, de Vincentio, de Hilario, & de Gennadio.

6. Quinam scripserint.

Quod priusquam facere aggrediar, dicam pauca de infelici exitu Semipelagianismi, & de gloriosis ejusdem Oppugnatoribus. Post Augustinum, de quo satis de Hist. Pelag. cap. 4. steterunt adversus Semipelagianos Hilarius & Prosper: & S. Patrem adhuc viventem de Massilienſium erroribus certiorem fecerunt. Defuncto S. Parente, cum Semipelagiani redderentur audaciores, simul Romam ad Cœlestinum profecti sunt, ut is novos Pelagianos reprimeret. Maxime autem enituit in horum extirpatione solicitudo beati Prosperi. Scripsit contra eosdem Epistolam ad Rufinum anno 429. exagitavit Cassianum libro contra Collatorem circa annum 433. proximo anno 434. respondit ad Capitula calumniantium Gallorum, ad Objectiones Vincentianas, & ad Excerpta Genuensium: edidit ipsa occasione Epigrammata plurima, & celeberrimum carmen de Ingratis. Num scripserit libros de Vocatione Gentium, inter Eruditos dissensio est; laudant tanquam genuinum illius opus Scriptores plurimi: negant Henricus Noris, & Vossius: relinquit judicium disquisitioni Eruditorum Philippus Labbe. Eumdem Prosperum contra vulgarem opinionem non fuisse Episcopum Regii Lepidi probant haud obscure Labbe, & Norisius, ex quo Episcopum nunquam appellaverint aut Victorius Aquitanus, aut Gelasius Papa, aut Gennadius Massilienſis, aut Marcellinus Comes, aut aliquis veterum ante Honorium Augustodunenſem, qui Gennadii verba transcripsit depravata Amanuensium errore. Episcopum tamen Regiensem, quamvis nullo certo argumento, agnoscunt post Honorium Scriptores Itali, Sixtus Senensis, Possevinus, Baronius, Ferrarius, Sigonius; nec non Thomas Braduardinus, Martinus Polonus, Trithemius, & Vossius. Is animadvertit cum Pontaco in vett. libb. vocari Prosperum aliquando Episcopum Rheginensem, & Regium Italiæ interdum dici Rheginum: affert etiam Inscriptionem extantem Regii in æde Carmelitarum, *Hic situs est Prosper, quo sancto Præsule Clerus, &c.* Consentiunt antiqua Breviaria Regiensis Ecclesiæ, & nostrum ad diem 24. Novembris. At hæc rigidioribus Criticis nequeunt plenissime satisfacere: ac nos dubitatione distrahimur. Nullatenus tamen assentiri possumus Bellarmino scribenti de Script. Eccl. Prosperum fuisse

fuisse Episcopum Rhegiensem in Provincia Provinciæ, quia subscripsisse inveniuntur Synodis Vasensi & Carpentoractensi. Interfuit enim his Prosper Aurelianensis Episcopus successor Aniani; non Aquitanus, qui cum Augustino scripserit Epistolam circa annum 429. certe jam ætate grandævus, non potuit adesse memoratis Conciliis anno 527. & 529. celebratis.

7. Et pugnarint contra hanc hæresin.

Opera Sanctorum Prosperi, & Hilarii Cœlestinus Papa scripsit contra Pelagianos Epistolam ad Galliarum Episcopos anno 431. Capitula huic Epistolæ annexa Cœlestini non esse dudum viri docti observarunt, Vossius, Norisius, Natalis Alexander, Presbyteri Ballerinii, & Auctor Adnot. in Eftium dist. 26. lib. 2. §. 26. Nos tamen aliquando sub Cœlestini nomine ea laudavimus exemplo Petri Diaconi, Cresconii, Dionysiii Exigui, Vasquesii, aliorumque; quod jussu vel approbatione Cœlestini fuerint à Prospero, vel ab alio defensore Augustini concinnata atque ita sanctitati quorumdam Semipelagianorum, qui certo definitioni Pontificis non repugnassent, melius consulitur. Enimvero in illis Capitibus aperte damnantur, qui fidem, piumque animi desiderium, ac primum bonæ voluntatis motum negant esse donum Gratiæ. Commendat tamen Cœlestinus Augustinianam doctrinam, illiusque oppugnatores compescit. Idem præstitit Gelasius in Epistola ad Picenos Episcopos scripta Albino Consule, id est, an. 493. itemque Hormisda in Epist. ad Possessorem data sub annum 520. Eo vertente scripsit ad Africanos Episcopos exules in Sardinia Petrus Diaconus. Iidem Episcopi in Synodali congressu anno 527. Semipelagianismum impugnarunt, & Augustini doctrinam Synodica Epistola probarunt & confirmarunt.

8. Illius proscriptio facta à Synodo.

Tandem proscripta est Semipelagianorum hæresis in secunda Synodo Arausicana. Hanc celebratam sub Leone primo anno 443. aut 444. fuit olim fere communis opinio, ut liquet ex Præfatione ad opera Prosperi editionis Duaci, & ex Tom. 2. Conciliorum Surii. Verum jam constat habitam fuisse sub Felice IV. Decio Juniore V. Consule, hoc est anno 529. ut observarunt PP. Mauro-Benedictini in Append. Tom. x. Op. Aug. Garnerius diss. 2. in Mercatorem, & erudita disputatione Gerardus Vossius lib. 1. H. P. cap. 53. Confirmavit Concilium Arausicanum Bonifacius II. in Epistola ad Hilarium Arelatensem data anno 530. Lampadio, & Oreste Coss. tum Synodus Valentina Imperante Lothario anno 840. ac postremo Tridentinum Concilium Sessione VI. habita anno 1546. Atque hæc de ortu, fortuna, & interitu Semipelagianismi.

CAPUT II.

Vindicatur S. Joannes Chrysostomus à nota Semipelagianismi.

SUMMARIUM.

1. Refertur occasio hujus positionis.
2. Chrysostomus potius præfocavit, quam docuit Semipelagianismum.
3. & 4. Id declaratur, ac probatur variis rationibus.
5. Ex quibus necessario sequitur conclusio.
6. Repellitur objectio Vasquez.
7. Ac ulterius annullatur.

1. Refertur occasio hujus positionis.

QUAMPLURES Chrysostomi doctrinam ab omni Semipelagiano errore purgatam apertissime demonstrarunt, ut Ferdinandus Velloſillus Adv. in Tom. 1. q. 9. Sixtus Senensis lib. v. annot. 101. Alexander H. Ecc. Sæc. IV. c. 6. atque præter alios Scholasticos Ysambertus 1. part. q. 23. dist. 2. art. 4. L'Herminier Tom. 4. de Gratia pag. 151. & seqq. Isaac Habert. lib. 1. cap. 8. §. 3. & cap. 24. §. 5. Ant. Boucat. Differt. Præambula de Grat. art. 6. & recentiores cæteri. Etsi vero loci ambigui eorum Patrum, qui floruerunt ante exortam hæresim Pelagii, & præsertim illorum qui ad populum habebant conciones, nequeunt Semipelagianis afferre aliquid adjumenti ob validissimas rationes productas cap. 7. de Elect. Justorum, atque alibi repetitas; tanta nihilominus mihi est existimatio & auctoritas Joannis, ut aliorum nervosis doctisque vindicationibus aliquam & ego addam, per quam illata illi injuria veritatis vi, præsidioque propulsetur.

2. Chrysostomus potius præfocavit quam docuit Semipelagianismum.

Propositio: Chrysostomus Semipelagianismum præfocavit potius, quam docuit.

Contexam ego S. Doctoris apologeticam argumentationem hoc pacto. In Semipelagianis quatuor attendenda, aut primarium ipsorum dogma jam à Catholicis omnibus refutatum; aut principia & doctrinæ capita, quibus illud firmare moliebantur; aut ex oppositio argumenta, quibus oppugnatum est: aut Canones, quibus invenitur proscriptum. Quid enim aliud, ut dignoscantur Semipelagianismi notæ, necessum erit expendere? Sanctus autem Joannes Chrysostomus capitale Semipelagianorum assertum rejicit omnino, fontes, à quo profluit lutulentum illud dogma, illustrat & clarat: rationem primam, qua exploditur, ipse suppeditat: eadem verba Canonum, quibus damnatur, sunt ex illius verbis exscripta. Igitur Chrysostomus Semipelagianismum non intrusit, non fovit; sed compressit, & suffocavit. Singula sic demonstro. Primarius Semipelagianorum error est, initium fidei, aut bonæ voluntatis esse ex nobis. Error iste à Chrysostomo evertitur: ait enim Hom. 4. in cap. 2. ad Ephes. *Ne beneficiorum magnitudo extollat te, vide quomodo te reprimit. Gratia, inquit, per fidem. Deinde ne rursus liberum arbitrium perimeretur, nostra etiam adhibuit; atque iterum illud idem sustulit, dicens, & hoc non ex nobis. Non enim fides, inquit, ex nobis. Nisi enim venisset, nisi vocasset, quomodo credere potuissemus? Quare nec fidei nostræ est, sed Dei: illud ipsum donum Dei est, ne quis glorietur, ut nos erga Gratiam gratos reddat.* Quibus verbis fidelissime ad literam ex Græco translatis, ait eruditissimus Habertus ubinam illa in Chrysostomum tanquam gratiæ ad fidem initiantis ignarum, aut inimicum, invidiosa criminatio? Certe tanquam spuma in scopulum illisa concidit, & evanescit. Homilia pariter XIX. in Epist. ad Roman. expendens ea verba, *Vide bonitatem Dei &c. Non dicit* (inquit Chrysostomus) *vide igitur virtutem tuam, aut labores tuos; sed Dei bonitatem, ostendens, quod universum ex superna gratia sit factum, instituensque credentem, ut tremat.* En Chrysostomum capitale Semipelagianorum assertum verbis expressissimis refellentem.

3. Id declaratur.

Momenta vero Semipelagianorum erant, cum hortationes scripturarum affirmantium Deum expectare voluntates hominum & extendere tota die manus suas ad non credentes & contradicentes, nec non hominum esse præparare animam suam: tum libertas arbitrii, quam autumabant everti, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates. His, ut in antecedentibus dictum est, respondent Catholici expectare Deum voluntatem deliberatam, divinæ vocationi obtemperantem, atque non coacte, non necessitate compulsam, & inhærentem mandatis; donari tamen illi misericorditer ut velit, ut faciat, ut veniat per gratiam prævenientem, & Spiritus sancti illuminationem, inspirationemque dilectionis: ita ut non tollatur gratia, non denegetur arbitrium: istud quidem, quia non necessitatur, nec cogitur; illa, quia non expectat merita, sed facit. Quid vero Chrysostomus? Hæc ante exortum Semipelagianismum diserte tradidit, docens Deum non prævenire voluntates humanas, uti dogmatizabant Manichæi, impellente necessitate; quandoquidem dum meremur, aut demeremur, operamur cum deliberatione atque electione: totum autem opus, ideoque ipsam voluntatis primam in bonum inclinationem præsupponere gratiam moventem. Audi Joannem, vere Chrysostomum, id est aurei eloquii, Hom. 12. in Epist. ad Hebræos negantem auxilium præmovens, necessitatem inferens voluntati: *Non prævenit, ne perdat liberum arbitrium.* Verumtamen audi iterum hæc scribentem Hom. 12. in 2. ad Corinth. cap. 4. *Manifestum est sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere, Verum in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est.* Est ergo apertissima sententia Chrysostomi, Deum expectare quidem voluntatis nostræ deliberationem & opus, ac nostrum esse manum aut ad ignem, aut ad aquam extendere, sed nihil, quod pertineat ad veram, & Christianam virtutem, à nobis fieri nisi post gratiam, licet hæc non ita nos præveniat, ut evertat liberum voluntatis arbitrium. Quamobrem uti Semipelagianismum non juvant ea loca Scripturarum sanctarum, quæ clamant nostra interesse, converti, velle, quærere, parare animam; ita errorem illum non alunt, nec fovent sententiæ Joannis sæpenumero splendida oratione dicentis referre nostra credere, parere, & perfectioris sanctitatis ponere fundamenta.

4. Ac probatur variis rationibus.

Jam vero dicendum aliquid de ratione præcipua, qua Semipelagianus error subvertitur. Est ea deprompta ex verbis Apostoli in 1. ad Corinth. cap. 4.

Quid

Quid autem habes, quod non accepisti? Iis testatur se fuisse convictum S. P. Augustinus, cum similiter erraret putans fidem, qua in Deum credimus non esse donum Dei, tertio de Prædestinat. Sanctorum capite. Quanti ponderis hæc Apostolica verba sint ad revincendum Semipelagianismum dixi cap. XI. præcedentis dissertationis, repetam in hac quarto, & longe melius commonstrat Doctor Gratiæ in quinto libri, quem nunc laudavi. Nec sentit oppositum S. Chrysostomus. Expendens Apostolicum testimonium Hom. XII. *Sed esto fis laudandus*, inquit, *& revera habeas donum, & hominum judicium non corrumpatur: sed neque sic oportet superbia efferri, quippe qui non ex te habes, sed à Deo accepisti. Quid igitur te habere simulas quod non habes? Sed esto habeas, habent & alii tecum. Igitur quod accepisti habes, neque hoc tantum, & illud, sed quicquid habes: non enim merita hæc sunt, sed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, à vocatione eam accepisti; quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis dona, quamvis virtutes, omnia inde tibi provenerunt. Quid igitur habes, quæso, quod non acceptum habes?* Argumentum primum ac singulare istud est: eodem convictus fuit Augustinus: eodem Semipelagianos ipse oppugnavit: eodem usi sunt Canone 6. Patres Arausicani.

5. Ex quibus necessario sequitur conclusio.

Fluit nunc veluti sponte sua argumentationis nostræ pars quarta; & apparet in Chrysostomi Orationibus reperiri ipsa Canonum adversus Semipelagianos editorum verba, atque vim, auctoritatemque verborum. Dixi modo de Canone sexto Arausicano: hunc attuli non semel, & novissime cap. XI. & XII. de H. P. Facias, Lector, ejusdem Canonis cum recitatis verbis Chrysostomi collationem. Legas & Canonem alium Arausicanæ Synodi numero tertium. Eccum: *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti. Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Hoc ergo Canone demonstratur necessitas prævenientis auxilii ex cap. 65. v. 1. Esaiæ, & ex 10. Epistolæ ad Romanos 20. Inquiramus nunc interpretationem Chrysostomi Hom. 18. in Epistolam ad Romanos. En illam: *Non dicit, quod ipsi per se Deum attrahere potuerint; sed & eorum, qui ex gentibus credebant fastum dejiciens, ostendensque quod totum gratia sua perfecerit, dicit, Ego palam apparui iis, & ego inventus sum.* Vides in Chrysostomo vel ipsos Canones Arausicanos? Ergo impetitus, aut ad audendum projectus esse debet, quisquis tanquam Semipelagianum rodit & vellicat præclarissimum Ecclesiæ Doctorem, qui prædamnavit Semipelagianismi capitale decretum; qui explosit fallacia Massilienssium interpretamenta, & elisit argumentationes, antequam proferrentur; qui rationem primam ac validissimam pro necessitate gratiæ ad initium fidei promovit: qui præformavit Arausicanæ Synodi definitiones, & Canones. Hæc omnia præstitit Joannes Chrysostomus. Igitur Semipelagianismum præfocavit potius, quam docuit. Atque hæc erat propositio demonstranda.

Contraria Objectio repellitur.

6. Repellitur Objectio Vasquez.

In eandem cum Semipelagianis conspirasse sententiam S. Joannem Chrysostomum nititur probare Gabriel Vasquez disput. 89. cap. 4. ex Hom. 42. in Genesim, ubi docet Deum voluntatem nostram attendere; & ex Hom. 27. in qua ait aliquam ex nobis pœnitentiam esse, ac proinde dilectionem & spem, quæ tamen de se non sufficiat ad delendum peccatum, nisi accedat gratia Dei; quibus similia tradit Cassianus Collat. 20. cap. 8. Eamdem doctrinam habet Chrysostomus in Hom. de Daniele, & serm. 1. de Verbis Domini. Insuper addit Vasquez disp. 91. cap. 8. ex Hom. 17. in Joannem hæc verba Chrysostomi: *Hinc admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse, &c.* Urget & Hom. 12. in Epist. ad Hebræos, ubi parum à principio hæc habet: *Oportet nos eligere primum, quæ bona sunt, & tunc ipse quæ sua sunt introducit; non enim antecedit nostras voluntates, ne lædatur arbitrium.* Possumus addere quæ scripsit Hom. 26. in Genesim de Noe: *Quandoquidem quæ sua erunt omnia contulit, eorum etiam quæ à Deo sunt abunde potitus est.* Et in Ps. 120. *A nobis principia.* Hom. etiam 8. in Epist. ad Rom. tradit fidem præcedere, & gratiam impetrare. Denique pluribus in locis affirmat gratiam iis conferri, qui reddunt se gratia dignos, ut Hom. 41. de Sancta Pelagia. Profecto quisquis docet à nobis esse virtutem, nos divinis beneficiis non præveniri, nostrum esse principium bonorum operum, ad nos pertinere ut velimus & præeligamus, & gratiam dari iis, qui

qui præbent se dignos gratia, is per omnia Semipelagianis adhæret. Adhæret ergo Semipelagianis Chrysostomus.

Resp. dist. minorem: Semipelagianis consentit, qui docet virtutem esse à nobis deliberate operantibus & volentibus post gratiam prævenientem, & inspirantem nobis bonam voluntatem indelibe ratam; qui docet nos prævenire divina beneficia, qualia sunt augmenta gratiarum, sanctitas & justitia, incrementa virtutum, aliaque hujusmodi; qui docet nos præeligere & velle, quatenus in voluntate nostra totum post præmoventem gratiam relictum est; qui docet denique Deum non antecedere voluntates nostras præmotione necessitante atque impellente; nego quod is Semipelagianis adhæreat. Qui hæc omnia docet excludendo gratiam præmoventem, ac prævenientem, concedo. At Joannes Chrysostomus gratiam hanc non excludit, ut supra demonstratum est. Ergo quamquam alicubi scribat, nos velle, nos prævenire beneficia Dei, nos præeligere, nos dignos reddi voluntate nostrâ gratiis uberioribus, inter Semipelagianos immerito cooptatur.

7. **Ac ulterius annullatur.**

Quamquam vero hæc responsio ex argumentatione nostrâ redditur manifesta; singula objecta à Vasquesio, & etiam aliunde supperaddita cursitans repulsabo. Itaque Hom. 42. in Gen. loquitur Chrysostomus de eleemosyna, in qua Deus respicit voluntatem nostram, non censum; quod probat exemplo mulieris, quæ in gazophylacium duo tantum minuta projecit, & Sareptanæ viduæ, quæ Prophetam pavit Eliam. Huic quidem voluntati rependit Deus remunerationes gratiarum: sed hanc voluntatem num sine gratia à nobis esse docet Chrysostomus? Imo animadvertit Sareptanam mulierem, ut Eliam pasceret, à Domino habuisse præceptum & gratiam, & recitatis verbis Scripturæ, *Præcipiam mulieri viduæ ut pascat te*, statim ait, *Vide spiritus gratiam, dilecte.* Quod si in hac ipsa Homilia ait nos à Deo adjuvari dum enitimur ad virtutum agones; loquitur de gratia cooperante: opponens virtutem gratiæ iis, qui spectant quidem, sed non adjuvant in ludis Olympicis decertantes. Hom. 27. demonstrat justificationis gratiam non conferri adultis, nisi eos pœniteat, nisi sperent, nisi diligant. Et hæc sunt Semipelagianismi argumenta? Essent, si ad pœnitentiam non requireret gratiam; sed hanc eodem loco commendat in servo, cui Dominus dimisit debitum, dicens: *Bonus Dominus non solum quantum petiit, sed quantum ne cogitare quidem ausus fuit, dedit. Is enim ejus mos est, ut vincat, & præveniat petitiones nostras.* Hæc frustra requires in Collationibus Cassiani, unde errores scatent Semipelagianorum, dicam proximo capite. In Homilia de Daniele loquitur de argumento gratiarum: Daniel enim, puerique alii justi erant, & illos gratia prævenerat benedictionibus dulcedinis. Hanc tamen Homiliam non constat esse Chrysostomi, eruditis pluribus repugnantibus. De augmentis gratiarum loquitur etiam in Hom. 26. de Noe, in 41. de Pelagia, & ubicunque de justis instituit orationem. Etenim cum Noe *perfectus* dicatur, non consideratur à Chrysostomo in principio, sed in progressu virtutis: atque Pelagiam laudat martyrium patientem, postquam Dominus illi donaverat, ut pateretur. Martyres quidem fortiter pugnantes gratiâ Dei confortari verum est: nec gratia cooperans tollit prævenientem, quemadmodum subsequens ac perficiens non tollit cooperantem. Decimâ septimâ Homiliâ in Joannem sermo est non de prima vocatione ad fidem, sed de beneficiis collatis Andreæ, quem sponte obtemperantem vocationi Dominus constituit Apostolum, & familiari consuetudine complexus est. Hunc tamen locum depravatum contendit Gonetus Prædest. disp. 2. art. 3. §. 6. & legendum esse *præveniri*; non autem *non præveniri*, ut legitur in Veneta editione anno 1183. sed labitur manifeste, ut constat ex proxima antithesi, *sed à nobis incipiendum, &c.* & ex Græcis codicibus, quos consulto perlegens vidi ita habere: ταυθεν παιδευόμεθα ὅτι ἐφάνει τὰς ἐκλήσεις ἡμῶν ὁ θεος τοῖς δωρεαῖς. ἀλλὰ, &c. In Hom. 12. ad Hebræos liquet, ut observatum est supra, excludi præmotionem necessitantem; atque, ut adnotavit Habertus, fit sermo non de iis, qui sunt in privatione gratiæ, sed de iis, qui stant, currunt, & potestatem habent non dandi in commotionem pedem suum. Quod colligitur ex verbis sequentibus: *Etiamsi curras, etiamsi studium adhibeas, ne tuum existimes, si recte gestum est. Nisi enim cœlesti auxilio potiaris, omnia frustra sunt.* Denique in Epistolam ad Romanos Hom. VIII. dum ait fidem impetrare gratiam, loquitur Chrysostomus de Gratia sanctificante; siquidem & hæc habet eodem loco, *Accedit fides per gratiam attracta.* Quare ex his apparet argumenta omnia, quæ adversus doctrinam Chrysostomi proferuntur, vitrea esse, & siculnea:

atque

atque inter Cassianum, Hilarium, Vincentium, aliosque Semipelagianos, doctos alioqui, sanctosque viros, necnon inter complures nullius falsæ doctrinæ suspectos, & sapientiâ præclaros, extare & eminere Chrysostomum,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

CAPUT III.

De sanctis viris, quorum doctrinam fuligo Semipelagiani erroris aspersit.

SUMMARIUM.

1. Protestatio Authoris.
2. Cassianus fuit Semipelagianus.
3. 4. 5. & 6. Solvuntur Objectiones.
7. Item Semipelagianismo fuit imbutus Faustus Reinensis.
8. Id ulteriùs declaratur.
9. Eodem errore fuit imbutus Vincentius Lirinensis.
10. Quod probatur ulterius.
11. Ac declaratur.
12. Ex scriptis illius.
13. 14. 15 & 16. Solvuntur Objectiones.
17. Quid sentiendum de S. Hilario.
18. 19. 20. & 21. Solvuntur Objectiones.
22. Et utrùm hunc errorem deposuerit S. Hilarius.
23. Opinio Authoris.
24. Gennadius ad Semipelagianos declinavit.
25. 26. 27. & 28. Rejiciuntur Objectiones.
29. Appendix brevis.

1. Protestatio Authoris.

PRÆMITTENDUM est nihil derogare sanctitati ac virtuti eorum, qui ante exploratam circa prævenientis gratiæ auxilium veterum traditionem, expressasque definitiones Romanorum Pontificum, aut Sanctorum Conciliorum, profundissimas gratiæ ac libertatis quæstiones aut ignorarunt, aut non exacte explicaverunt: aut proprio indulgentes ingenio fallaci sensu, quod cujusvis hominis est, quædam verba fuerunt interpretati. S. enim Prosper Semipelagianos Massilienses in Epistola ad Augustinum servos Dei, ac tales, qui vitæ meritis cæteros antecellerent, spiritualium studiorum viros, claros egregiosque in omnium virtutum studio, & in cæteris Augustinianæ admiratores, sectatoresque doctrinæ appellat. Hilarius etiam illos summa cum laude commemorat, & scribit illos, hoc excepto, quod pertinet ad initium fidei, in factis & dictis omnibus Augustini sanctitatem fuisse admiratos. Dum ergo illos Semipelagianos dixero, non illorum personam me accusaturum declaro, non mentis pervicaciam, non voluntarium errorem, sed solam falsitatem doctrinæ, qualem in suis quoque scriptis ante Episcopatum editis S. Augustinus deprehendit, & qualem Vasquesius absque ulla Sanctorum injuria suspicatus est in Chrysostomo, & in Marco Eremita. Quare si forte nobis vel excidit hactenus, vel in posterum defluet verbum aliquod contumeliosum, quod è pectore nostro utinam non erumpat; sancte profitemur dogmata nos aversari, non Auctores; quemadmodum ajebat Prosper in Pelagianæ pravitatis reliquiis *non mediocris virulentiæ fibram nutriri*, cum tamen, ut diximus, sanctitatem Massilienſium debitis laudibus celebraret. His vero præmissis sit.

2. Cassianus fuit Semipelagianus.

PROPOSITIO I. Cassianus non potest à Semipelagianismo excusari.

Probatur 1. Testimonio Isidori Pelusiotæ Cassiani condiscipuli, qui Epist. 309. loquacem & temerarium appellat, & doctrinæ S. Augustini impugnatorem: ex Adone Viennensi, qui in Chronicis ad annum 425. scribit: *Opera illius à Catholicis cautissime legenda, maxime de libero arbitrio & gratia*; addit errores illius non ad plenum purgare potuisse, cum vellet, Cassiodorum Senatorem Ravennatensem: ex Cassiodoro ipso scribente cap. 29. Divinarum institutionum Cassianum purgatum ab erroribus etiam à Victore Martyritano: ex Thoma Braduardino, qui lib. 2. de causa Dei cap. 4. Cassiani sententias appellat *Hæreticas, & Pelagiano veneno prægnantes*: ex parente Ecclesiasticorum Annalium, qui ad annum 433. scribit certo falli, qui Cassiannm credunt *fuisse omni ex parte catholicum*. His contentiunt omnes fere Scriptores. Non ergo absque magna testimoniorum auctoritate Semipelagianismi Cassianus insimulatur. II. Probatur ex quo in S. Officio Generalis Inquisitionis Hispaniæ damnata fuit hæc propositio Thomæ de Ituren. *Cassianus non fuit Semipelagianus*. Vide Gonzales controv. IV. art. 9. III. Probatur quoniam S. Prosper adversus Semipela-

gianos fidem catholicam egregie defendit. Illum his verbis commendat in Martyrologio Romana Ecclesia, *Eruditione & pietate insignis adversus Pelagianos pro fide catholica strenue decertavit.* Illius opera dicuntur à Gelasio in Concilio Romano *custodienda & recipienda.* Ex illius & Augustini scriptis fabricati sunt Canones Synodi II. Arausicanæ. Ipse autem Prosper suum maxime studium contulit in refellendo Cassiano. Editum adversus hunc librum contra Collatorem, constat ex titulo, constat ex Cassiani verbis passim in hoc libro productis, constat ex cap. 2. ejusdem Operis, constat ex antiquissimo Corbejensi Codice præferente hunc titulum: *Liber S. Prosperi pro Prædicatoribus Gratiæ contra librum Cassiani Presbyteri, qui prænotatur De protectione Dei.* Hæc est Collatio 13. habita cum Abbate Chæremone. Quod autem Antonius Boucat respondet in hac Collatione non esse sensum Cassiani, ab eoque historice referri sententiam Chæremonis, refelletur infra ipsius Prosperi expressissimis verbis. IV. Probatur ex decreto Gelasii, qui statim post recepta Opuscula Prosperi ait, *Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum apocrypha.* Triplici autem sensu dicitur aliquis liber apocryphus, vel quod non sit auctoritatis divinæ & in Canone Scripturarum sanctarum, vel quod incertum habeat auctorem, vel quod doctrinam exhibeat non plane catholicam. Opuscula Cassiani nequeunt appellari apocrypha primo & secundo sensu; non primo, quoniam dicerentur apocrypha etiam opera Prosperi, aliorumque Sanctorum, quæ ibidem declarantur esse recipienda & custodienda: non secundo, propterea quod Auctoris, id est, ipsius Cassiani nomen apponitur. Sunt ergo Apocrypha eoquod doctrinam contineant non undequaque Catholicam. Hanc Gelasii Censuram impetere quidam volunt, non Collationes Cassiani, sed libros de Institutis Monachorum. Verum si id concedatur, quid inde? Profecto sequeretur hos quoque libros non esse immunes erroris, ut revera non esse demonstrat Norisius lib. 2. cap. 1. §. *Interim.* Neque est ulla ratione probabile Romanum Pontificem expungere reliquos Cassiani libros, non illum de Protectione refutatum à Prospero ibidem insignibus Gelasii laudibus celebrato. Ipsum vocabulum *Opuscula Cassiani* videtur appellare non omnia hujus Scriptoris Voluminа, sed è grandioribus voluminibus ad refellendum excerpta. V. Probatur ipsius Cassiani verbis. Qui posteaquam collat. XIII. cap. 3. scripserat non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, quæ sane verba videntur esse catholica, sequenti cap. 9. venena spargens, *ut autem evidentius clareat* (inquit ille) *etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* En manifeste Cassianus initium bonæ voluntatis à nobis esse autumat, exponens quæ dixerat tertio capite, intelligenda esse aut de gratia conditionis, qualis est facultas arbitrii, aut de eo quod accidit nonnunquam, & in portione, non in universitate bonorum. Ita animadvertit S. Prosper cap. 3. num. 8. atque ita nos demonstramus cap. XI. præcedentis prop. 3. Etiam Apostolicum testimonium explicat Prosper cap. 4. n. 14. dicendo, *Vox ista (Velle adjacet mihi) vocati est, & jam sub gratia constituti*, scilicet, ut egomet explicavi in solutione objectionis. Legantur reliqua capita memoratæ Collationis, nec non lib. XII. de Institutis Monach. cap. 14. ubi docet, naturaliter inesse cuique animæ virtutum semina beneficio Creatoris inserta, conatus humanos gratiam præcedere, divinamque misericordiam conferri laborantibus ac desudantibus, aliaque plura puri puti Semipelagianismi argumenta.

3. Solvitur Objectio prima.

Objicit Antonius Boucat. Cassianus Collat. 3. cap. 4. sic loquitur: *Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ, & salutis excusciat.* Rursus Collat. XIII. cap. 3. *Quibus manifeste colligitur, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inspirat, &c.* Addit Boucat in resp. ad objectiones, S. Prosperum damnare in Cassiani Collatione non sensum ipsius Cassiani, sed Abbatis Chæremonis. Cum enim, inquit, sit liber Collationum Patrum, solummodo ad sensum auctoris Collationis, nusquam vero auctoris libri spectandus est.

Resp. Boucatum, ut in aliis pluribus, in defensione Cassiani nihil proferre, quam verba. Etenim verba deprompta ex cap. 4. Collationis tertiæ demonstrant Cassianum fateri gratiam *in portione* (inquit S. Prosper) *quam negabat*

in

in universitate vocatorum. Quid sibi vult adverbium illud *nonnunquam?* Neminem id puto ignorare. Nonnunquam ait Cassianus tam bene, quam bene alibi, *Nonnunquam etiam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel expectat.* Quod profertur ex cap. 3. Collat. XIII. ita à Prospero retunditur cap. 2. num. 7. *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissima veritatis luce devolveris?* Etenim Cassianus cap. 9. ut supra ostendimus, definitionem præcedentis cap. 3. ita explicat, ut omne donum descendat à Patre luminum, quatenus naturæ bonum beneficio Creatoris indultum est, & nonnunquam in portione vocatorum gratia etiam dormientes exuscitet. Hæc ubi adnotavit Prosper, inquit num. 10. *Post hæc concludit, quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus potest extendi, semper vero à Domino indigeat adjuvari. Et ubi est quod regulari definitione præmissum est, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis? Ecce hic etiamsi bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium: ipsos tamen laudabiles motus, appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adscribis arbitrii.* Quod postremo loco positum est hac ratione refellitur. Si Prosper non redarguit sensum Gassiani, sed Abbatis Chæremonis, si in Collationum libro nusquam sensum Scriptoris putas esse spectandum, cur Cassianum conaris defendere contorto textu verborum capitis tertii, quæ Chæremonis erunt, te judice, non Cassiani? Deinde ubinam Cassianus quod ponit in ore Chæremonis aut emollit, aut notat interjecta parenthesi, ne fallat lectorem? Rursus quomodo non loquitur Cassianus in proprio sensu, dum etiam libro de Institutis Monachorum duodecimo constantissime definit *perfectionem sine gratia Dei à nemine consummari*, sed primam gratiam præsto esse *occasione sibi tantummodo, à nobis bonæ voluntatis oblata?* Num Cassianus refert modo verba Chæremonis? At declarat se hoc dicere, & seniorum sententia plane & constantissime definire. An libros de Institutis Monachorum & tu abjudicas Cassiano? At librorum illorum Auctor promisit Castori lib. 2. cap. 9. se Patrum Collationes literis mandaturum, ne dubitares diversos esse Scriptores. Postremo audias Divum Prosperum hæc capite 2 scribentem: *Igitur in libro, cujus prænotatio est = De Protectione Dei, = vir quidam sacerdotalis, qui disputandi usu inter eos, quibuscum degit excellit, Abbatem quemdam introducit de Gratia Dei, & de libero arbitrio differentem, cujus se per omnia probasse, ac suscepisse ostendit sententiam; ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui forte tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei talem studuit proferre doctrinam.* En argumentationes recentioris hujus Theologi ab ipso Impugnatore Cassiani contritas. Sed Boucat contradicit sibi ipsi, cum supra art. 3. pag. 56. probet Semipelagianos non admisisse gratiam actualem ad initium fidei ex Collat. XIII. Cassiani, cap. 8. & 11.

Objicies 2. cum aliis Apologistis. I. Collationes Cassiani à summis, sanctisque viris summopere commendantur, à D. Benedicto capite 24. Regulæ, à Joanne Climaco Gradu 4. Scalæ, à Petro Damiani lib. 5. Epist. cap. 19. ab aliis. II. Cassianus in Monasterio S. Victoris prope Massiliam tanquam Sanctus colitur, recondito ejus corpore in Crypta loculo marmoreo quatuor columnis suffulto, & capite incluso in theca argentea gemmis ornata, Celebratur etiam Sancti Cassiani festiva dies 10. Kal. Augusti solemnitate octavarum. III. Nunquam expresse in damnatione Semipelagianorum Cassianum invenimus nominatum. 4. Objectio 2da

Resp. ad 1. In his quæ spectant ad Religiosorum institutionem in Collationibus Cassiani multa reperi utilissima, Ideoque merito laudantur à prædictis summis sanctisque viris, nec non à Gregorio, Fulgentio, Dominico, Thoma Aquinate, cæterisque præditis discretionis judicio, & à palea triticum secernentibus. Ad 2. respondeo nonnullos de sanctitate Cassiani dubitare, eo quod S. Prosper illum accusare videatur hypocrisis & superbiæ, & in Congregat. de Auxiliis Clemens VIII. auctore P. Lemos lib. 1. de Auxiliis div. Grat. cap. 22. & Gonzales Controv. IV. art. 10. prohibuerit ne Cassiani reliquiæ venerationi exhiberentur. At ego nolo Cassiani sanctitati detrahere, cum Gregorius Magnus lib. IV. Epist. 12. laudet Monasterium in honorem S. Cassiani consecratum, ut observat Pagius ad an. 433. n. XVIII. & quæ de illius sanctitate dicta sunt, arbitror esse verissima. Respondeo itaque nihil derogare sanctitati notam Semipelagianismi, ut præmonui initio hujus dissertationis: quare si Propser carpit Cas- 5. Rejicitur.

sianum acerbiori sermone, quælibet verborum asperitas doctrinam spectat, non Auctorem; vel aliquos alios Semipelagianos superbos forte & hypocritas, factos sanctitate Monachorum, quibuscum sentiebant, audaciores, sectatoresque pravitatis doctrinæ, non probitatis atque virtutis. Clemens autem VIII. rejecerit reliquias Cassiani vel quia non constabat de illarum, ut inquiunt, *identitate*, vel quia non est privati hominis cultum Sanctorum, quos tales non declaravit Ecclesia Romana, ubique promovere; vel quia opportunum non erat ebullientibus controversiis de Gratia promovere existimationem Cassiani. Ad tertium respondeo personam Cassiani merito non fuisse damnatam, quoniam non errabat pervicacia cordis, sed ignorantia, & existimabat errorem suum procul abesse ab hæresi Pelagiana: unde Prosper cap. 3. scribit Collatorem nec cum hæreticis, nec cum Catholicis plenam habere concordiam; & num. 61. de ipso cæterisque Semipelagianis ait: *Quoniam tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio.* Si Augustinus pepercit nomini, & personæ Pelagii antequam damnaretur, & reus fieret solemnis tergiversationis ac pertinaciæ: si nec Bajus à Pio V. in damnatione propositionum suarum, ut illius honori consuleretur, expresse nominatus est: quanto magis servandum id erat cum viris doctrina, & sanctitate conspicuis?

6. Objectio 3tia Refutatur.

Objicies 3. Cassianus fuit discipulus S. Joannis Chrysostomi. Si ergo doctrina Chrysostomi in materia de Gratia Catholica est; erit & Catholica doctrina Cassiani: = Resp. Isaac Habert. lib. 2. cap. 17. Cassianum à Joanne Chrysostomo expulsum fuisse ab Ecclesia Constantinopolitana, ubi Diaconi fungebatur officio. Nititur hæc opinio auctoritati Trithemii in Catalogo virorum illustrium, S. Antonini Florentinorum Archiepiscopi 2. p. Hist. tit. 10. cap. 10. §. 2. Sigeberti in Chronicis ad an. 425. & Vincentii Bellovacensis lib. 12. Speculi Hist. cap. 14. His non assentior, 1. quia Cardinalis Norisius principio lib. 2. Hist. Pelegianæ demonstrat ex lit. Innocentii ad Clerum C. P. Cassianum, & Germanum venisse Romam in causa Chrysostomi ab eodem Clero legatos. 1. Quia ex Historia Sozomeni & Nicephori constat Cassianum non à Chrysostomo, sed cum Chrysostomo fuisse Constantinopoli expulsum. 3. Quia ad finem usque vitæ Cassianus præceptoris sui Chrysostomi fuit studiosissimus, ut liquet ex dignis, plenissimisque laudibus, quibus doctrinam ac sanctimoniam ejus exornat circa finem librorum de Incarnatione adversus Nestorium, ubi etiam testatur se à Chrysostomo habuisse institutionem & disciplinam, & referendum totum ad honorem magistri, quicquid putatur esse discipuli. Melius itaque respondebis, Cassianum aliquas sententias Chrysostomi, quæ prima specie videntur Semipelagianæ, non plane fuisse assecutum.

7. Item Semipelagianismo fuit imbutus Faustus Rejensis.

Propositio II. Faustus Rejensis Episcopus fuit revera Semipelagianorum imbutus errore.

Certissima est hæc propositio, & probatur I. Ex cap. *Sancta Romana*, in quo Fausti Opuscula rejiciuntur ut apocrypha. II. Ex epistola Hormisdæ ad Possessorem, ubi Pontifex pariter declarat scripta Fausti non esse recipienda. III. Ex Joanne Maxentio, quem Faustum egregie refutasse & pro Gratia Christi magno studio ac fervore decertasse testantur PP. Africani exules in Sardinia, & inter eos Fulgentius libro 1. de Veritate Prædestinat. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast. Baronius ad an. 490. Vasquez 1. 2. disp. 199. can. 3. & Suarez Prolog. 5. de Grat. cap. 5. IV. Ex eodem Fulgentio, quem conscripsisse septem libros adversus Faustum, ejusque placita circa liberum arbitrium & gratiam, affirmat S. Isidorus Hispalensis in Catalogo Virorum illust. cap. 14. Syncellus in vita Fulg. cap. 28. & PP. Africani in Epist. Synodica ad Monachos Scythas, quæ legitur inter Opera Fulg. Tom. VI. Biblioth. PP. V. Ex S. Cæsario Arelatensi, quem adversus Faustum propugnasse Augustinianam doctrinam constat ex Ennodio Ticinensi apud Baronium ad annum 508. VI. Ex Petro Diacono, qui Tract. de Incarnat. & Gratia demonstrat Fausti doctrinam Ecclesiæ plurimum esse nocivam. VII. Ex his, quæ scripsimus de H. Prædestinat. lib. 6. cap. 14. ubi demonstratum est à Semipelagianis Defensores Gratiæ & Augustini discipulos tanquam Prædestinatos fuisse traductos, atque in hoc maxime Faustum intendisse ingenii sui nisus & molitiones. VIII. Ex Synodo Arausicana, quam præsertim contra Faustum fuisse celebratam constat ex Norisio lib. 2. cap. 23. IX. Ex libris Fausti de libero arbitrio: in quorum altero, cap. 6. docet in electione ad gratiam *observari merita*; Abelem divinis placuisse conspectibus *per insitum à Deo generaliter bonum*, atque *per propriæ voluntatis affectum*; dari aliquam fidem per

legem

legem inscriptam visceribus, ob quam *bonum credulitatis non novellum est privilegium, sed vetustum*; inter ipsa mundi coalescentis exordia datam hominibus virtutem fidei, quoniam inspiravit Deus *animæ notitiam suam.* Capite quoque x. exemplo Gentilium nititur ostendere, per legem naturæ indiscrete vigentem inter sensum cujusque hominis *inesse homini intellectum Dei pariter & cultum*; ante munera Redemptoris circa rationabilem creaturam semper *auctoris dona viguisse, à Conditore quidem summo præscripta per naturam, sed per gratiam confirmanda*; hoc nostrum esse, ut qui pro fragilitate idonei non sumus, *quærendi & pulsandi importunitate placeamus*, perfectissima providentia *hominem conditum ad sanctæ imaginis dignitatem laboribus & conditionibus explorare*; vilescere gratiæ oblationem, *nisi fuerit obedientiæ præmissa devotio*; non esse in quo jucundetur benignitas largientis, *si non prius explorata fuerit inquirentis aviditas.* Hæc & alia permulta Faustus: ex quibus paret non admisisse gratiam Salvatoris nisi ad consummationem perfectionemque virtutis, ad initium vero sanctæ credulitatis tantummodo bona naturæ, & gratiam legis atque doctrinæ. Fuit ergo Semipelagianus, imo Semipelagianorum antesignanus & princeps, qualem haberi à plurimis liquet ex Notatione, & Indice expurgatorio Magistri S. Palatii præmissis Operibus Fausti Tom. VIII. Max. Biblioth. PP. pag. 523.

8. Id ulterius declaratur.

Revincitur ex dictis Sirmondus, qui in Hist. Prædestinatiana Apologiam pro Fausto concinnavit. In qua primum ait Faustum accusatum à Joanne Maxentio infecto Eutychiana labe: cum Maxentius Orthodoxus fuerit, ut ostendam in libris de Incarnatione; nec solus, sed alii viri sanctissimi, Romanique Pontifices Fausti scripta tanquam Semipelagianismum olentia rejecerint. Addit Afros Patres Faustum insectatos, quoniam illorum menti insederat error Prædestinatianorum. At Commentum de Hæresi Prædestinatiana rejectum est: & quamquam extitisset reapse; nequit tribui Africanis Patribus, maxime Fulgentio, qui & Faustum impugnavit, & circa libertatem & gratiam egregio volumine haud recta incedentem Monimum docuit, & emendavit. Denique negat Gelasium damnasse libros Fausti declarando esse apocryphos: quod repugnat literis Hormisdæ, ipsi decreto Gelasii, nec non testimoniis Sanctorum. Quare sapientissime monuit Baronius Faustum in pluribus declarari hæreticum, nec purgari posse qualibet Apologia.

9. Eodem errore fuit imbutus Vincentius Lirinensis.

Propositio III. Vincentius Lirinensis fuit & ipse Semipelagiano dogmate imbutus.

Demonstrant hanc propositionem Cardinalis Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. XI. Nat. Alexand. Tom. 5. H. E. pag. 53. Pagius in sua Critica ad an. 434. num. XV. aliique viri eruditi pluribus argumentis. Quorum primum sit. Aliquis Vincentius fuit Semipelagianus, ut constat ex Opere Prosperi *contra objectiones Vincentianas.* Invenimus autem tres Vincentii nomine appellatos, Vincentium Lirinensem, Vincentium Victorem, & Vincentium Presbyterum, cujus meminit Gennadius cap. 80. de Viris illustribus. In cæteros posterorum ætatum de Vincentii nomine dictos nulla cadere potest suspicio. At objectionum Vincentianarum auctor non fuit Vincentius coævus Gennadio, & Cannoto, quippe qui floruit plusquam sexaginta annis post excitatos in Galliis Semipelagianorum tumultus, & post obitum Prosperi vita functi anno 457. vel ut contendit Philippus Labbè in notis ad Bell. 456. Etenim Vincentius iste, ut refert Gennadius eodem loco, legebat quasdam Expositiones suas sancto homini Dei Cannato, qui Episcopatum non obtinuit nisi exacto, aut vertente anno 480. ac Gennadius scribebat circa annum 490. Nec Semipelagianismus exortus fuit extremis diebus Prosperi, sed jam ab anno 419. ut illum eliminaret, scripsit Augustinus de Præd. SS. & de Dono Persev. Vincentius ergo Presbyter non est Auctor prædictarum objectionum, quomodo male dixerunt Scriptor Præfat. ad Commonitorium Lirinensis, & Gonzales Controv. IV. pag. 233. Multo minus objectiones tribuendæ sunt Vincentio Victori, jam confutato libris Augustini anno 419. cui & Prosper, si rediisset ille ad ingenium, exprobrasset veterem contumaciam, ac superbiam. Accedit post mortem Augustini nullos in Africa extitisse Semipelagianos, exortos econtra complures in Galliis; ad quos coercendos Prosper vigilanter nervoseque stetit in acie *Apostolica auctoritate* munitus. Si ergo Semipelagianus objectorum auctor non fuit Vincentius Presbyter, nec Vincentius Afer; quisnam ille fuit, nisi Vincentius Monachus Lirinensis?

10. Quod probatur ulterius.

Alterum argumentum est. Proprium erat Semipelagianorum Pelagium, Cœlestium, Julianum execrari; Augustinum autem hostem Pelagianorum infensissimum, quoniam & sibi adversabatur, insectari, ejusque doctrinam vel in quæstionem trahere, vel clam quasi cuniculis aggredi & oppugnare. Exempla sunt nobis libri Fausti, Cassiani, & Gennadii; testimonia autem literæ Cœlestini, atque Opera Prosperi. Atqui Vincentius Lirinensis, uti redarguit Pelagianos cap. 3. 13. 34. & ultimo Commonitorii, ita Augustinum non curat omnino, neque vel semel commemorat, etiamsi in refellendis Pelagianis illum celebrandi frequens oblata fuerit occasio. Agit ergo Lirinensis cæterorum Semipelagianorum more & modo, eodemque colore tinctus est. Legite Pagium ad annum 434. num. XIX.

11. Ac declaratur.

Tertium argumentum desumitur ex libro Commonitorii, quem tamen doctrinæ plenum, & alias perutilem judicamus. In eo libro Vincentius non uno indicio Semipelagianum se prodit. Primum Semipelagianorum erat decretum communem esse universis hominibus gratiam, dari illam quærentibus & pulsantibus, nec admittendam esse gratiam specialem, quam electis sacræ literæ pollicentur. Hoc docet Vincentius Commonitorii cap. 37. *Audent* (inquit) *docere quod in Ecclesia sua, id est in Communionis suæ conventiculo magna ac specialis, ac plane personalis quædam sit Dei gratia, adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsent quicunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensetur, ut angelicis evecti manibus, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum.* Alterum Semipelagianorum assertum erat, quemadmodum manifestum est ex Epist. Prosperi, Augustinum in exponendis divinæ Prædestinationis mysterio & dono perseverantiæ excessisse modum, ac melius esse in illius mysterii altitudine servare silentium. Atqui hoc pariter docet Vincentius his verbis: *Sancti ejusdem viri memoriam tanquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat rediviva opinione diffamant.* Addit hujus sancti viri erratum *nec approbandum esse, nec prodendum.* Hæc vero de quonam jam defuncto Patre dicta sunt, nisi forte de Augustino, quem Patrem Semipelagiani arbitrantur nec prodendum esse ob Augustiniani nominis celebritatem, nec approbandum ob novitatem doctrinæ? Cujus enim innovabatur memoria, atque, ut Vincentius scribit, cineres tunc temporis ventilabantur, nisi Augustini; quem Hilarius & Prosper acerrime propugnabant? *Fallor*, inquit Alexander, *nisi sit hæc vera mens, verusque sensus Vincentii Lirinensis.* Præterea Semipelagiani doctrinam Augustini excipiebant in iis tantum libris, in quibus cum antiquis Patribus putabant concordare, & rejiciebant quæ scripserat de necessitate Gratiæ *ad initium sanctæ credulitatis.* Eapropter affirmabant Cœlestinum Papam postrema Augustini scripta nulla ratione probasse. Vincentius pariter Semipelagianis cæteris morem gerens: *Hic aliquis fortasse addubitet* (inquit) *quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an novitatis inventores? Ipse* (Cœlestinus) *dicat, & dubitationem legentium ipse dissolvat.* Quibus contendit Vincentius, non esse corripiendos Massilienses approbatores antiquæ doctrinæ, sed Hilarium potius ac Prosperum novæ & recentioris propugnatores. Sed de hoc argumento videndus Norisius lib. 2. H. P. cap. XI. §. *Verum quanta arte.*

12. Ex scriptis illius.

Postremum argumentum sit istud. Cœlestinus adversus Semipelagianos detrahentes Augustinianæ doctrinæ scripserat ad Episcopos Galliæ, *Desinat si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Hæc verba Vincentius cap. 43. Commonitorii ita contra Hilarium & Prosperum detorquet. *Desinat*, inquit, *si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam Urbes, & Provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis; desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere novitas vetustatem. Ergo hæc fuit beati Cœlestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem; sed potius novitas desineret incessere vetustatem.* Juvat hic nonnulla animadvertere cum Norisio in scrupulis Anonymi evulsis, Natali Alexandro citato loco, Claudio Frassen tom. 1. Scoti Acad. Tract. 2. aliisque viris doctissimis. Primum est, hæc Vincentii verba ferire Prosperum & Hilarium: hi enim soli ex Galliis ad Cœlestinum profecti erant illius contra Semipelagianos auctoritatem imploraturi; neque eo tempore alia dissidia suborta sunt, aut saltem non alia studuit Cœlestinus compescere prædictâ ad Antistites Gallia-

Galliarum Epistola. Deinde Vincentius carpit Hilarium & Prosperum tanquam criminatores, illos flocci faciendo his verbis, *ut quidam criminantur*; cum Cælestinus utriusque solicitudinem iisdem literis commendaverit. Præterea cum Hilarius ac Prosper accusassent apud Cœlestinum *nescio quos Presbyteros*, ut ibidem Summus Pontifex contestatur; Vincentius, quasi esset Semipelagianismus communis Gallorum fides, ait vocasse in crimen *Urbes*, & *Provincias*. Insuper trina repetitione illius parenthesis *si ita est*, suadere videtur aut illatam accusationem esse falsam, aut Cœlestinum non habuisse delatoribus fidem. Denique ea conclusione, *Ergo hæc fuit Beati Cœlestini beata sententia*, &c. satis ostendit Vincentius novitatem Augustinianæ doctrinæ non debere incessere perantiquam à Massilienſibus propugnatam; siquidem Semipelagiani Augustini discipulis objectabant istorum de Prædestinatione sententiam novam esse, & cum antiquorum Patrum doctrina pugnantem: quod manifestum est ex Epist. Beati Prosperi scribentis, *Contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui quicquid de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.*

13. Solvitur 1ma Objectio.

Plura objiciunt contra Norisium Franciscus Macedo, & Bruno Neusser: sed omnia possunt ad quatuor capita revocari. Erit ergo primum pro Vincentio argumentum: Sententia quæ asserit Vincentium Lirinensem fuisse Semipelagianum nullum Auctorem habet, nisi Vossium, Norisium, & Lupum. = Resp. non esse postremos duos, & in iis quæ ad eruditionem spectant etiam Vossium, proletarios & populares, uti existimat personatus Neusserius; Macedo enim fatetur plures cum Norisio consentire circa Vincentii Semipelagianismum, quod tamen negat de Hilario Arelatensi, de quo proxima Propositione. At Norisius ad scrupulos Anonymi differt. 3. §. 2. demonstrat suam de Vincentio sententiam probari Garnerio differt. 1. cap. 6. Claudio Frassen Scoti Acad. Tract. 2. disp. 3. Altemio differt. 9. de Scriptis SS. Leonis & Prosperi, PP. Mauro-Benedictinis in App. Tom. x. Op. S. Aug. Thomassino differt. 13. in Synodos, Basilio Poncio, in priori parte Relect. de Grat. cap. 4. Atque si hi perpauci videntur, addimus Natalem Alexandrum & Pagium supra cit. Graveson Tom. 2. H. E. pag. 161. ipsum quoque Francolinum in suo Th. Tyrocinio pag. 130. Estne assertio nostra singularis, an inter Scriptores communior?

14. Solvitur 2da Objectio.

Secundum pro Vincentio argumentum est, illum non esse auctorem objectionum Vincentianarum. 1. Quia Vincentius Lirinensis fuit Pelagianorum infensissimus hostis. 2. Quia Commonitorii cap. 43. laudat summopere Epistolam Cœlestini contra Semipelagianos. 3. Quia objectiones illæ adeo absurdæ sunt, & insulsæ, ut moveant, inquit Macedo, vomam & camerinam; cum Lirinensis doctissimus fuerit, ac disertissimus. 4. Quia auctor illarum objectionum fuit Vincentius Presbyter, ut scribit Baronius, & Vasquez 1. p. disp. 91. cap. 8. n. 43. Respondetur Vincentii Semipelagianismum erumpere non solum ex objectionibus Vincentianis, verum etiam ex ejus Commonitorio. Illas autem objectiones non esse Lirinensis nullum ex his momentis evincit. Non primum, quia Semipelagiani omnes execrabantur Pelagianos, ut constat ex libro Prosperi contra collatorem, & ex ipso Fausto in libro 1. de lib. arbitrio: credebant enim Semipelagiani, *peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari*, inquit Augustinus cap. 1. de Præd. SS. Non secundum, quia Epistolam Cœlestini, ut supra dictum est, Vincentius contra Hilarium & Prosperum miro artificio detorquet. Non tertium, quia in objectionibus, & in Commonitorio idem apparet ingenium. Non ultimum, quoniam Vincentius Presbyter floruit ætate Gennadii, & Prospero jam defuncto.

15. Solvitur 3tia Objectio.

Tertium argumentum petitur ex egregio Opere Commonitorii. Istud enim mirifice commendatur, ut demonstrat Macedo cap. 3. prioris Commentationis. Deinde falsum est in hoc Opere Vincentium loqui contra discipulos Augustini, quos optime noverat à Cœlestino singulari elogio condecoratos. Præterea verba illa Commonitorii *in conventiculo Ecclesiæ suæ* aperte significant aliquam Congregationem hæreticorum, non sectatores Augustinianæ doctrinæ. Rursus verba cap. 37. *Audent polliceri, & docere*, &c. explicari debent catholice, non in sensu Semipelagiano: quandoquidem in sententia quoque Augustiniana orandum & pulsandum est, ut specialem illam gratiam obtineamus. Resp. Commonitorium Vincentii utilissimum esse in iis, quæ pertinent ad doctrinam de Patrum tradi-

traditionibus, & usu earumdem: uti Collationes Cassiani perutiles sunt in iis, quæ spectant Monachorum institutionem, unde utrumque Opus suas laudes promeretur, hoc excepto quod Semipelagianismum instaurat. Existimabant Semipelagiani Augustinianam doctrinam approbatam à Cœlestino in superioribus libris, non vero in postremis, ubi Augustinus disputat de electione secundum propositum, & de necessitate gratiæ ad initium fidei: atque ita opinatus est Lirinensis. Habebantur ab iisdem Semipelagianis assertores doctrinæ Augustinianæ, ut sæpenumero dictum est, Prædestinatiani atque inimici libertatis. Non ergo mirum si Vincentius illorum palæstram dixerit *conventiculum*. Laudata verba ex cap. 37. Commonitorii nequeunt habere Augustinianum sensum; in quo specialis gratia confertur aliquando etiam non quærentibus, nec pulsantibus: imo ut quæramus & pulsemus, est necessaria.

16. Solvitur 4ta Objectio.

Ultimum argumentum petitur ex sanctitate Vincentii. Nam Vincentius scripsit post Cœlestini Epistolam, in qua Semipelagianismus aperte damnatus est. Id autem Vincentius vel ignorabat, vel non. Si non ignorabat, erat in eo hæresis pertinacia. Si ignorabat, jam erat hæc ignorantia vincibilis, ideoque à peccato non poterat eum excusare. Addit Macedo: Norisius negat Faustum, aliosque Semipelagianos potuisse excusari per ignorantiam invincibilem: quomodo ergo excusabitur Lirinensis? Insuper Semipelagiani appellantur à Norisio *calumniatores*, *lupi*, *& hypocritæ*: non ergo adorandi sunt; neque enim sumus in Ægypto, ubi colebantur Lupi cum Anubi, & Api. Tandem Semipelagianismus jam damnatus erat cum hæresi Pelagiana; ut colligitur ex Augustino cap 2. de Prædest. SS. Omnes itaque Semipelagiani erant hæretici, qualem fuisse Vincentium Lirinensem nemo affirmabit. Hæc & alia plura hujus generis Macedo in Comment. 2. pro S. Hilario Arelatensi, quæ etiam valida sunt pro Vincentio. — Resp. & nos Lirinensium Monachorum defendere sanctitatem, ut diximus in Prænotatione hujus Capitis. Ad primum tamen respondemus Vincentium, Hilarium, & Semipelagianos reliquos non ignorasse Epistolam Cœlestini, sed existimasse non omnia, quæ scripserat Augustinus, præsertim in postremis Operibus fuisse à Pontifice comprobata, maxime quod Capitula annexa Epistolæ, in quibus Semipelagianismus aperte damnatur, non sunt Cœlestini. Ignorantiam in Semipelagianis dicimus fuisse vincibilem, quoniam poterant viri illi docti illam exuere diligentiori studio atque labore: negamus tamen non posse excusari ab hæresi; quoniam nec ignorantia vincibilis est peccatum, si sit eorum, quæ quis scire non tenetur, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. Videatur Norisius dissert. 3. ad Scrupulos Anonymi §. 3. Responsione VI. & VII. Ad 2. Resp. recte Norisium scribere Faustum non excusari per ignorantiam invincibilem, quoniam non fuit in Semipelagianis hæc ignorantia, ut male scripsit Ariaga in 1. P. disp. 36. num. XI. quippe ignorantia invincibilis ea est, quam nulla ratione possumus superare: excusantur autem complures Semipelagiani ignorantia vincibili eorum, quæ scire non tenebantur. Ad tertium dico fuisse inter Semipelagianos, qui doctrinam Augustini reprehendebant *non intelligendo*, & alios, qui eam rodebant *intelligere nolendo*, ut inquit Prosper. in Præf. ad objecta Gallorum: illi, inter quos connumeramus Vincentium & Hilarium, appellantur à Prospero *Fratres*, *dilectores*, *& sancti*; & similiter dicuntur à Norisio lib. 2. cap. 5. alii autem calumniatores & hypocritæ erant, saltem verbotenus, atque in hoc Norisius loquitur cum eodem Prospero, cap. X. ejusdem libri. Legendus Scriptor Eminentissimus §. 2. cit. dissert. ad Scrupulos Anonymi Resp. 2. ubi consimilem objectionem exemplo Hieronymi, & Cyrilli, & eruditione plurimâ egregie refellit. Ad ultimum respondeo Semipelagianorum plures ignorasse sententiam suam fuisse in Pelagio damnatam, ignorantia tamen superius explicata. Enimvero S. P. Augustinus initio libri de Præd. SS. fatetur eos *plurimum à Pelagianorum errore discerni*; Prosper, ut dictum est Prop. 1. non denegat Cassianum esse Catholicum, quamquam implicite Semipelagianum dogma cohæret cum assertione Pelagii, *Gratia Dei datur secundum merita nostra*. Semipelagianismus expresse damnatus est sub Felice IV. à Synodo Arausicana, atque, ut Norisius scribit lib. 2. cap. 23. ad hæc usque tempora *citra læsæ fidei crimen* propugnabatur. Quare nulla injuria irrogatur sanctis viris, qui ante celebrationem illius Synodi dicuntur Semipelagianorum asseruisse sententias: quemadmodum eo loco demonstrat doctissimus Cardinalis auctoritate & exemplo.

PRO-

17. Quid sentiendum de S. Hilario.

PROPOSITIO IV. Judicium de S. Hilario Arelatensi connumerando inter Semipelagianos grave est, libratum, & verum.

Duo Norisius de S. Hilario Arelatensi affirmavit; unum, Semipelagianorum opinionibus adhæsisse, lib. 2. H. P. cap. 2. alterum nescire se, an tandem aliquando errorem Hilarius abdicaverit, lib. 2. cap. 13. Quantum ad primum attinet, depugnarunt contra Norisium præ cæteris Bruno Neusser, & Macedo, sed viri eruditi Norisio subscripserunt fere omnes, ut affirmant Ballerinii lib. 2. observat. cap. 1. Quantum vero ad secundum Ballerinii ipsi eodem lib. cap. 8. post Tillemontium in vita S. Hilarii, & Pagium ad annum 445. putant certissimum esse, quod Hilarius errorem suum deposuerit. Itaque dico certum esse Hilarii Semipelagianismum, incertam abdicationem, & judicium Norisianum bene ponderatum atque gravissimum. At primum demonstratur ex Epistola S. Prosperi hæc ad Augustinum scribentis: *Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis, & spiritualium studiorum virum, S. Hilarium Arelatensem Episcopum sciat Beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, &c.* Hoc testimonium adeo clarum est (inquit Nat. Alex. Tom. 5. H. E. pag. 52. cui subscribunt Pagius ad annum 445, num. 18. Graveson. Tom. 2. H. pag. 164. Tournely lib. 1. de Grat pag. 92.) adeo clarum est, ut nemo diffiteri possit, Hilarium Semipelagianorum errorum tinctum fuisse fuligine. Et revera in Epistola Prosperi legendus non est pro Hilario *Honoratus*, ut quidam putabant, cum MSS. omnia, inquiunt PP. S. Mauri in notis ad Epist. Prosperi Tom. x. Op. S. Aug. Hilarium ferant. Neque Prosper intelligendus est de Hilario altero, qui una simul scripsit ad Augustinum; quoniam Hilarius iste Laicum se nominat, & vicissim Augustinus cap. 1. de Prædest. SS. illum appellat Filium: ac præterea testatur se nihil de veritate ac doctrina S. Patris dubitare, ejusque præsentiæ deliciis aliquando fuisse potitum Quæ nequeunt in Arelatensem Episcopum convenire, inquiunt in notis ad Epistol. Hilarii doctissimi Mauro - Benedictini. Insulsæ autem, atque ineptæ sunt exclamationes Brunonis Neusser in sua pro S. Hilario Apologia scribentis, *Si est Hilarius admirator, & Sectator Augustini, quomodo Semipelagianus?* Digna sane risu argumentatio! quasi Prosper dicat Hilarium sectari in omnibus Augustinianam sententiam, nec in quæstionem trahere quæ S. Pater in libris posterioribus disputavit: quasi de cæteris quoque Semipelagianis non contestetur Augustini sanctitatem doctrinamque, hoc excepto quod spectat initium fidei, & electionem secundum propositum, *in factis ac dictis omnibus admirari*: quasi demum Augustinus ipse de Dono Pers. cap. 21. suam non profiteatur Semipelagianis gratitudinem, quod in cæteris suamet placita amplecterentur. Cum itaque S. Prosper scribat Hilarium Episcopum Arelatensem accessisse Semipelagianis, neque substituendus sit Honoratus, neque Hilarius alter Augustini discipulus, & collega Prosperi, non Episcopus, sed Laicus; de Semipelagianismo Arelatensis addubitare non possumus.

18. Objectio 1ma rejicitur.

Objiciunt Adversarii 1. Norisium nec unum pro sua sententia posse citare Auctorem. Sed nos jam aliquos, nec infimi ordinis, memoravimus. His addimus cum præclarissimo Auctore differt. 3. §. 3. ad Scrup. Anonymi, Theophilum Raynaudum de bonis, ac malis libris n. 581. & Thomassinum superiori §. laudatum. Accedit Lucas Holstenius, & Sirmondus, de quibus ibidem Norisius in responsione ad Appendicem ejusdem Operis: qui addit in Adventoria Usserium, P. Gabrielem de Henao, Christianum Lupum, Gilbertum Maguinum, Sammarthanos fratres, & alios. Sed post apertissimum testimonium S. Prosperi, necesse est cæteros numerare.

19. Objectio 2da tollitur.

Secundo objiciunt, Hilarium Arelatensem esse revera Auctorem Epistolæ ad Augustinum scriptæ adversus Massilienses. 1. Quia S. Prosper affirmat Hilarium Arelatensem velle cum Augustino sensum suum conferre per literas. 2. Quia Hilarius Arelatensis jam Augustino notus erat, illum audierat in Africa, & ad eum scripserat Siracusis Epistolam, quæ nunc est inter Augustinianas 156. alias 83. Hæc autem omnia conveniunt Auctori Epistolæ contra Semipelagianos. 3. Quia Augustinus respondens Prospero nullam fecit Hilarii mentionem, ideoque noverat optime ingenuam ipsius fidem. — Resp. hæc nullius esse momenti: liquet enim Auctorem prædictæ Epistolæ fuisse Laicum, & etiam egisse cum Prospero, ut suis lite-

literis Augustino dogmata Massilienſium intimaret, quemadmodum nec in quæſtionem vocaſſe ullum Sancti Doctoris aſſertum: quæ omnia ſuis in literis profitetur. Quomodo ergo Proſper hunc appellat Epiſcopum? Quomodo ſcribit trahere in querelam Auguſtini nonnullas diſputationes? Quomodo ignorare poterat num, vel quo animo eſſet ad Auguſtinum ſcripturus? Falluntur ergo impugnatores Noriſii errore maximo, & falſitatem ſuperaddunt falſitati. Enimvero Arelatenſis admodum juvenis, ut ſcribit Eucherius, ſe recepit in Monaſterium, nec invenitur fuiſſe unquam in Africa. Epiſtola etiam ſcripta ad Auguſtinum Syracuſis non eſt Hilarii Arelatenſis, imo fortaſſis nullius Hilarii, ſed Hilari, ut ex vetuſtis Mſs. obſervarunt Benedictini. Alterius tamen Hilarii eſſe minime denegamus. Arelatenſis non meminit Auguſtinus, vel quia ſanctum virum ſui amatorem noluit aperte redarguere, vel quia ejus epiſtolas expectabat, quem ſcripturum, etſi dubitanter, prænonuit Beatus Proſper.

20. Objectio 3tia reprimitur.

Opponunt 3. S. Hilarium anno 429. nondum fuiſſe Epiſcopum Arelatenſem; nam ex Parænetica Eucherii ad Valerianum colligitur Hilarium induiſſe Monachum Lirinenſem, quando S. Petronius electus eſt Antiſtes Bononienſium, id eſt, anno 430. *Hilarius*, inquit Eucherius, *nuper, & in Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima, ut ajunt, mundanæ poteſtatis ſede unus in Religionis, alter in Sacerdotii nomen aſcendit.* = Reſpondeo falſum eſſe, quod Hilarius electus non ſit Epiſcopus Arelatenſis an. 429. Manifeſtum quippe eſt Honoratum prædeceſſorem Hilarii ſubrogatum fuiſſe Patroclo anno 426. ſediſſe autem duobus annis, & in pace quieviſſe die 14. vel 15. aut 16. Januarii anno 429. ut conſtat ex Oratione funebri habita in laudem Honorati ab eodem Hilario. Statim vero, ac Hilarius interfuit morti ac parentalibus Honorati, infulas hujus obtinuit, ut conſtat ex vita Hilarii conſcripta ab Honorato Maſſilienſi. Itaque verborum Eucherii ſenſus eſt, *Hilarius nuper Antiſtes Arelatenſis, & Petronius nunc Epiſcopus in Italia, &c.* ita ut τὸ *nuper* non ad Monachatum Hilarii, ſed ad dignitatem Epiſcopatus ſit referendum. Quod animadverterat Noriſius lib. 2. cap. 2. unde forte Macedo argumentum ſuffuratus eſt, diſſimulata reſponſione. Cæterum Hilarius fuit in Monaſterio Lirinenſi longe ante annum 430. & Eucherius ipſe in libro de Laudibus Eremi edito anno 428. meminit ipſius Hilarii jam Monachi Lirinenſis, ut obſervat Pagius ad hunc an. num. 25.

21. Objectio 4ta redarguitur.

Quarto loco objiciunt verba Auguſtini ſcribentis de Dono Perſev. cap. 21. *Nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi.* At libros Retractat. juxta Noriſium explevit S. Pater anno 427. ut docet cap. ultimo lib. 1. H. P. Ergo ante annum 428. quando certe Hilarius non erat Epiſcopus Arelatenſis, Hilarius & Proſper contra Semipelagianos ſcripſerant ad Auguſtinum. = Reſp. S. Patri conſilium fuiſſe non ſolum libros retractare, ſed & Opuſcula, & Epiſtolas, & Tractatus omnes judiciaria ſeveritate recenſere, ut ipſe ſcribit in Prologo Retractationum. Expleverat ergo anno 427. duos Retractationum libros, ſed retractanda ſuſceperat opuſcula alia, quod non potuit perficere à Juliano, & à Semipelagianis provocatus ad nova certamina. Quare nihil mirum ſi de Dono Perſev. ait, *Nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi*: ubi etiam conſulto ſcripſit *opuſcula*, deſignando Conciones, & Epiſtolas nondum redactas ad judicium cenſoriæ ſeveritatis. Reliqua Adverſariorum argumenta aut ſoluta ſunt Propoſitionibus præcedentibus, aut talia ſunt, quæ aliam non merentur reſponſionem.

22. Et utrum hunc errorem depoſuerit S. Hilarius.

Demonſtrandum jam eſt, non eſſe certum, quod Hilarius abdixerit dogmata Semipelagiana. Pagius, Tillemontius, & Ballerinii fratres id probant ex antiquiſſimo Auctore vitæ S. Hilarii inter Opera S. Leonis pag. 913. ubi inducit Hilarium ſic loquentem: *Cum ipſius mundi principibus, cum quibus Apoſtolus deſcribit bellum juge eſſe, conflixímus, quod nulli deerit, quicunque ad beatitudinem cæleſti gratia præcedente, & induſtria ſubſequente voluerit pervenire.* Quæ verba (inquit Pagius) longe clariora ſunt, quam quæ afferuntur, ut probetur novam adverſus Sanctum Auguſtinum doctrinam initio fuiſſe ſecutum. At non ita eſt. Primo his verbis aſſeritur tantum neceſſitas prævenientis gratiæ ad operis perfectionem, & conſecutionem beatitudinis: imo Semipelagiani omnes, aut plerique ſaltem, ut ſcribit alter Hilarius, fatebantur *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere:* non ergo ſufficit ad Semipelagianiſmum vitandum confiteri gratiam præcedentem, quâ perveniat ad beatitudinem quicunque voluerit.

Deinde,

Deinde, ut gratis detur, asseri prædictis verbis necessitatem prævenientis gratiæ etiam ad bonam voluntatem; neque hanc Semipelagiani negabant; ut constat ex verbis Prosperi in Epist. ad Augustinum, *Voluntates secundum suam phantasiam a gratia non negant esse præventas*: & ex ipso Augustino scribente de Prædest. SS. cap. 1. *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur.* Id vero quo sensu confiterentur Semipelagiani, dicam proximo capite v. Satis est nunc, prædicta Hilarii verba non esse adeo clara, ut eruditi viri judicarunt. Addo similia scripsisse aliquando Cassianum; non posse tamen à Semipelagianismo excusari, propterea quod licet fateretur non solum actuum, verum etiam cogitationum à Deo esse principium, agnoscebat tamen sine gratia ante perfectam voluntatem laudabiles quosdam motus, & appetitus virtutum; ut ostendi Prop. I. Et denique nullus Semipelagianorum ad initium quoque hujusmodi appetituum negavit gratiam aut naturalis conditionis, aut legis & doctrinæ, etiam interioris; sed denegavit solam gratiam voluntatis, & operis, quam prædicta verba Hilarii Arelatensis expresse non probant.

23. Opinio Authoris.

Attamen ob Hilarii sanctitatem firmissime teneo, quod si errorem suum novit, illum absque ulla hæsitatione deposuit. Quod ad credendum adducor primo ex Sancti viri emendatione, ubi cognovit, quæ male gesserat in causa Celidonii, acriter reprehensus à S. Leone Papa in Epistola ad Episcopos per Viennensem Provinciam constitutos. 2. Ex ipsa Epistola Prosperi exhibente nobis Hilarium, ut virum spiritualium studiorum, & cupidum conferendi cum Augustino per literas sensum suum; quod argumentum movit Gilbertum Maguinum, ut certo crederet Hilarium abdicasse Semipelagianos errores in Confut. Hist. Prædest. p. 2. cap. 2. Verum hæc probabilem fidem faciunt, non certam. Denique nullam pervicacis erroris suspicionem patitur S. Hilarii inculpata vita, & doctrina: ob quam in Epitaphio Templi Arelatensis merito dictus est

Gemma Sacerdotum, plebisque, orbisque Magister.

24. Gennadius ad Semipelagianos declinavit.

Propositio V. Gennadius ad Semipelagianos declinavit.

Ita communiter Historici contra Franciscum Suarez. Et probatur quoniam Gennadius in lib. de viris illustribus Rufinum, quem Anastasius Papa in Epist. ad Joan. Jerosolym. declarat à suis partibus alienum, cap. 17. *Doctorum Ecclesiæ partem non minimam*, ejusque invectivas ad utilitatem Ecclesiæ, auxiliante Domino scriptas autumat, non veritus appellare Hieronymum obtrectatorem incitatum stimulo æmulationis, & vertentem stylum suum ad obloquium. De Prospero pariter cap. 84. scribit: *Legi & librum adversus Opuscula sub persona Cassiani, quæ Ecclesiæ Dei salutaria probat, ille infamat nociva.* Contra Sancti Cassiani Opera magnifice laudat tum hoc loco, tum cap. 63. agens de Eucherio. Libros Fausti Semipelagianorum antesignani cap. 85. appellat *Opus egregium.* Denique etiam de Augustino scribit cap. 38. *Error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus necdum hæresis quæstionem dedit.* Quæ tamen à Gennadio dicta sunt in Augustinum injuriosa, non reperiuntur in pervetusto Codice Corbejensi, ut adnotavit doctissimus Mabillonius Tom. 2. Analect. cap. 44. Legatur Cardinalis Norisius lib. 2. cap. 16. & Appendicis cap. 4. Joannes Gonzalez Controv. IV. art. 14. Vossius H. P. lib. 1. cap. XI. Censura Lovanienſium, & admonit. PP. BB. præfixa Operi de Ecclesiasticis Dogmatibus, Baronius, Spondanus, Pagius, & Bellarminus de Script. Eccles. ad annum 490. &c.

25. Solvitur objectio 1ma.

Objicies 1. Gennadius lib. de Viris illustribus laudat Severum Sulpitium, quod ab errore Semipelagianorum resipuerit = Resp. hæc habere Gennadium: *In senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit.* A Semipelagianis damnabantur plura errorum portenta, quæ asserebant Pelagiani, & magnum erat inter utrosque discrimen; ut constat ex dictis.

26. Solvitur objectio 2da.

Ob. 2. In lib. de Eccl. dogmat. cap. 56. ait Gennadius: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire, nullum nisi Deo auxiliante operari:* & cap. 21. *Initium salutis nostræ Deo miserante, & inspirante habere nos credimus.* = Resp. 1. cum Norisio lib. 2. cap. 16. & Pagio ad annum 490. num. 21. librum de Ecclesiasticis dogmatibus utique catholicam continere doctrinam, sed scriptum à Gennadio multo tempore post librum de Viris illustribus, & jam recensitis à Gelasio inter apocrypha Opusculis Cassiani & Fausti, quæ Gennadius tam impense laudaverat = Resp. 2. in illo Opere fuisse à Catholi-

co Scriptore interpoſita nonnulla verba ob latentem hæreſim Pelagianam, ut obſervarunt ex pluribus collatis mſs. PP. Mauro-Benedictini. = Reſp. 3. poſſe prædicta Gennadii verba accipi de aliquo gratiarum genere nec denegato à Pelagianis: quibuscum Auctorem hujus Operis convenire probant Doctores Lovanienſes, ex quo nusquam meminerit peccati originalis, aut baptiſmatis infantium in remiſſionem peccatorum; cumque multos nominet hæreticos, nusquam meminerit Pelagii, aut prolati contra eum catholici dogmatis: idem confirmat Eccleſia Lugdunenſis, cujus extat judicium de hoc libro Tom. IX. Biblioth. PP. Demonſtrant alii conſperſa Semipelagianiſmi ſemina in capite primo ac viceſimo, ubi docet vigere in homine lapſo electionem ad quærendam ſalutem, cum aliis Semipelagianiſmi characteribus. Denique & reſpondetur addubitare plures, an Opus illud ſit genuinum, editumque à Gennadio. Scimus Voſſium cit. loco affirmare, quod in quibusdam Belgii Bibliothecis inſcribitur aut Fulgentio, aut Iſidoro, aut Gregorio Papæ. Antiqui Scholaſtici cum Magiſtro lib. 2. diſt. 35. & lib. 4. diſt. 12. tribuerunt illud Auguſtino. Benedictini in Append. Tomo VIII. Auguſtinianæ Pariſ. edit. notant à Trithemio lib. de Script. Eccl. & à Joanne Baleo Cent. 2. Scriptorum Britanniæ adſcribi Alcuino: unde ſcite admodum, & caute eidem Operi hunc fecere titulum. *Liber Gennadio tributus.*

27. Solvitur objectio 3tia. Objiciunt 3. Gennadius cap. ult. de Viris ill. ait de ſe ipſo; *Et opus de Fide mea miſi ad Beatum Gelaſium.* Quem textum ita legendum eſſe, non autem, *hoc opus*, &c. adnotarunt Voſſius, Noriſius, & Pagius. Loquitur ergo Gennadius de alio Opere, id eſt, de Eccleſ. Dogmatibus: non eſt autem probabile Gennadium auſum mittere librum infectum Semipelagianiſmo ad Pontificem, qui jam Semipelagianos reprobaverat. Ad hanc objectionem tenet prima, & poſtrema reſponſio præcedens. Atque etiam reſp. optime emendatum ab eruditis viris textum Gennadii, cum certum ſit librum de Viris ill. non eſſe opus de fide. Sed neque certum eſt Opus de fide Gennadii eſſe librum de Eccl. Dogmatibus: & multo minus eſt certum probatam fuiſſe à Gelaſio fidem ipſius Gennadii. Is fertur ſcripſiſſe contra Pelagium libros, qui deperierunt. Hos miſit fortaſſe ad Gelaſium: atque, ſi divinare fas eſt, hos libros appellat Opus de fide ſua. Addo in pluribus Mſs. & editis libris de Viris illuſtribus deſiderari caput illud ultimum, in quo Gennadius loquitur de ſe ipſo. Vide Tom. I. Op. S. Hieronymi vet. editionum.

28. Solvitur objectio 4ta. Objiciunt ultimo: Quæ Gennadius ſcripſit de Caſſiano & de Fauſto, dicta ab eo fuerunt per ignorantiam facti: unde ex illorum laudibus nulla erroris nota poteſt inferri quantum ſpectat ad dogma = Reſp. id minus eſſe credibile. Gennadius enim vixit paullo poſt Hilarium & Proſperum, qui ex Gallia Romam profecti Cœleſtini literas ad Galliarum Antiſtites impetrarunt. In his literis Proſper & Hilarius à Pontifice magnopere laudantur, & redarguuntur Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores. Id profecto non potuit Gennadius ignorare, niſi addat ignorantiæ crimen mendacii. Cap. enim 84. ait ſe legiſſe Proſperi contra Collatorem Opuſcula: & ſi legiſſe verum eſt, viderit cap. 21. num. 58. Cœleſtinum reprehendiſſe Caſſianum, ademiſſe Maſſilienſibus libertatem malæ loquentiæ, & Auguſtini Opera celebri elogio probaſſe. Quare aut mentitur, & iſta non legit; aut fuſus in criminationem Proſperi, & in laudes Maſſilienſium non laboravit facti ignorantiâ. At ſive ignarus hæc ſcripſerit, ſive malevolus; negari non poteſt plus æquo in Semipelagianos fuiſſe ſtudioſum.

Appendix.

29. Appendix brevis. Quum ad ſalvandam rectam fidem & ſanctitatem quorumdam Semipelagianorum, neceſſe ſit affirmare interpretatos fuiſſe Epiſtolam S. Cœleſtini eo ſenſu, quod in ea approbata ſit doctrina S. Auguſtini in Operibus ſcriptis adverſus Pelagianos, non autem in poſtremis, quibus Semipelagianiſmus ſuffoditur; ne quis inferat minus valida eſſe argumenta, quæ pro nonnullis capitibus Auguſtinenſis Scholæ petuntur ex libris de Correptione & Gratia, de Prædeſt. SS. & de Dono perſeverantiæ, operæ pretium eſt refutare fallacem illam Semipelagianorum opinationem: quod præſtat Auguſtini diſcipulus & defenſor S. Proſper contra Collatorem cap. XXI. num. 59. *Maneat plane* (inquit) *maneat iſta conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, ſi in eadem cauſa ejusdem viri diſſentit antiquitas: & aut inutile, aut incongruum judicetur quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, diſſonans invenitur.* Atque enumeratis Auguſtini adverſus Pelagianos ſcriptis, ſubjungit Proſper: *Et ſi in omnibus operi-*

ribus, multisque aliis, quæ enumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædicationis forma præcessit; agnoscant calumniatores superfluo se objicere, quod his libris non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim Sedes quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit, Cæterum quo loco habuerint doctrinam Sancti Patris una cum Cœlestino posteriores Pontifices, demonstratum est Tomo 1. in præfatione ad librum de Electione Sanctorum.

CAPUT IV.

Demonstratur contra Semipelagianos prævenientis Gratiæ ad initium Fidei necessitas.

SUMMARIUM.

1. Ratio hujus positionis.
2. Gratia Christi ad initium fidei necessaria est.
3. & 4. Demonstratur ulteriùs.
5. 6. 7. 8. & 9. Repelluntur Objectiones.
10. Quid dicendum de bonis operibus Infidelium
11. Objectio ultima Solvitur.

1. Ratio hujus positionis.

ETsi potest quisque dogma Catholicum ex disputatis postremo capite de H. P. atque ex præcedentibus quatuor plenissime percipere, & propugnare; ne videamur tamen aut de Scholasticis dissidiis, aut de quæstionibus Critico-Historicis, quam de Polemicis ad fidem pertinentibus magis esse soliciti: volumus de Gratiæ necessitate ad initium fidei hoc loco breviter pertractare. Ita Augustinus postquam Christi gratiam necessariam esse ad quodlibet opus salutare, & non dari secundum merita nostra plurimis operibus demonstraverat; Semipelagianos fidem ab operibus distinguentes, singulari Opere de Prædestinatione Sanctorum refutavit, quasi in compendium redactis, & ad suscitatam à Massilienses quæstionem applicatis superiorum librorum argumentationibus. Ex eodem de Prædestinatione SS. libro, & ex Opere Prosperi adversus Collatorem, ubi occurrunt plura ad eliminandum Semipelagianismum perutilia, curabo præsettim totam dirimere controversiam. Pro qua sciendum est disputationem instituì de Fide; prout ad salutem æternam ordinatur, qer quam Christiani sumus, & ad justificationem disponimur: nam ad fidem humanam, quâ ab impiis, & infidelibus nemo discernitur, consensu omnium nullam gratiæ opitulationem requirit, nisi illam, qua creati sumus cum participatione rationis.

2. Gratia Christi ad initium fidei necessaria est.

PROPOSITIO. Gratia Christi ad initium fidei necessaria est.

Sacris literis, simulque Augustinianis argumentationibus primùm evincitur 1. Apost. ad Rom. XI. v. 6. ait: *Si autem gratia, jam non ex operibus*; quo testimonio probatur non dari gratiam secundum merita nostra: Atqui non receditur ab hac Pelagiana sententia, *si non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus*, ut Augustinus docet de Prædest. Sanct. cap. 2. n. 3. Igitur quod credere incipiamus pertinet ad gratiam Dei. II. Idem Apost. ad Rom. XI. v. 35. inquit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Atqui si initium fidei nostræ ex nobis est, *Initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus*, ait eodem cap. n. 4. Augustinus. Non est ergo duntaxat ex nobis initium fidei nostræ. III. Idem Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 4. n. 7. habet: *Quis enim te discernit?* At si penes nativas arbitrii vires foret virtus credendi, uti S. Pater demonstrat eodem libro cap. 3. n. 7. usque ad cap. 5. num. 10. *posset dicere homo inflatus adversus alterum, discernit me fides mea, justitia mea.* Igitur credere penes naturales arbitrii vires non est. Vide etiam de lib. arb. cap. 7. num. 15. & quæ nos disseruimus cap. præcedentis libri XII. Prop. prima. IV. Ita Apostolus loquitur ad Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo:* Ad patiendum pro Christo requiritur gratia: Pariter ergo requiritur ad credendum in Christum: nam ut S. Pater ratiocinatur ibid. cap. 2. *Utrumque ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, ut plenius, & perfectius credatis in eum, sed ut credatis.* V. Ad Corinth. 1. cap. 7. 25. de se ipso ait Paulus, *Misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis:*

Sed, ut Augustinus differit eodem loco num. 5. non dixit Apostolus *seipsum misericordiam consecutum, ut fidelior, sed ut fidelis esset.* Sciebat ergo initium fidei suæ donum esse misericorditer sibi collatum. VI. *Quis non videt prius esse cogitare, quam credere?* Inquit eodem loco Augustinus: Atqui sancta cogitatio est donum gratiæ, per Apostolum 2. ad Corinth. cap. 3. vers. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Erit ergo donum gratiæ ipsum credere. Legite etiam de Grat. & lib. arb. citato cap. 7. num. 16. VII. Oramus Deum, *ut nobis adaperiat ostium verbi sui*, cum Apostolo ad Coloss. 4. v. 3. nec orando petitur nisi quod ab ipso tribuitur. Atqui *per ostii aperitionem initium fidei audientium significavit Apostolus*, inquit Augustinus cap. 20. num. 41. Est itaque oratio nostra *apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse Donum Dei.* Hæc divinarum Scripturarum testimonia non esse accipienda de gratia ordinis naturalis demonstratum est citata prop. 1. cap. XII. præcedentis.

3. Probatur 2dò. Probatur 2. ex Conciliis. Primum ex canone 6. Arausicano non semel repetito. Deinde etiam ex Tridentino sess. 6. can. 3. & 5. de quibus eodem cap. XII.

Tertio loco demonstratur ex Patribus. Plura ex his proferunt Bellarminus lib. 6. de Gratia & lib. arbit. cap. 4. & L'Herminier Tom. 4. pag. 130. & sequentib. sed omnia fere generalia sunt, probantque necessitatem gratiæ ad initium cujusque boni operis. Semipelagianos ergo fidem ab operibus distinguentes validius impugnant sequentia. Justinus Apolog. 2. ait: *Ipse persuadet, atque ad fidem nos adducit.* Clemens Alex. lib. 2. Stromat. *Fides non est electionis bonum opus, sed assensus valido alicui præstitus.* Irenæus lib. IV. adv. Hæres. cap. 9. *Impossibile sine Deo discere Deum.* Basilius in Ps. 115. *Fides multo superior rationalibus methodis animam ad assensum trahendo. . . . Sancti Spiritus operationibus in nobis efficitur.* Greg. Nazianz. orat 42. *Possibile non est terreni corporis, ac mentis captivæ crassitiem Deum concipere, nisi auxilio confortatam.* Hæc, aliaque plura cum græce, tum latine collecta invenies apud Cl. Isaacium Habertum. lib. 1. Theologiæ Græcorum Patrum cap. 8. De S. Joanne Chrysostomo satis disputavi cap. 2. Augustini mentem scrutatus sum nuper. Martyris Cypriani sententiam demonstat idem Augustinus de Præd. SS. cap. 14. num. 28. de aliis Patribus præsertim Augustino posterioribus nemo dubius erit. Si veteres aliquando non tam aperte locuti sunt, non disputabant contra inimicos Ecclesiæ, securi loquebantur, & conciones habebant ad populum, ut persæpe monui cum ipsomet Augustino eodem cap. 14. num. 27.

4. Ac demonstratur ulteriùs. Demonstratur præterea propositio rationibus Theologicis. Quarum sit prima: Fides est justificationis nostræ principium: Justificationis principium à gratia præveniente sumendum est: Ergo à gratia præveniente efficitur ipsa fides. Et minor quidem propositio est definita canone Tridentino. Majorem probat Augustinus eodem lib. de Præd. SS. cap. 7. n. 12. ex verbis Apostoli ad Galatas 2. 16. *Nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Apostolus autem ideo dicit *ex fide justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivimus.* Probat eamdem majorem S. Pater ex Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, &c.* ex quo ita Semipelagianos comprimit: *Et dicitur à vobis, Fides est à nobis, cætera à Domino ad justitiam pertinentia: quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum.* Sit altera argumentatio: In fide nostra adimplentur promissiones factæ à Deo semini Abraham, ut docet Apostolus ad Rom. 4. 16. Si ergo initium fidei sit ex nobis, *ut Dei promissa compleantur non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ.* Ita S. Doctor cap. x. num. 19. Postrema ratio, ut ultima primis cohæreant, sit: Gratia non est merces operum naturalium: *Quis autem dicat eum, qui jam cæpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?* ait magnus Fidei athleta cap. 2. num. 4. Si initium fidei sit ex nobis; erit gratia naturalium meritorum stipendium & merces.

Objectiones dissolvuntur.

5. Objectio 1. Solvitur. Semipelagiani autem errorem suum sequentibus argumentis conabantur defendere. Objiciebant 1. apud Augustinum de Præd. SS. cap. 6. num. 11. Multi audiunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi = Resp. S. Pater: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de miseri-*

misericordia ejus, quid de judicio. Misericordia, quæ prævenit fidem, est in electione Dei, & præparatione divinorum auxiliorum. Vide quæ scribit Apostolus ad Rom. cap. XI. 19. & 20. Quærentibus autem cur uni donetur, alteri non donetur efficax auxilium ad credendum respondet eodem loco S. Pater, investigabiles esse vias Domini, & misericordiam quæ gratis liberat, & veritatem, quæ juste judicat. Atque id intelligendum est de hominibus sumptis comparative, ut explicavimus de H. P. cap. VIII.

6. Objectio 2da Solvitur. Objiciebant 2. apud eumdem August. cap. 7. n. 12. Apostolus ad Eph. 2. v. 9. distinguit fidem ab operibus. Igitur ex quo gratia ad opera bona necessaria sit, non infertur illius ad initium fidei necessitas = Resp. distinguendo antecedens: Apostolus fidem secernit ab operibus, quatenus ipsa impetrat cætera, quæ proprie nuncupantur opera, in quibus juste vivimus; concedo: quatenus ipsa fides non est opus & donum Dei merita nostra prævenies, nego antecedens. Ita Augustinus eodem loco adducens in suæ responsionis confirmationem quod scribit ibidem Apostolus v. 8. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est:* & verba Joannis cap. 6. 29. *Hoc est opus Dei ut credatis in eum, quem misit ille.* Si ergo fides est donum, & opus Dei, non distinguitur ab operibus, nisi sensu explicato.

7. Objectio 3tia Solvitur. Insuper objiciebant verba Apostoli ad Rom. x. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, salvus eris:* & quæ ibidem, atque ad Hebræos XI. proferuntur in fidei commendationem. Resp. ad 1. Sanctus Pater memorati libri cap. XI. num. 22. sic dicit, *Si credideris, salvus eris,* quemadmodum dicitur ad Romanos VIII. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Utrobique enim unum exigitur, alterum offertur. Igitur ut facta carnis mortificare donum Dei est, ita donum est confiteri & credere Dominum Jesum. Cæterum credere, mortificare opera carnis, aliaque id genus nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur; quoniam ipse facit ut faciamus, ipse prior elegit nos, ipse operatur in nobis velle & perficere, ipse denique est electorum suorum virtus, fortitudo, ac præmium. Quod de laudibus fidei dictum est, solvitur à D. Prospero cap. 16. adversus Collatorem: *Apostolus enim laudat hominum fidem; sed pro hoc bono eorum agit gratias Deo.* Videatur idem Apostolus ad Rom. I. 8.

8. Objectio 4ta Solvitur. Opponebant 4. Matthæi VII. 7. scriptum est, *Petite, & dabitur vobis: quærite: & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Ergo petere, quærere, & pulsare nostrum est: cætera Deus supererogat. = Resp. nostrum quidem esse petere, quærere, pulsare, at non sine gratia præveniente atque excitante. Nihil peti à Deo, ut oportet, sine gratia, demonstrat S. Pater de Dono Persev. cap. 23. ex orationibus Ecclesiæ, quibus Dominum obsecramus, ut faciat nos, quæ sibi sunt placita, postulare: *Quando enim,* inquit *non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis ejus ut crederent?* Ex Apostolo ad Rom. VIII. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater:* & v. 26. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* atque ex divinæ scripturæ locis consimilibus. Quibus recitatis, & expositis, *Attendant ergo,* inquit, *quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quo gratia prædicetur, merito nostro ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Addit præclarum Ambrosii testimonium, aliaque plura. Atque dicta modo de petitionibus, de quolibet bonæ voluntatis motu, vel opere ad justificationem spectante constanter teneto.

9. Objectio 5ta Solvitur. Quinto objiciebant nonnulla Scripturarum sanctarum exempla. Primum est Davidis, cujus voluntas ædificandi templum bona erat, & commendatur 3. Regum cap. 8. 18. nec tamen erat à Domino, qui elegit filium ejus ut illud ædificaret nomini Dei Israël. Potest ergo similiter esse à nobis sine Deo bona voluntas credendi, quæ bona sit & benemerens. Alterum exemplum est Cornelii, cujus orationes & eleemosynæ promeruerunt, ut per Apostolum Petrum instrueretur in fide, quemadmodum fuse narratur in x. cap. Actuum Apostolorum. Tertium est Zachæi, qui dum quærebat videre Jesum, & ascenderat hac de causa in arborem ficus, dicam Arabice *Giumum,* Syriace *ficum sylvestrem,* à Dioscoride *Sycaminum,* ab Evangelista Συκόμορον, *Sycomorum;* audire meruit Lucæ 19. 5. *Hodie in domo tua oportet me manere.* Quartum est Nathanaelis, quem Jesus vocavit ad fidem, quoniam verus erat Israëlita,

Israelitâ, neque dolus erat in illo, ut habetur Joan. 1. 47. Ultimum est Latronis, qui conversus ad Jesum meruit audire, *Hodie mecum eris in paradiso*: Lucæ XXIII. 43.

Generalis responsio est hæc omnia *agere gratiam Salvatoris*, ut inquit S. Prosper contra Collat. cap. 8. n. 22. Deinde expendamus singula. Non sequitur voluntatem ædificandi templum in Davide minime fuisse à gratia, propterea quod Deus elegerat ad opus istud Salomonem. Patri enim dederat Deus bonam voluntatem, filio concessit etiam operis complementum: cumque ille operetur in nobis velle, & perficere pro suo beneplacito, uni gratiam inspirat ut velit, alteri etiam largitur ut faciat. S. Prosper citato libro cap. 12. n. 35. id duplici exemplo confirmat. Primum est Apostolorum, qui utique bonam voluntatem prædicandi Evangelium *ex Deo habebant;* & tamen cum tentarent ire in Bithyniam, Act. 16. 7. *non permisit Spiritus Jesu.* Alterum est quotidianum in Ecclesia, quæ orat pro inimicis suis, id est, infidelibus, etsi horum plures Deus nequaquam elegerit. Atque id, inquit Prosper, Ecclesia *numquid non ex spiritu Dei facit*? Paullo supra causam reddiderat, cur Deus noluerit templum ædificari à Davide, cui bonam voluntatem fuerat elargitus: nempe ob typum ac significationem mysterii. Præfigurabat enim Salomon Christum Dominum, à quo Ecclesia, cujus templum figura est, fuerat construenda: atque ita sane, ut nullus alius poneret ædificii fundamentum, id est, initium fidei; sed esset Christus lapis angularis, & cœlestis Jerusalem ædificator. Quantum ad Cornelium pertinet: respondet S. Pater de Præd. SS. cap. 7. ejus orationes & eleemosynas Deo fuisse utique acceptas, antequam credidisset in Christum: *Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat*? Deerat itaque ei fides explicita in Christum; credebat tamen in Deum, nec sine gratia Reparatoris. De Zachæo ita S. Prosper cap. 7. num. 19. *Ne lateret causa hujus salutis, adjecit, Venit enim filius hominis salvum facere, & quærere quod perierat: ut quem agnoscebamus salvum factum, sciremus à quærente præventum.* Sequitur eodem loco de conversione latronis: *In latronis quoque justificatione, etiamsi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia; nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum, dicente Domino, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &, Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum*? *Inter omnia autem hunc vel traditum esse, vel tractum, etiam ipsius confessio docet. Qui cum aliquandiu blasphemasset in Jesum Christum, repente est mutatus, & dixit, Domine, &c.* De Nathanaele legimus ibidem dixisse Christum v. 48. *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, novi te. Quæ Domini visio*, inquit D. Bern. in Cantica, *nunquid gratiæ præparatio non fuit*? Itaque *manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.* Ita Synodus II. Arausic. Canone 25.

10. Quid dicendum de bonis operibus infidelium.

Si quæras quomodo Cornelius, & infideles alii antequam converterentur ad Christum aliquod bonum opus facere potuerint virtute gratiæ, cum primus gratiæ effectus sit ipsa fides; respondeo quod in ipsa fide primum considerari potest sancta cogitatio & collustratio mentis, deinde inspiratio sanctæ voluntatis audiendi Evangelium ex desiderio salutis æternæ; ulterius deliberatus assensus, sive actus ipse credendi. Fides ergo dicitur primus effectus gratiæ, non quantum ad assensum, sed quantum ad præcedentem illustrationem, atque inspirationem. Imo ante explicatam fidem in Christum, potest per gratiam excitari in nobis fides in Deum, & sancta cogitatio, quæ sufficiat ad referenda opera nostra in ipsum Deum, ita ut plura infidelium opera bona sint, in illorum quoque sententia, qui ad omne opus bonum cum gratiam, tum relationem in Deum existimant necessariam.

11. Objicitur ultimo.

Denique objiciebant Semipelagiani testimonia quædam Sanctorum ac in primis ipsius Augustini; qui Epist. 102. quæst. 2. num. 14. scripsit, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Sed respondet S. Pater de Prædest. SS. cap. 14. num. 18. se hæc dixisse sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum. *Quid enim est verius*, inquit, *quam*

quam præscisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerunt in ipso ante mundi constitutionem. Hæc omnia Augustinus & Prosper adversus capitale dogma Semipelagianorum. De speciali dono perseverantiæ disputabitur libro XVIII.

CAPUT V.

Quæritur an Semipelagiani gratiam aliquam interiorem ad initium fidei agnoverint necessariam?

SUMMARIUM.

1. Opiniones Doctorum.
2. Semipelagiani admittunt gratiam aliquam indifferentem.
3. Probatur ulterius.
4. Semipelagiani non admittunt gratiam Victricem.
5. Refutatur Jansenius.
6. Semipelagiani ad initium fidei admittunt gratiam illuminationis.
7. Quæ tamen non addit inspirationem Dilectionis.
8. Quod confirmatur ulterius.
9. Ex his deducitur Conclusio.

1. Opiniones Doctorum.

JANSENIUS lib. 8. de H. P. cap. 6. asserit Massilienses etiam ad initium fidei veram aliquam interiorem gratiam admisisse, & in hoc proprie illorum situm fuisse errorem, quoniam vellent usum & abusum ipsius gratiæ relinqui in liberi arbitrii potestate. Joan. Baptista Gonet eruditus Thomista disp. 2. de Grat. cap. 3. aliam à Jansenii sententia putat eorum, qui docent inter Semipelagianos aliquos omnem prorsus gratiam ab initio fidei, & meriti removisse, alios talem admisisse, quæ cum esset pure indifferens, & liberi arbitrii determinationem non efficeret, sed expectaret, locum aliquem naturali merito relinqueret: quod docet Franciscus Macedo in *mente divinitus inspirata*, art. 5. & defendit satis erudite ipse Gonet. Hæc sententia quatenus ponit discrimen inter Semipelagianos, nullatenus differt à sententia Jansenii; nam Jansenius lib. 7. cap. 2. idem tradit; imo profitetur se controversiam non movere de primis Semipelagianis, qui omnem gratiam ad initium fidei & bonæ voluntatis penitus respuebant, quibus accenset Faustum & Cassianum; sed de alia factione, eorum scilicet, quos contendit gratiam Christi non prædeterminantem admisisse, & in hoc illorum consistere errorem. Quare Gonet recurrendo ad duplicem sectam Semipelagianam non recte difficultatem assequitur, neque hac ratione videtur oppositis argumentis satisfacere. Et multo minus impugnari potest Jansenius testimoniis Cassiani, aut aliorum de prima Semipelagianorum factione, ut facit Antonius Boucat dissert. Præamb. de Grat. artic. 3. Nam Jansenius ultro fatetur Cassianum ad initium fidei nullam veram gratiam reapse admisisse. Discrepat tamen alio ex capite Goneti sententia ab opinione Jansenii, quod is hæresim Semipelagianam constituit in indifferentia ac potestate liberi arbitrii utendi & abutendi gratiæ adjutorio pugnans pro necessitate gratiæ inferentis necessitatem. A quo pravo dogmate cum Gonetus & Macedo sint alieni, habent sibi consentientes ex Thomistis, atque Nostratibus satis multos, inter quos Auctor Scholæ Thomisticæ vindicatæ animad. 26. connumerat Salmanticenses, Contensonium, Piccinardum, & alios. Fulgentius Bellelli parum ab his discrepat contendens Semipelagianos non denegasse ad initium fidei gratiam Conditoris, sive Adjutorium collatum Adæ, sed gratiam Redemptoris tantummodo. Ex adverso nullam veram gratiam prævenientem ad initia fidei admissam à Semipelagianis defendunt qui gratiam per se efficacem rejiciunt, ut faciunt Mediste omnes. Item aliqui hujus gratiæ propugnatores, ut noster Basilius Poncius Relect. de Grat. necessitate p. 1. c. 4. memoratus Boucat,

& L'Herminier Tom. IV. pag. 102. quidam alii, quorum circa efficaciam gratiæ sententia perplexa est, & ambigua, ut Honoratus Tournely lib. I. de Gratia pag. 92. Videamus, quæ singulos moveant, tum inde judicium nostrum nec perverse, nec acerbe dicturi.

2. Semipelagiani admittunt gratiam aliquam indifferentem.

Semipelagianos gratiam aliquam indifferentem ad fidei initia non denegasse pluribus argumentis posset monstrari. I. S. Prosper in Epist. ad Augustinum num. 4. ita de quibusdam Semipelagianis scribit: *Quidam vero horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita cogantur, ne si meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii & rationalis gratia Creatoris instituat; ut per discretionem boni & mali ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur pervenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Ubi videtur Prosper hos Semipelagianos redarguere, quod nullam gratiam admiserint, præter gratiam Conditoris homini primo collatam. Neque enim dici potest per solam gratiam initialem intelligi hoc loco nudam facultatem arbitrii, quia hanc non denegabant nec rigidiores illi Semipelagiani num. 3. descripti. II. Prosper paucis interjectis omnem dirimit controversiam, scribens admisisse quidem gratiam aliquo sensu prævenientem, sed quæ subderetur hominum voluntati: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* III. Sunt his etiam clariora verba Hilarii scribentis: *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* IV. Idem fatetur Augustinus de Prædest. SS. cap. 1. *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* V. Semipelagiani non solum negabant esse donum Dei initium fidei, sed etiam finalem perseverantiam: at ad finalem perseverantiam non denegabant necessitatem gratiæ indifferenter præmoventis. Ergo neque eam negabant ad initia sanctæ *credulitatis.* VI. Ut constat ex Epist. Hilarii num. 6. Semipelagiani molestè ferebant discrimen traditum ab Augustino inter gratiam collatam Adæ, sine qua per liberum arbitrium perseverare non poterat, & gratiam nunc prædestinatis præparatam, qua perseverantia ipsa donatur: & in hoc solo volebant à primo homine omnium distare naturam, *ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat; hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Si ergo Massilienses non denegebant in Adam adjutorium *sine quo* ad omnia opera salutaria, neque illud negabant in hominibus lapsis ad fidem. VII. Auctore eodem Hilario num. 4. asserebant Semipelagiani non valere de fide argumentum Augustini petitum ex verbis Apostoli, *Quid autem habes, quod non accepisti?* & rationem hanc afferebant, *cum in eadem natura remanserit, licet vitiata, qua prius sana ac perfecta donata sit.* Abominabantur tamen & damnabant, si quis existimaret, *quicquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi possit.* Fatebantur ergo in homine lapso virtutem credendi, ut in homine primo potestatem qualecunque bonum opus perficiendi. Atqui in homine primo nequaquam denegabant ad perfectionem, & consummationem bonorum operum adjutorium sine quo, sive gratiam pedisequam, & versatilem. Ergo neque hujus adjutorii necessitatem inficiabantur ad fidem habendam. VIII. Illam prædestinationem & gratiam Semipelagiani negabant, ex qua putabant induci fatalem necessitatem, removeri virtutes, & lapsis curam adimi respiscentiæ, afferri sanctis occasionem torporis: hæc autem non arbitrati sunt consequi aut ex prædestinatione, quæ pendeat à præscientia meritorum, aut ex gratia Molinistice sufficiente, & quæ sit ad nutum voluntatis suspensa. Negabant ergo solam gratiam per se efficacem, & prædestinationem secundum propositum. IX. Nullibi legimus Augustinum adversus Semipelagianos argumentatum fuisse ab improportione, quæ intercedit inter gratiam ordinis naturalis, & actus supernatu-

turales. Quod sane argumenti genus obvium erat, atque palmare, si ad initia supernaturalium operum nullam aliam Semipelagiani gratiam requirebant, quam naturalem. Igitur præter naturalem gratiam, dicendi sunt aliquam supernaturalem probasse. Hæc sunt pro una parte argumentationes præcipuæ.

3. Probatur ulterius.

Pro alia autem parte stant, quæ sequuntur. I. Initialis gratia, quam fatebantur Semipelagiani non alia est, quam naturalis facultas pertinens ad conditionem naturæ. Non ergo est gratia supernaturalis indifferens. Antecedens demonstratur ex verbis Prosperi n. 3. prolatis præcedenti paragrapho argumentatione 1. *Quidam vero, &c.* II. Affirmat idem Prosper, hanc fuisse Semipelagianorum assertionem, *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Ita in eadem Epist. num. 5. Constituebant ergo aliquod fidei meritum ante supernaturalis gratiæ auxilium. III. Ex eodem Prospero paullo infra volebant *obedientiam priorem esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Ergo initium salutis in naturali potestate, & obedientia arbitrii gratiam præcedente constituebant. IV. S. Pater Augustinus de Præd. Sanctorum cap. 3. confitetur, se ante Episcopatum laborasse eodem cum Semipelagianis errore; putabat enim, *Fidem, qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo.* En expresse Semipelagianum errorem in eo situm, quod fides dona supernaturalium gratiarum præcedat. V. Bonifacius secundus Papa in Epist. ad S. Cæsarium Arelatensem data ineunte anno 530. ita de Semipelagianis loquitur. *Indicas, quod aliqui Episcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Christum credimus, naturæ esse velint, non gratiæ.* VI. Impugnans Augustinus Semipelagianos à cap. 2. de Prædest. SS. usque ad libri postremum probat eos non recedere à damnato dogmate Pelagiano: *Gratia secundum merita nostra datur*, quoniam aliquid præcederet ex hominibus propter quod gratiam consequantur, *Si non pertinet* (inquit) *ad Dei gratiam, quod credere cœpimus.* Igitur Semipelagiani eatenus ad Pelagianismum declinabant, quatenus ante largitionem gratiarum locabant in nuda potestate arbitrii initia fidei. VII. Secunda Arausicana Synodus canone 5. & 7. definit initium fidei non esse in nobis *naturaliter, & per naturæ vigorem.* Igitur Semipelagiani quos canones illi perstringunt, putabant primordia fidei ex vigore, & nativa facultate arbitrii prodire. VIII. Damnata est ab Innoc. X. & Alex. VII. quarta propositio Jansenii: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei; Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere & obtemperare.* Quamquam vero hæc propositio in postrema parte hæretica sit, collineatque scopo Jansenii propugnantis gratiam, qua evertitur libertas indifferentiæ; nihilo tamen minus, cum simul declarata sit & hæretica & falsa, non solum videtur damnata quantum ad dogma expressum secunda parte, verum etiam quantum ad doctrinam Semipelagianam delineatam in prima. IX. Tandem, ut pares sint numero pro utraque parte rationes, ex quo nullibi Augustinus Semipelagianos revincat quod gratiam denegarent ad operum bonorum consummationem, eamque illi palam faterentur, consequens est, ut ad bene operandum admiserint veram gratiam, non tamen efficacem & adjutorium *quo*, manifeste ab illis repudiatum. Igitur ex quo Augustinus ubique Semipelagianos exagitaverit, quod ad initium fidei gratiam negarent, & hanc ipsi faterentur esse in nobis ex nobis, infertur ex oppositio ad initium fidei non admisisse gratiam indifferentem, nec adjutorium sine *quo*, necessarium juxta Semipelagianos ad opera perficienda.

4. Semipelagiani non admittunt gratiam victricem.

In tanta opinionum diversitate orta ex argumentis partim verosimilibus, partim non recte ponderatis; principio indubitatum est displicuisse Semipelagianis gratiam victricem, & prædestinationem, sive discretionem electorum secundum Dei propositum, & absque operum præscientia. Quod liquet primo ex Epistola Prosp. num. 3. ubi dicuntur Semipelagiani asperrimam putasse Augustini doctrinam, objicientes, *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem*

talem quandam induci necessitatem. Confirmatur ex Hilario scribente, quod molestè ferebant, *ita dividi gratiam, quæ vel primo homini data est, vel nunc omnibus detur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret, ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vere sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Idem demonstratur, quod nollent gratiam sibi subjicere voluntatem, nec præviam esse humanorum meritorum, sed comitem, ut satis apparet ex dictis. Quare argumenta Prosperi, & Augustini non solum probant ad initium fidei necessitatem gratiæ sufficientis, sed etiam necessitatem gratiæ efficacis, quæ suum consummat opus, quæ nulla ancipiti causa suspenditur, quæ discernit unum ab altero, quæ facit ut faciamus: ut constat ex præcedenti capite, & IX. de H. Pelagiana.

5. Refutatur Jansenius.

Deinde affirmo, fallaciter Jansenium duas ex Epistola Prosperi distinguere Sectas Semipelagianorum, quorum alii nullam veram gratiam admitterent, reliqui prævenientem faterentur, sed pedisequam, atque à voluntatis nutu pendentem. Etenim Prosper num. 3. narrat Semipelagianos aliquos reprobasse Augustini dogmata circa prædestinationem & gratiam, & defendisse obstinationem suam vetustate, id est antiquorum Patrum subobscuris expositionibus: sed interpellati ut sua exponerent sensa, respondebant *se nihil invenisse quod placeret, & de his tacendum esse, quorum altitudinem nullus attigerit.* Addit eo pervenisse pervicaciæ, ut definirent fidem nostram ædificationi audientium esse contrariam, *ac sic etiamsi vera sit, non promendam.* En tibi primam Semipelagianorum factionem non ambiguis interpretamentis, sed verbis Prosperi delineatam. Alii etiam manifestius ad Pelagianas semitas declinantes, non occultabant sensa sua; sed fidem distinguentes ab operibus asserebant ad initium fidei sufficere naturalem facultatem, & initialem gratiam pertinentem ad conditionem rationalis creaturæ, quæ gratia est, quatenus Deus instituit hominem capacem discretionis boni & mali, nihil merentem, quia non existentem: autumantes initia fidei, & voluntatem credendi non excludere gratiam ad bona opera necessariam, propterea quod putabant adnumerandum non esse alicui operi curationis unumquemque ægrotum velle sanari. Atque ita secundum suam phantasiam constituebant gratiam subditam voluntati, etsi voluntatem à gratia illa initiali fatebantur esse præventam. Hæc iisdem fere verbis S. Prosper num. 4. ab ea Periodo, *Quidam vero*, recitata superius. Conveniebant itaque Semipelagiani omnes in rejicienda sententia S. Augustini: discrepabant, quod alii non declinabant à semitis Pelagianis circa fidei initia; alii nec gratiam prævenientem, quæ ad fidem requiritur expressis verbis admittebant, nec respuebant, rati ad fidelium ædificationem nec veritatem esse promendam. Eapropter Augustinus contra Semipelagianos duos edidit libros; unum de Prædestinatione Sanctorum ad probandam gratiæ necessitatem ad fidem: alterum de Dono perseverantiæ ad demonstrandum hanc esse donum Dei speciale, & à se traditam prædestinationem populis prædicandam. In una Semipelagianorum factione erat Cassianus; qui Collat. XIII. cap. 11. nititur demonstrare nostrum non esse bonæ voluntatis principium exemplo Pauli & Matthæi, & statim docet oppositum exemplo Zachæi, & Latronis, inferens neutrum dicendum esse, neque nostrum esse principium fidei, neque semper Dei gratia nobis fidei principia inspirari. Quamobrem S. Prosper cap. v. contra Collatorem num. 13. *Ponis plurima testimonia* (inquit) *quibus nunc validum, nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur, quasi quidam sint qui propriis viribus impleant, quod alii facere nisi Deo adjuvante non possunt.* Ubi etiam advertendum est Semipelagianos sibi contradicere, & nunc videri Catholicos, nunc Pelagianos, ut observat ibidem beatus Prosper.

6. Semipelagiani ad initium fidei admittunt gratiam illuminationis.

Præterea indubitatum est Semipelagianos omnes etiam ad initium fidei admisisse gratiam illuminationis, etiam interioris. Primo quia S. Prosper in Epist. ad August. ait, quod hæc ipsorum definitio, & professio est, *omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri.* Qui ergo Evangelium non audierunt, admoneri debent occulta alia revelatione. Ad hæc: etiam Augustinus, cum similiter ante Episcopatum erraret, profitetur etiam tunc existimasse neminem posse credere, *si non præcederet præconium veritatis.* Insuper ut argu-

argumentatur Petavius de H. Pelag. cap. IX. num. 2. 3. ac 12. si gratiam internæ illustrationis Semipelagiani denegassent, fuissent deteriores Pelagianis, qui tandem gratiam hanc agnoverunt. Tandem etiam Theophilus Raynaudus in Proloquio ad Valerianum ait quosdam affinxisse Semipelagianis, quod internæ revelationis ademerint auxilia. Legatur citato loco Petavius.

7. Quæ tamen non addit inspirationem Dilectionis.

Asserendum postremo est, Semipelagianos ad initium fidei non admisisse gratiam, quæ ad illuminationem mentis addit inspirationem dilectionis per submministrationem Spiritus Sancti. Quod primum demonstro ex Epistola Hilarii n. 3. ubi ait, Semipelagianos probasse sententiam Augustini in Expositione quarumdam Propositionum ex Epist. ad Rom. retractatam tamen lib. 1. Retract. cap. 22. n. 3. Ea sententia est: *Sed quoniam Spiritus Sanctus non datur, nisi credentibus; non quidem Deus eligit opera, quæ ipse largitur, cum dat Spiritum Sanctum, ut per charitatem bona operemur: sed tamen eligit fidem, quia nisi quisque credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum Sanctum, per quem infusa charitate bonum possit operari. Non ergo eligit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est: sed fidem eligit in præscientia, ut quem crediturum esse præsciverit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur, &c.* Audis, ut arbitror, Semipelagianos negantes ad initium fidei illam gratiam quæ datur per submministrationem Spiritus Sancti, sive gratiam inspirantem voluntatem bonam, & dilectionem, & illam eamdem gratiam, quam ad bona opera credentium, atque ad vitæ æternæ consecutionem fatebantur necessariam: de qua gratia disputatum est de H. P. cap. v. Prop. 3. & cap. VII. cumulatius. II. S. Pater in 3. cap. de Præd. Sanct. castigans quæ in memorata Expositione non satis exacte tradiderat, simulque commonstrans, quomodo fides sit donum Dei: *Proinde quod continuo dixi* (inquit) *Dicit enim Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus, nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus, ac deinde subjunxi, Quod enim credimus nostrum est, quod autem operamur bonum, illius est, qui credentibus dat Spiritum Sanctum: profecto non dicerem, nisi jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & charitatis:* & paucis interjectis, *Quod paullo post dixi, Nostrum est enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem, sed eadem regula: & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum est, quia non fit nisi volentibus nobis.* En ergo quod negabant Semipelagiani; ad initium fidei necessariam esse gratiam sanctæ delectationis, gratiam quæ est charitas, gratiam quæ præparat voluntatem. III. Si admisissent Semipelagiani internam gratiam sanctæ delectationis etiam non victricis & prædeterminantis, sed parvam, & ab arbitrio pendulam, qualem fatebantur necessariam ad bona opera, quibus vita apprehenditur sempiterna; non recte illos confutasset in Carmine de Ingratis S. Prosper. Is enim cap. XIX. Semipelagianos redarguit, quod admitterent tantummodo gratiam proponentem nobis objectum, nullum tamen motum animi excitantem, nisi metaphorice, quomodo consurgit amor vel odium, dum videmus res delectabiles, aut horribiles:

> . . . . . *veluti cum voce loquentis,*
> *Aut rerum actarum specie, quas vidimus, aut quas*
> *Legimus, exoritur secreta cordis in aula*
> *Nunc amor, aut odium, nunc spes, motus, ira, dolorque;*
> *Nec tamen hos motus scriptor, narrator, & actor*
> *Insevere animo,* (*quamvis hoc quoque vellent:*)
> *Sed de perceptis mens judex sponte movetur.*

8. Quod confirmatur ulteriùs.

Si autem Semipelagiani admisissent gratiam physice excitantem in animo bonam voluntatem, & non solum illustrantem, verum etiam motus sanctæ delectationis inspirantem, quomodo Prosper hæc jure proferret? Rursus quomodo posset sequenti capite XX. illos reprehendere, quod denegarent gratiam pervadentem sensa animi, & faterentur solam verbi ministram, admonentem atque clamantem?

> *Nec quod solo potest, cura officioque ministri*
> *Exequitur, famulisque vicem committit agendi:*
> *Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,*
> *Pulsant, non intrant animas.*

Insuper quomodo cap. XXIX. assereret

inter gratiam admissam à Semipelagianis ad initium fidei, & inter legem atque doctrinam nullum omnino esse discrimen?

Dicite plectentes apices, mortisque ministros
Hoc explesse operis, quod gratia vivificatrix.

Certe si Semipelagiani admisissent internam gratiam inspirationis; non denegassent gratiam inferentem animis motum, non denegassent gratiam intrantem animas, non denegassent gratiam à lege atque doctrina diversam: quod arbitror singulis manifestum. IV. Postremo tandem decreta Semipelagianorum sunt ea, quæ proscripsit Arausicana secunda Synodus: Hæc declaravit repugnare Apostolicis dogmatibus initium fidei inesse nobis naturaliter, neque ad credendum prærequiri gratiam sanctæ inspirationis: Ergo Semipelagiani definiebant fidei initia esse naturaliter à nobis, neque ad voluntatem credendi talem gratiam requiri. *Si quis* (inquit canon v. Arausic.) *sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Et can. 7. definit ad fidem necessariam esse *inspirationem Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati.*

9. **Ex his deducitur conclusio.**

Ex hac sententia nostra sequitur vera esse plura prioris partis argumenta. Verum est Semipelagianos repudiasse speciale donum finalis perseverantiæ, & discrimen inter adjutorium *quo*, & adjutorium *sine quo*: refutasse consequenter gratiam per se efficacem, & inspirationem bonæ voluntatis ad fidei initia. Verum quoque est admisisse voluntates nostras præveniri à gratia, quoniam asserebant prævenire in ordine ad omnia opera curationis, inter quæ opinabantur non esse adnumerandum velle ægrotum sanari. Ad hanc etiam voluntatem admittebant initialem aliquam gratiam, id est, facultatem discernendi inter bonum & malum, institutiones & illustrationes animorum, & in vocatorum portione, ut in Paulo & Matthæo, etiam bonæ voluntatis inspirationem. Inter Adamum autem, & lapsos homines hoc statuebant discrimen, quod ille integris viribus volebat, & volentem gratia juvabat; atque hi credunt tantum, & habent naturaliter credulitatis affectum, sed ob vires deperditas eorum voluntas ad recte ambulandum erigenda est per gratiam inspirationis. Proinde in homine primo nullam admittebant gratiam voluntatis neque ad fidem, neque ad perseverantiam, sed gratiam homini opitulantem, si vellet perseverare; in hominibus reliquis negabant gratiam voluntatis ut crederent, admittebant gratiam voluntatis, ut possent operari, & vitam consequi sempiternam. Neque Augustinus argumentari debebat ab improportione inter potentiam naturalem & actus supernaturales: nam si actum supernaturalem appellas fidem: negabant Semipelagiani supernaturalem esse, affirmantes nobis inesse naturaliter. Si actus supernaturales dixeris opera bona præter fidem; ad hæc fatebantur gratiam prævenire hominum voluntates. Sequebatur tamen ex pravo ipsorum dogmate gratiam dari secundum merita, quoniam prior in eorum sensu est fides, deinde gratia. Qua in re, ut diximus capite præcedenti, ab Augustino pluribus rationibus refelluntur. Argumenta autem secundæ sententiæ duntaxat efficiunt Semipelagianos ad initium fidei non admisisse veram gratiam Christi, quæ per nos est charitas actualis, & consistit in inspiratione sanctæ dilectionis. Merito ergo damnata est quarta Janseniana propositio & tanquam falsa, & tanquam hæretica: tanquam falsa, quia Semipelagiani ad initium fidei non admiserunt gratiæ interioris prævenientis necessitatem, si non admiserunt gratiam sanctæ dilectionis: tanquam hæretica, quia posse gratiæ prævenienti obsistere vel obtemperare dogma catholicum est, non hæresis Semipelagiana; de qua sit hujus dissertationis terminus, *ne offendat unius nimia longitudo.* His verbis Augustinus librum de Prædest. SS. contra Semipelagianos absolvit.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER SEXTUS DECIMUS

PERTRACTANS

De libero voluntatis arbitrio adversus Lutheranam, & Calvinianam hæresim.

Ratio Ordinis.

BENE ac sapienter asseruit Augustinus difficiles esse motas circa Dei Gratiam & liberum voluntatis arbitrium quæstiones, eoquod cum horum unum defenditur, videatur alterum denegari. Et quidem Pelagius, Cœlestius, & qui hæresim horum expressam nomine vel propugnarunt, vel damnatam jam à plenariis Africæ Synodis, & Rescriptis Pontificum Romanorum, saltem ex parte instaurare tentarunt, ideo divinorum decretorum, auxiliorumque prævenientium necessitatem oppugnarunt, quod putarent illis everti acceptam beneficio Conditoris libertatem. Econtra gratiam, divinasque præfinitiones nonnulli tanto rigore & sacrilegio asserere non dubitarunt, ut aperte liberum arbitrium aut penitus extinctum Adæ peccato, aut indeclinabili necessitate ad bonum & malum impelli, autumaverint. Ausi sunt tantum facinus, post veteres Fati assertores, duo illa Novatorum Capita, Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus, ac postremo parum ab his discrepans Cornelius Jansenius. Repulsis itaque Inimicis Gratiæ Dei, hostes libertatis divino implorato auxilio aggredimur oppugnandos.

CAPUT I.

Perversa Lutheranorum, & Calvinistarum dogmata circa gratiam, & libertatem.

SUMMARIUM.

1. Opiniones Hæreticorum de libertate.
2. Vita, & errores Lutheri.
3. Lutherus non infert maculam Ordini S. Augustini.
4. Vita Calvini.
5. Illius error de libertate.

I. Opiniones Hæreticorum de libertate.

DIXI superioribus libris de Oppugnatoribus Gratiæ Pelagianis, & Pelagianorum Reliquiis: nunc de Novatoribus, qui bellum intentarunt libero arbitrio, Luthero præsertim, & Calvino, habendus est sermo. Fuerunt quidem alii, atque ut opinor ab origine Idololatriæ, fatalis necessitatis asserto-

res,

res, tum Philosophi, cum Hæretici; & inter hos Manichæi, genus hominum perditissimum, qui ex duobus coæternis principiis uno bono, altero malo duas in homine statuebant naturas, substantialiter bonam neque liberam ad peccandum, & substantialiter malam, carnalia concupiscentem, & ex necessitate determinatam ad malum. Quorum & originem, & falsitatem doctrinæ variis in locis insectati sumus: nec aliud addendum modo est, nisi Manichæorum quoque damnabilem & nefandæ impietatis errorem convenire cum Pelagianis in denegando originali peccato, & in asserenda hominum impeccantia; licet quod Pelagiani tribuebant arbitrio, Manichæi adscriberent determinationi naturæ. Pari jure ut hi arbitrii libertatem tollebant eam deprimentes, & subjicientes necessitati, ita Pelagiani liberum arbitrium destruebant quodammodo, eo malè abutentes adversus beneficium largitoris, uti scribit Hieronymus ad Ctesiphontem. Sano ergo consilio Augustinus utriusque hæresis debellator, impugnans Manichæos deprædicat libertatis indifferentiam; exagitans Pelagianos commendat gratiam trahentem hominum voluntates; nobisque sternit regiam viam, ne declinemus ad dexteram, neque ad sinistram.

2. Vita, & errores Lutheri.

Declinavit, atque in præcipitium ruit Apostata Augustinensis Congregationis Saxoniæ Martinus Luther natus Islebii in Comitatu Mansfeldensi anno 1483. die x. Novemb. Patre Joanne, Matre Margarita Lindemanna, infaustis auspiciis, ut narrat lib. 1. de Origine hæresum Floremundus. Deterritus fulmine Monachum induit in Cœnobio Erfordiensi anno 1504. ætatis suæ primo ac vicesimo. Profectus est studiorum causa Wittembergam anno 1508. ibique post actus Academicos lauream Doctoratus obtinuit an. 1513. Sedente Leone X. ex Medicea Familia assumpto cœpit primum contra Indulgentias debacchari, quas Summus Pontifex concesserat prædicatione Crucis adversus Selimum Turcarum tyrannum. Aggressus est facinus anno 1517. renuente Staupitio Saxonicæ Congregationis Antistite. Hinc in alia errorum portenta prolapsus est, maxime circa justificationem, & efficaciam Sacramentorum, omnia locis suis refellenda. Anno 1518. audacter ad generale Concilium provocavit; & proximo anno 1519. famosam habuit Lipsiæ cum Eckio disputationum de Romanæ Ecclesiæ primatu. Damnatis à Leone anno 1520. Lutheranis articulis XLI. movit omnem lapidem, ut Ecclesiam vastaret, editis voluminibus pluribus arrogantiâ & errore plenissimis. Cæteris missis, quæ ad præsens institutum non pertinent, docuit liberum arbitrium post Adæ peccatum fuisse in hominibus extinctum, vel amissum, ita ut manserit res de solo titulo, vel titulus sine re. Ita in Assert. articulorum suorum ad Leonem X. art. 36. in libro de servo arbitrio, & Operatione in Psalmum 5. Addit nec per gratiam posse hominem lapsum divina servare præcepta & Deum præcipere nobis impossibilia, acsi mandaret nobis, inquit Philippus Melanchthon ad cap. 13. Ep. ad Rom. transvolare Caucasum. Est blasphema illa assertio Lutheri in Responsione ad Dialogum Sylvestri, & in Confutatione Rationis Latomianæ. Excusso religionis & fidei jugo an. 1525. uxorem duxit, eripuitque Christo Catharinam de Borè nuncupatam. Decessit tandem Islebii anno 1546. compluribus accitis discipulis, qui variis Hæreticorum sectis formam nomenque dederunt.

3. Lutherus non infert maculam Ordini S. Augustini.

Molestè ne ferant sodales me professionem Lutheri commemorasse, quam occultare non possumus undique Historicis conclamantibus. His accommodavi aures, illatas, non quidem ab illis, sed ab imperitorum plebe, sanctissimæ matri nostræ injurias vindicaturus. Primum enim ad hujus familiam Hæresiarcha ille non spectat; nam ut viro cuidam respondit Cardinalis Aegidius Viterbiensis verbis Joannis Apostoli 1. Epist. cap. 2. v. 19. *Si fuissèt ex nobis, permansissèt utique nobiscum.* Deinde quænam est in Christiano Orbe ampla & perantiqua Religiosorum familia, ex qua nulli prodierint Hæretici, & Apostatæ? Novimus, etsi ignorantibus nolumus id aperire, unde exierint hæretici alii, etiam Novatorum capita, & ipsius Lutheranæ factionis ministri. Nec tamen celeberrimis, sanctissimisque Ordinibus profugæ maculam intulere: & si visum aliter obtrectatoribus, eam eluere ac tergere studuerunt viri Ecclesiasticis honoribus, sanctitate, & sapientia clarissimi: qui neque erumpente Hæresi Lutherana in Augustiniano Ordine defuere. Floruit tunc Cardinalis Aegidius Leoni X. acceptissimus, eximius Theologus, nec Latini sermonis elegantiâ impar Erasmo, Bembo, Sadoleto, Longolio, qui cum Cicerone, Livio, & Terentio familiarissime versabantur. Testantur viri merita ejusdem Leonis Epistolæ conscriptæ aureâ Bembi latinitate. Præfuit Tridentino Concilio Hieronymus Seripandus Historicorum omnium lau-

laude celebratissimus. Vixit eodem tempore Sanctus Thomas Archiepiscopus Valentinus pater pauperum, Episcoporum exemplar ac Religionis zelantissimus propagator. Animadvertit in Lutherum, ut primum adversus Indulgentias disputavit, Capitulum Congregationis Saxonæ Heidelbergense; & primus omnium confutavit dogmata Lutherana Ambrosius Flandinus Neapolitanus. Pluribus annis adversus eadem scriptis, verbisque pugnavit Joannes Hoffmeisterus, Anti-Lutherus propterea dictus; quem pro fide Catholica strenue decertantem, & jam decem annorum glorioso certamine triumphos agentem evectus ad Generalatum Seripandus his verbis per Epistolam est allocutus: *Induere ex alto fortitudine, & ut feciſti hactenus, præliare prælia Domini; ut te Auctore revivisçat apud Rhenum & omnem Sueviam Augustini nomen: cujus inimici, qui & iidem Christi sunt inimici, dissipentur.* At horum duntaxat meminisse satis est. Addo Congregationem illam Germaniæ, in qua Lutherus cucullum induit, jam ab anno 1497. fuisse à Jurisdictione nostri Generalis exemptam: quamquam nec Schismatica erat, ut scribit Remundus; nec Luthero annuit Joannes Staupitz, ut narrat Pallavicinus. Vide quæ de illo profert, stylo licet duriusculo, in sua dissertatione Gandulphus. Si tamen Germana illa Congregatio nequaquam esset à Corpore Ordinis nostri sejuncta; quid nobis afferret ignominiæ ac dedecoris contaminatus Apostata? Hujus Corporis Caput, id est Augustinus, quasi futura prospiciens, & consulens filiorum honori, hæc olim scripsit Epistola 137. nunc 78. num. 8. *Quantumlibet enim vigiliet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est: aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est, Ejice ancillam hanc, & filium ejus: aut melior sit, quam domus Isaac, cujus de duobus geminis dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit quam domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit, quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior, quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret, Foris pugnæ, intus timores; nec diceret cum de sanctitate & fide Timothei loqueretur, Neminem habeo, qui germane de vobis solicitus sit, omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi: aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni unum perfidum, & furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cœlum, unde Angeli ceciderunt.* Hactenus de Lutheri ejusque Instituto.

4. Vita Calvini.

Alter Novatorum antesignanus est Joannes Calvinus. Natus est Noviodumi in Picardia parentibus Joanne Calvino & Anna Fronea die x. Julii anno 1509. Literis operam dedit apud Bituricenses sub disciplina Andreæ Alciati, & Melchioris Volmari. Excelluit ipse latine scribendi laude, vividâ autem dictione & nativâ eloquentia Lutherus: nam hujus latinitas inelaborata est, & incompta. Scripsit adhuc juvenis & annos natus 26. Basileæ, quo se receperat proscriptis in Gallia Novatoribus, libros Institutionum congestis erroribus & argumentis ex Melanchthone, Hyperio, Sarcerio, & Oecolampadio. Profectus Pictavium cœpit audacius errores disseminare, execrari cultum sacrarum Imaginum, festos dies, tremendum Missæ Sacrificium, Romanæ & universalis Ecclesiæ dogmata & traditiones. Pictavio in Aquitaniam, ex Aquitania Genevam concessit, quæ paullo ante abdicata Religione ad Sacramentarios defecerat, anno 1535. ut constat ex tabula æneâ ad Curiam Genevensem affixa. Inde, cum non probaret pseudoreligionis formam inductam à Farello, expulsus accessit Bernam: Bernâ, concitato in eum populo quod conviciis laceraſſet Zuvinglium, fugit anno 1538. Argentoratum, ubi & uxorem duxit suadente Bucero. Interfuit anno 1541. Comitiis Ratisbonensibus, ubi incassum tentata est cum Lutheranis concordia circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Revocatus tandem est Genevam, ibique sine ullo diplomate, aut missione fecit se Genevensis Ecclesiæ Pastorem. In hac urbe infelici exitu è vivis excessit anno 1564. ætatis suæ quinto & quinquagesimo necdum expleto. Successit Calvino Theodorus Beza natus apud Vezelios anno 1529. & in Græcis, Latinisque literis haud mediocriter versatus. Is subduxerat se Parisiis, ne in judicium veniret accusatus de turpi libidine, cujus præbuerat indicium obscenum illius Epigramma, & receperat sese Genevam vivente adhuc Calvino. Legendus Floremundus lib. VIII. de Origine Hæresum, cap. 17.

5. Illius error de libertate.

Scita Calvini, quantum spectat ad Gratiam & libertatem, sunt; humanam voluntatem nullam habere mali aut boni ele-

ctionem, nec acceptâ gratiâ suæ optionis esse vel obtemperare, vel refragari. Ita docet lib. 2. Institut. cap. 2. de libero arbitrio lib. 5. cap. 304. Constituit ille quidem gratiam in affectu delectationis, sed adeo impresso, ut spontanee tantum voluntas moveatur, sine aliqua libertate, & ad instar brutorum. Conveniunt ergo in negando libero arbitrio, sive agendi & non agendi facultate Calvinus æque ac Lutherus, licet in eo videantur discrepare, quod Lutherus velit esse illud velut quoddam inanime, & mere passive se habere; Calvinus concedere videatur movere illud se, & vitaliter agere, & liberum esse; si libertas opponatur coactioni. Quod in libro 2. & 5. contra Pighium non semel Calvinus profitetur, affirmans sibi conflari invidiam, quasi hominem similem faceret lapidi, cum fateatur hominem ipsum conari & agere pro acceptæ gratiæ mensura. At verba ista sunt: nam neque Lutherus asserebat hominem sub gratia operari coacte, & veluti obtorto collo, sed, ut loquitur in libro de servo arbitrio, agere necessitate immutabilitatis, sponte tamen, & voluntate libenti. Quare habet uterque hæreticus diversam quidem faciem, sed ut de consimilibus dictum est in cap. *Excommunicamus.* Extra de Hæreticis, *caudam adinvicem colligatam.* Sacrosancta Tridentina Synodus sess. VI. can. 4. ut penitus errorem omnem eliminaret, utrumque definivit, & posse liberum arbitrium à Deo motum & excitatum dissentire si velit, & non esse inanime quoddam nihil omnino agens, & se habens mere passive. Atque hujus vestigiis insistentes nos hæc eadem decreta ab Hæreticorum oppugnatione defendimus. Tertium addimus Catholicum pariter, & definitum, Deum non esse prædefinitione sua & absoluto Decreto causam effectricem peccatorum nostrorum: quod Calvinus tribuens Deo bono quæ Manichæi adscripserunt principio malo, his deterior & impudentior asseruit lib. 1. Instit. cap. 16. de lib. arbitrio lib. 2. pag. 236. aliisque in locis, ductus fallaci definitione, quod Deus etiam peccata prædeterminet, & necesse sit evenire quicquid ille statuit.

CAPUT II.

Demonstratur pollere adhuc liberi arbitrii facultate cum in civilibus, tum in moralibus operibus, homines Adæ posteros.

SUMMARIUM.

1. Divisio libertatis.
2. Libertas à coactione, & à necessitate explicatur.
3. Datur in homine lapso liberum voluntatis arbitrium probatur.
4. Rafutantur Responsiones AA.
5. Probatur ulterius ex scriptura.
6. Uti & ex definitionibus Ecclesiæ.
7. Confirmatur ex Patribus.
8. Præcipue S. Augustino.
9. Qui aperte admisit libertatem indifferentiæ.
10. Solvuntur objectiones contrariæ.
11. In quo sensu S. Pater negârit liberum arbitrium.
12. Probatur propositio ex aliis Patribus.
13. In quo consistat essentialiter libertas.
14. Probatur ex ratione.
15. Confirmatur alia ratione.
16. Refutantur opiniones Adversariorum.
17. Quid non spectet ad essentiam libertatis.
18. Libertas indifferentiæ requiritur in statu naturæ lapsæ ad me- vel demertium.
19. Refutatur doctrina adversariorum ex scriptura.
20. Nec patrocinantur iisdem Patres.
21. Nec se defendunt vocabulis scholasticorum.
22. Nam hæc intelligenda sunt in alio sensu.
23. Indifferentia liberi arbitrii non est mere passiva.
24. Dicta confirmantur ex S. Augustino.

1. Divisio libertatis.

OPORTET ut ad hujus quæstionis solutionem memoriæ mandentur quæ de natura liberi arbitrii disserendo de homine primo ad cap. x. congesta sunt. Summatim ante conspectum ea proponendo, dico libertatem ex intellectu & voluntate conflari; aliam esse libertatem à necessitate, aliam à peccato, aliam à miseria; primam tolli per naturalem determinationem ad unum, perfectamque cognitionem summi boni; alteram per gratiam liberantem à servitute peccati: tertiam per gloriam, qua liberamur à corruptione corporis, animique prementibus cupiditatibus. Libertas à necessitate appellari etiam solet libertas naturæ, cujus definitionem eodem loco tradidimus, dicendo esse potestatem agendi vel non agendi iis positis, quæ ad agendum prærequiruntur. Libertas à miseria & à peccato non ad naturam libertatis pertinet, sed ad peculiarem statum aut naturæ conditionem; unde à pluribus nuncupari solet libertas contingentiæ. Quare stat vera libertas etiam sine potestate peccandi & absque miseriarum gravamine dummodo consistat indifferentia judicii: atque hoc pacto liber est Deus amando res creabe-

tas, easque producendo & servando; & liberæ pariter sunt beatorum animæ respectu ipsarum creaturarum: quæ omnia fuerunt ibidem satis, ut arbitror, explicata.

2. Libertas à coactione & à necessitate.

Diximus quoque voluntatem posse accipi generatim, quatenus principium est cujusque motus animi sive velit libere, sive spontanee: & quatenus vult libere, electione sua, suoque arbitratu; unde emergit duplex libertas, à coactione una, & altera à necessitate. Sola autem libertas à coactione vera libertas non est, ac talis appellatur quadam analogia, propterea quod voluntarium sit quicquid fit sponte, & nullam patitur violentiam, & voluntarium pariter quod fit ratione libera atque elective. Hoc postremum est, ut cum Scholasticis loquar, principale libertatis *analogatum*. Enimvero non eodem modo adversatur voluntati coactio, atque necessitas: sed illa contra voluntatem militat actus imperatos cogendo, & inhibendo, nec impedire potest actus elicitos, quomodo vincula faciunt ne valeat homo ambulare; interiorem autem animi motum coercere non possunt, & corpori, non animo inferunt violentiam: at necessitas intimam voluntatis potestatem oppugnat, alligatque eam tali vinculo, quo obstricta nequit pro suo libitu contraniti. Erdo qui docent non esse de essentia libertatis posse agere & non agere, si libertas sumatur in genere; non satis castigate loquuntur; quoniam libertas comparate ad spontaneum & indifferens, non genus *univocum* est, sed *analogum*: neque aliam ideam habeo veræ libertatis, quam voluntatis meæ, cujus optionis, jurisque sit agere, aut non agere, prout lubet. Quod si de genere *analogo* sermo est, nullum dubium potest oriri, quin ad libertatem potestas illa agendi & non agendi nequaquam pertineat: quoniam sub genere illo comprehenditur etiam libertas à coactione. Animadvertunt autem Philosophi genus *analogum* sumi ut plurimum pro eo, quod appellitant præcipuum *analogatum*. Ita ergo voluntarium apud antiquos Patres non semel usurpatur pro libero; & nonnunquam dicitur liberum quod est tantummodo voluntarium. Hoc demonstrant testimonia Veterum, quorum alii affirmant Filium Dei genitum esse voluntate Patris, & alii negant: illi voluntarium accipiunt pro eo, quod est cum spontaneitate & lubentia; & isti pro eo, quod sit cum deliberatione & libertate. Vide de Trinitate librum XII. cap. X. ad 4. Ob. Wolzogenii. Constat ex præcedenti capite non denegare Lutherum, neque Calvinum dari libertatem à coactione, qua homo sponte & libenti voluntate operatur; ideoque instituitur cum Novatotibus disputatio de libertate indifferentiæ, sive à necessitate: quam nos veram, propriamque libertatem esse contendimus.

PROPOSITIO I. Persistit in homine lapso liberum voluntatis arbitrium.

3. Datur in homine lapso liberum voluntatis arbitrium Probatur.

Triplici argumentorum genere thesis demonstratur, Scripturarum ac definitionum Ecclesiæ auctoritate, Traditione Patrum, atque Theologica ratione. Quarto enim cap. Genes. v. 7. Caino à Domino dictum est: *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius.* In statu ergo naturæ lapsæ est in homine dominium voluntatis, quo coercere potest motus concupiscentiæ & bene agere, aut male, ideoque libertas arbitrii indifferens ad utrumlibet. Respondent Calviniste hoc loco significari tantummodo Caini supra Abelem titulo primogenituræ auctoritatem imperii. Quod probant primo ex hebraico textu, in quo tam חמאת *peccatum*, quam תשוקת *appetitus, concupiscentia*, fœminina sunt; quæ autem sequuntur, תמשל בו ואתה, *Et tu dominaberis illius*, suffixum habent masculini generis: ideoque nequit aut ad peccatum, aut ad appetitum, ultimum pronomen referri. II. ex Versione LXX. quæ habet: *Ad te conversio ejus, & tu principatum habebis ipsius*: πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. III. ex Chrysostomo in hunc locum hæc verba interpretante, *Post peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate & dominio esse jubeo.* At primum admissa quoque interpretatione Chrysostomi, quæ sua sponte ex Græco textu fere videtur, dico idem argumentum adhuc persistere. Si enim Deus adversatus sacrificium Cain, poterat ab illo primogenituræ dignitatem auferre, reliquit tamen fratrem sub illius potestate, ea conditione, ut si bene ageret mercedem reciperet, sin autem male, punitionem; ac pœnam: habebat ergo Cain liberum arbitrium, quod poterat commereri aut supplicium, aut beneficia, & si fratrem odisset, etiam jure primogeniti privari, ut ipsi contigit post execrabile horrendumque homicidium. Nihil ergo adversus nos aut Græcus textus, aut interpretatio Chrysostomi. Deinde

4. Refutantur Responsiones AA.

de affirmamus longe melius ac proprius significari hoc loco dominium libertatis supra appetitum concupiscentiæ. I. quia תשוקת non subjectionem minorum fratrum significat, sed concupiscentiam, & appetentis animi motum à verbo שוק *concupiscere.* II. Targum Jerosolymitanum hunc Geneseos locum ita reddit: *Verum in manu tua tradidi potestatem concupiscentiæ malæ, & tu dominaberis in eam, sive ad innocenter vivendum, sive ad peccandum.* Exponunt de concupiscentia peccati etiam R. Aben Ezra, & Rab. Salomon apud Flacium, & Cartwrightum, & Gerundensis apud Munsterum. Mavult sensum esse de appetitu peccati etiam Mercerus: & Vatablus, *Omne fere* (inquit) *referunt hæc ad peccatum.* Ex ipsis ergo Rabbinis, imo & Protestantibus suis Novatores refutantur. Quod de affixis masculinis opponit Glassius cap. 9. de Prosopopœja num. 6. nihil omnino probat. Primo sunt qui negant cum Hieronymo חטאת *peccatum*, generis esse fœminini. Ita Hieronymus in Quæst. seu Tradit. Hebraicis in Gen. *Quod autem in septuaginta Interpretibus fecit errorem illud est, quia peccatum, id est* hatah חטאת, *in Hebræo generis masculini est, in Græco fœminini.* Deinde concedo fœmininum esse, sed tamen pronomen & affixum postulat masculinum cum propter synonimum חטא quod est proprium nomen peccatti, tum propter sensum, eoquod non solum significet culpam, sed etiam pœnam, quæ hæbræis nomen est masculinum *Honesc* עונש. Præterea eodem versu ubi legimus: *peccatum aderit*, habet Codex Hebraicus חטאת רבץ *peccatum cubans.* Nomen fœminini generis est, & participium masculini. Quænam hæc syntaxis? Optimam esse demonstrat idem Glassius de Participio, canone X. quoniam aut ad sensum refertur, aut intervenit generum anallages. Quod ergo Saxogothanus iste docet de participio, nos valere dicimus de affixis; quoniam in potestate arbitrii nostri est evitare peccatum, & pœnam: atque hæc est masculini generis, & dicitur רבץ חטאת *peccatum cubans.* At de uno tantum loco satis.

5. Probatur ulteriùs ex Scriptura.

Sunt enim permulta alia idem comprobantia. Josue cap. ultimo, ut Israëlitas in Religione cultuque unius Dei confirmaret, posteaquam ostendit quænam fuerant Majorum suorum in Mesopotamia & in terra Chanaan instituta, & quanta Altimssius operatus nuper fuerat in transitu Jordanis, & expugnatione urbis Jericho, ut se libere obsequio supremi numinis devoverent, & profana idolorum veneratione abdicarent; ita prudentissimus Imperator v. 15. singulas Tribus allocutus est: *Si malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* At quorsum hæc cum populo Israël stipulatio, atque talium apparatus verborum; nisi fuisset Israëlitis potestas optionis, electionis, & plenissimæ libertatis serviendi Deo Abraham, aut Diis Amorrhæorum? Eccles. etiam xv. 14. legimus: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ecclesiastici librum, quem Clemens, Alexandrinus, & Cassiodorus appellant Græco vocabulo πανάρετον, id est, *Penum omnis virtutis*, nos Canonicum esse supponimus. Quod vero Adversarii hæc de primo tantum homine dicta esse contendant, non indiget refutatione. Nam 1. constat, *Si velis mandata servare*, ad homines singulos à Jesu filio Sirach directum esse. II. Occurrit eadem phrasis Deut. xxx. 19. & Josue xxiv. 15. III. In Græco, ubi legimus, *Reliquit illum in manu consilii sui*, extat aoristus ἀφῆκεν pro quovis tempore. IV. Per ignem & aquam, cum plurimum inter se distent, significantur carnis cupiditates, & gratiæ operationes, auctoribus Hugone Grotio in hunc locum, Brentio in caput 41. Esaiæ, Luthero ipso apud Glassium lib. v. Philologiæ Sacræ Tract. I. cap. 10. Ergo ipsorum hæreticorum confessione homo positus inter aquam & ignem, inter bonum & malum, est homo noxiis cupidinibus subditus, qui adhuc pollet libera potestate porrigendi ad utrumlibet manum suam. Rursus Joan. xix. 10. ait ad Christum Pilatus, *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Quo sane in loco potestas non solum jus spectat, cum istud ad rectum & iniquum nequeat extendi, sed facultatem & efficaciam ipso quoque jure utendi & abutendi. Insuper Paulus in 1. ad Corinth. cap. vii. v. 37. loquens de virgine superadulta, ex qua timeri potest aliquid turpitudinis & dedecoris, docet, quod eam nuptui tradant; *si id fieri oporteat*, id est, si urgeat aliqua nuptiarum causa ex corpore, animoque puellæ: at si hæc non obsistat

sistat, pater *quod vult faciat*, scilicet aut servet virginem suam, aut jungat illam marito, eoquod *non habeat necessitatem, potestatem autem habeat suæ voluntatis.* Vide complura alia Scripturarum sanctarum loca apud Estium lib. 2. dist. 24. §. 8. & Tournely de Divinis Attributis p. 704.

6. Uti & ex Definitionibus Ecclesiæ.

Accedunt infallibilis Ecclesiæ definitiones. Tridentina Synodus sess. 6. can. 5. *Si quis dixerit*, inquit, *liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* Et can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c.* Ubi cum Bellarmino notandum est, lib. 3. de Grat. cap. 5. damnari nuper exortos errores Lutheranorum & Calvinistarum; qui, ut supra vidimus, fatebantur hominem esse liberum *à coactione*: quapropter definitum est dari adhuc, tametsi vulneratum atque infirmum, liberum *à necessitate* arbitrium. Vide sequenti propositione proscriptos articulos Baji.

7. Confirmatur ex Patribus.

Probatur etiam Catholica veritas ex Patribus. In exhortat. ad Gentes hæc ait S. Athanasius, *Anima liberi arbitrii cum existat, potest ut ad bona se inclinare, ita bona quoque adversari.* S. Basilius Homilia, Ὅτι οὐκ ἔξιν ἀιτ· κακ· ὁ θεὸς, *Anima soluta est omni necessitate & à Creatore accepit potestatem vitæ ex propria electione ducendæ. Sic Deo amicum puta non quod necessitate adigitur, sed quod ex virtute recte fit. Virtus autem ex electione est, non ex necessitate, efficitur. Electio autem eorum est, quæ in nostra sunt potestate.* S. Epiphanius Hær. 64. *Quomodo liberum arbitrium in hoc mundo? In nobis siquidem situm est credere, & non credere: ubi autem credere & non credere in nobis situm est; consequens est, ut recte agere & peccare, bonum facere & malum nostri quoque sit juris.* Gregor. Niss. Orat. 5. *moderator omnium dominum sui, liberumque arbitrium ab omni necessitate liberum fecit, ut electione quadam quæ sui juris sit regeretur quidquid ratione pariter ac mente præsiat.* Chrysostomus denique in Psalm. 9. *Non potest* (inquit) *quis fieri bonus necessitate.* Hæc Græcorum Patrum testimonia non solum libertatem arbitrii disertissime comprobant, sed illam immunem ostendunt ab omni antecedenti necessitate.

8. Præcipuè S. Augustino.

At quoniam hæretici Augustini potissimum auctoritate jactitant, ejusdem S. Patris doctrinam adversus refractarios certis argumentis urgebimus. Itaque S. Pater & contra Manichæos, & contra Pelagianos de libero pertractavit arbitrio. Manichæos opinantes in homine animam suapte natura malam, à qua peccata non libera voluntate committantur, sed naturali necessitate, adeo perstringit, ut culpam voluntate patrari evincat; accepta propterea voluntate, non prout natura est, sed prout naturæ potestas & facultas quædam indifferens; nam à voluntate, quatenus est natura, sive principium agendi determinatum ac necessarium, effici bona quæque vel mala delirantes illi hæretici opinabantur. Pelagianos contra denegantes originale peccatum, arbitrii infirmitatem & vulnus, & consequenter gratiam operationis pravas vincentem cupidines, adigit ad confitendum libertatem illam robustam, quam in sua conditione acceperat primus homo, posteris non adesse, sed infirmam & liberam duntaxat ad malum, ad bonum vero juvandam gratia Liberatoris. Ita ergo depravata ab hæreticis testimonia Augustini accipienda sunt, ut ubi disputat cum Manichæis intelligatur gratiam quoque Salvatoris defendere; & ubi cum Pelagianis decertat pro Christi gratia, liberum voluntatis arbitrium nullatenus censeatur labefactare. Atque hæc idem Augustinus commonefecit in lib. de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum cap. 1. & 4. Probo igitur S. Parentem cum in libris contra Manichæos, tum in aliis contra Pelagianos conscriptis libertatem indifferentiæ satis exposuisse.

9. Qui apertè admisit libertatem indifferentiæ.

Ex libris contra Manichæos occurrunt primo, quos edidit in forma dialogorum cum Evodio de libero arbitrio. In quorum tertio cap. 2. de motu voluntatis ait: *Si natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Sequenti capite docet motum voluntatis cum motu lapidis in eo convenire quod sit uterque proprius naturæ quæ movetur, iste scilicet lapidis, ille animi. *Veruntamen* (inquit) *in eo dissimilis est, quia in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero dum non vult non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora diligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.* Quo in loco manifeste apparet, per Augustinum motum esse naturalem, non liberum, ubi in eo quod movetur non est potestas cohibendi motum; & voluntarium in disputationibus adversus Manichæos accipi non solum pro spontaneo & non coacto, verum etiam pro indifferenti, plane libero, & prædito potestate reluctandi, motum-

tumqùe cohibendi ; propterea quod, ut diximus, ratio postularet institutæ disputationis pertractare de voluntate, non quatenus natura est, sed prout est libera facultas deflectendi à bono incommutabili, & motus culpabilis causa. Id vero magis liquet ex tertiodecimo capite num. 19. de duabus Animabus, ubi objectantibus Manichæis esse duarum animarum indicium duplicem animi deliberationem in bonam & in malam partem, *Cur non magis* (ait Augustinus) *hoc signum est unius animæ, quæ libera illa voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri potest?* Eo spectat definitio peccati tradita eodem libro cap. xi. num. 15. & contra Fortunatum disput. 2. num. 20. aliisque in locis plurimis, *Peccatum est voluntas retinendi, aut consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Quam definitionem de actualibus peccatis iterum probat in 1. Retract. cap. 15. Dirimit vero dubitationem omnem in Actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 3. pariter recognitis lib. 2. Retract. cap. 8. ubi de libero arbitrio ita loquitur. *Veritas dicit omnia ista quæ videmus, & quæ non videmus, quæ naturaliter subsistunt à Deo facta esse: in quibus rationalem creaturam etiam ipsam factam sive in angelis sive in hominibus accepisse liberum arbitrium, quo libero arbitrio, si Deo servire vellet, haberet apud eum æternam felicitatem: si autem legi ejus subdi noluisset, sed potestate sua usa contra ejus feciisset imperium, secundum ejus justitiam pœnæ debitæ subjaceret.* Et ne opineris congenitam arbitrii libertatem divinæ legi sive obtemperandi, sive reluctandi nunc emortuam esse, & oppressam; proximo capite 4. *Audi ergo* (S. Pater conclamat) *primo ipsum Dominum ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse feciisti: audi dicentem, Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite: potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest: sed habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud ostendit esse in potestate quid facerent.* En absque ulla ambiguitate verborum Augustinus declarat se contra Manichæos differentem usurpare nomen voluntatis pro libera potestate eligendi & faciendi quod magis lubet, atque hanc potestatem in hoc quoque statu consistere.

19. Solvuntur objectiones contrariæ.

Solvuntur ex his omnia prorsus argumenta, quæ ex libris contra Manichæos Calvinistæ & Janseniani depromunt. Inaniter quippe ludunt operam, dum inquiunt S. Patrem liberum appellare quod est voluntarium & opponitur coactioni, & excludere solam necessitatem naturalem Manichæorum. Etenim naturale est per Augustinum voluntarium ipsum spontaneum & non coactum, quod est sine potestate motum cohibendi, ut naturalis est motus lapidis tendentis deorsum. Quamobrem dictum à nobis identidem, & auctoritate etiam Divi Thomæ comprobatum est, bonum in communi, & Deum visum in se amari naturaliter; atque in tali amore moveri voluntatem ut natura est ; non ut voluntas, sive ut potestas eligendi, & flectendi se in partem utramlibet. Demonstratum est etiam nuper, loqui Augustinum de voluntate non movente se naturaliter, sed libere, indifferenter, & cum potestate ad oppositum ; de ea nimirum voluntate, quæ potest cohibere motum, quæ potest huc & huc ferri, hinc atque hinc referri, quæ potest & eligere quæ bona sunt, & eligere quæ mala sunt. Talis autem voluntas nonne tam à coactione, quam à necessitate immunis est? Sed nec Manichæi adeo stolidi erant, & plumbei, ut assererent voluntatem ita abripi fato, ut non velit dum vult, non delectetur dum delectatur, non optet dum optat. Quis enim homo hæc effutiat? In fati ergo necessitate, & in impellente determinatione principii boni vel mali fatebantur produci in animo & cupiditatem & voluptatem & voluntatem, sed hanc necessariam & indeclinabilem, non liberam. Lubentiam ergo & spontaneitatem & motum cupientis animi necessarium minime Manichæi denegabant; & Augustinus pertractans contra hæreticos istos de voluntate, eam à natura distinguit: alioqui cum detur voluntas mala, malam quoque naturam non dubitasset asserere. Quantum igitur spectat ad libertatem, concordi cæcitate eam infringunt & Manichæi, & Calvinistæ, & Janseniani: in hoc tantummodo discrepantes quod Manichæi causam necessitatis malorum repetunt à principio malo & à mala natura, Calvinistæ à decreto & prædeterminatione Dei, Janseniani autem à dominatu comprimentis concupiscentiæ, fronte diversi, ut dicebamus capite primo, & cauda viperarum instar invicem complicati.

Deve-

II. In quo sensu S. Pater negârit liberum arbitrium.

Deveniamus jam ad Augustini libros contra Pelagianos. In his S. Pater negat tantum dari liberum arbitrium, quale asserebant Pelagiani, validum scilicet & robustum, quod nec peccato Adæ fuerit vulneratum, neque indigeat in pugna carnalis concupiscentiæ gratia Reparatoris: dari tamen adhuc liberum arbitrium vinculo necessitatis solutum, sufficiens ad malum se ipso, ad bonum vero si adjuvetur à Deo, & tam ad bonum quam ad malum protendens indifferenti ad oppositum potestate. Postquam enim de Peccatorum meritis lib. 2. cap. 18. num. 30. præmonuit ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium videamur auferre, nec rursus liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate judicemur ingrati: *Nisi obtineamus*, inquit, *non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus, & male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nescio quomodo defendamus quod dictum est, Quid enim habes quod non accepisti?* Viden Augustinum deprædicantem gratiam sanctæ inspirationis supponere in nobis liberum voluntatis arbitrium, quod potest flecti huc atque illuc? II. Objectantibus præterea Pelagianis quod ipse Augustinus, ut gratiam defenderet, declinans ad Manichæos tolleret libertatem, lib. 2. de Nuptiis & Concupisc. cap. 3. num. 8. respondet *Non est ita, ut loqueris, quicumque ista dixisti: non est ita: multum falleris, vel fallere meditaris; non liberum negamus arbitrium;* & paucis interjectis profitetur non esse Cœlestianos, Pelagianosque qui liberum arbitrium defendunt, sed qui autumant valere ad bonum sine divinæ gratiæ auxilio, & non erui parvulos per lavacrum regenerationis à potestate tenebrarum. De hac ipsa Pelagianorum calumnia libro 1. ad Bonifacium cap. 2. num. 5. ait: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; utique liberi ad bene justeque vivendum.* III. Cum falso rumore accepisset Monachos Adrumeti liberum arbitrium denegare: nonne pluribus divinæ Scripturæ testimoniis ipsius arbitrii libertatem demonstrat? Vedete de Gratia & libero arbitrio cap. 2. Dicet forte Jansenianus, aut Calvinista defendere Augustinum solam libertatem lubentiæ? At si legeris, audies in nobis esse libertatem extendendi manum ad ignem & aquam, audies optionem dari faciendi quidquid vult non habenti necessitatem, potestatem autem habenti suæ voluntatis, audies bonum ex necessitate non esse, ut sacra eloquia etiam à nobis superius producta testantur. Ad hæc: num Prædestinatiani libertatem lubentiæ inficias ibant? Id quidem nullus dixerit. Cur ergo adversus Adrumetinos, quos tanquam Prædestinatianos accusaverant Cresconius & Felix, demonstrare libertatem spontaneitatis & lubentiæ, illam nempe, quam non denegassent, etiamsi fuissent Prædestinatiani reapse, imo & Stoici vel Manichæi? In Epistola etiam ad Valentinum nunc inter Augustinianas 215. num. 5. nonne profitetur agere se eodem in libro de libero arbitrio delineato à Salomone Prov. IV. 26. his verbis, *Dirige semitam pedibus tuis, & ne declines ad dexteram, neque ad sinistram?* Suis ergo Epistolis, suis argumentis commonstrat pertractare se de libero arbitrio, quod est potestas indifferens ad utrumlibet. IV. In libro etiam de natura & gratia cap. 64. num. 76. probat auctoritate Joan. Chrysostomi peccatum de arbitrii potestate descendere, affirmans, non de illo se agere, *sed de gratia, qua sanatur per medicum Christum, & qua posse non peccare defenditur.* Proximo capite 65. num. 78. laudat, probatque quamdam sententiam Hieronymi, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Et capite sequenti 67. confirmat quæ ipse scripserat de lib. arbitrio libro 3. cap. 18. n. 50. *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei creditur:* quod & facit in priori libro Retract. cap. 9. Tantummodo ubique testatur se hæc, & similia scripsisse absque præjudicio divinorum auxiliorum, & contentionem ducere cum Pelagianis *de gratia, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate justitiæ*, Disertissime ergo S. Augustinus impugnans Pelagianos liberum à necessitate arbitrium agnoscit, inferens memorato capite 67. conclusionem istam Catholicam: *Potest ergo ei causæ, quæcunque illa est, resisti: potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem; quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus.* V. Si liberum à necessitate arbitrium S. Augustinus sive pre-

premente concupiscentia, sive trahente charitate perimi existimasset; quomodo gratiæ & libertatis concordiam appellare potuisset quæstionem perdifficilem, & talem quæ vehementer angustat, uti appellat in 2. de Peccat. meritis cap. 18. & de Gratia Christi cap. 47.? Num operosum, & in labore multo positum est deprehendere cum in illicita, tum in sancta delectatione motum animi cupientis, spontaneitatem, lubentiam, illam denique libertatem, quam pingunt Heterodoxi? Id quidem nulla omnino ratione. Quinimo magis erit laboriosum, atque impossibile sive bonam, sive malam cupiditatem absque tali libertate percipere. Si quid ergo difficultatis & laboris habet gratiæ ac libertatis conciliatio, uti Augustinus affirmat; id profecto non de ea, quam Scholæ vocant spontaneitatis atque lubentiæ, sed de sola libertate accipiendum est, quam contradictionis, sive à necessitate consuetudo sermonis appellitat. VI. Postremo si testimonio Augustini expressissimo, planissimo, apertissimoque evicero S. Patrem discrimen ponere inter libertatem à coactione, qua omnis homo appetit beatitudinem, & libertatem indifferentiæ, qua possit mutabili voluntate bene agere, atque demonstravero statui ab eo in homine lapso sub quacunque gratia, solâ exemptâ immortali beatitudine & gloriâ, cum qua nequit consistere indifferentia judicii, potestatem peccandi: nonne libertatis inimicos obtundam penitus, & expugnabo? Legito ergo postremum Augustini Opus contra Julianum lib. VI. n. XI. ubi explicata libertate primi hominis à necessitate atque à peccato, per quam tamen poterat non peccare, si noluisset hæc habet: *Quamdiu vero in eadem rectitudine stetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit majus aliquid, hoc est non posse peccare, quia in eo quod habuit non usque ad finem remunerationis voluit manere. Quod enim accepturi sunt Sancti, qui in futuro sæculo in corpore futuri sunt spiritali, sine interventu mortis fuerat accepturus Adam, ut ascendens ab eo quod posset non mori, ad id perveniret ubi non posset mori; & ascendens ab eo quod non peccare posset ad id perveniret ubi peccare non posset.* Atque post pauca: *Si ergo quæris, ubi, vel quando detur homini non posse peccare; præmia quære Sanctorum, quæ post hanc vitam illos oportet accipere.* Donec ergo corruptibili animamque aggravante corpore homo circumdatus est, nunquam pollet ea libertate, quam habebit in corpore spiritali; ut non possit peccare; & licet in bonis operibus potentiori auxilio liberi arbitrii adjuvetur infirmitas, erit tamen non solum ad operandum indifferens, sed etiam ob conditionem vitiumque naturæ potens delinquere; quamquam hæc ad malum potestas libertatis creaturarum est potius defectus, quam virtus, ut proxima thesi explicabitur. Demonstrat subinde Augustinus eodem loco in suis de Gratia Christi disputationibus non loqui de illa libertate immutabilis voluntatis, cujusmodi est velle beatitudinem; sed de libertate, quæ immutabilis non est, nèque *est ita homini congenita, sicut congenita est qua velit beatus esse, quod omnes volunt, & qui recte agere nolunt.* Ideoque non de libertate lubentiæ, sed à necessitate differit Augustinus: quod videor mihi satis superque commonstrasse.

12. Probatur propositio ex aliis Patribus.

Consentiunt Augustino reliqui omnes Latini Patres. Hilarius in Psalm. 2. *Unicuique nostrum* (inquit) *libertatem vitæ, sensusque permisit, non necessitate in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum, malumve esse lex cogeret. Quid autem honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret?* Optatus Milevitanus libro adversus Parmen. VII. scribit: *Voluntas habet pœnam, necessitas habet veniam. Homicida scelus, dum nemo cogit, potest facere, & potest non facere: adulterium mœchus, dum foris nemo compellit, potest admittere, & non potest admittere; & cætera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur, judicio destinantur.* Hieronymi nonnulla superiori paragrapho producta sunt. Bernardus denique de Grat. & lib. arb. ait: *Porro ubi necessitas, ibi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium.* Et serm. V. in Quadrag. *Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare vel negare consensum. In tua facultate est, si volueris, inimicum tuum facere servum tuum.*

Depromitur autem ex dictis multiplex ratio. Ac primo cum peregrinantibus nobis à Domino insit sub quacunque aut prava, aut sancta delectatione indifferentia judicii, nunquam potest inde voluntas ad bonum, sive ad malum trahi fixâ & immutabili necessitate. Deinde nemine peccante in iis, quæ non potest cavere; eccur nobis justissima Dei lege mala opera prohibentur, si hæc vitare non

non possumus? Essent eamdem ob causam frustra sancitæ leges, inutiles comminationes, irrisoria propositio mercedis, irreparabilis error, inanis labor, vanus conatus, voluntas rationalium aut fungus aut lapis, Deus vero tentator malorum, peccati auctor, irrisor hominum, & fallax magnarum rerum promissor. Nulla proinde forent peccata, nullaque virtutum merita; quandoquidem, ut rectissime in Hamartigenia cecinit Prudentius,

Non fit sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, flexosque animi convertere sensus.

13. In quo consistat essentialiter libertas.

Propositio II. Pertinet ad libertatis essentiam posse agere & non agere, non vero posse peccare; quod inest libertati creaturarum ob istarum imperfectionem.

Continet propositio duas partes: quas ex dictis non est operosum inferre. Partem ergo primam demonstrant primo idea ac definitio libertatis. Hanc, ut vidimus, definit Augustinus voluntatis potestatem, quæ sua deliberatione potest huc atque illuc flecti, hinc atque illinc referri; & Thomas Aquinas 1. p. q. 62. art. 8. vim electivam mediorum. Quis vero hujusmodi potestatem in iis, quæ necessario fiunt, potest deprehendere? Electio quoque nonnisi respectu plurium locum habet, ideoque minime in iis potest adesse, *quæ ad unum determinata sunt*, eodem Thoma Auctore 1. 2. q. 13. art. 2. & 6. & Augustinus in 3. de lib. arb. cap. 8. docet illum eligere, qui ait, *mallem hoc, quam illud.* Quod evincitur etiam manifesta ratione; nam electio non ultimi finis est, ad quem tendimus naturaliter & necessario, sed respicit tantum media; in mediis autem eligendis, cum ea non sint summum, & incommutabile bonum, voluntas nulla flectitur necessitate. Hæc pariter conformia sunt doctrinæ Sancti Thomæ 1. part. quæst. 83. artic. 3. Accedit quod ideo in animalibus brutis appetitus est, non electio; quoniam ad unum secundum naturæ ordinem determinata sunt. Electio ergo non stat cum naturali determinatione. Est autem mens, & voluntas humana naturaliter determinata cum ad beatitudinem in communi, tum ad summum bonum visum in se; quemadmodum dictum millies. In cæteris ergo omnibus habet determinationem liberam, atque ortam ex propositione boni, in quo potest apprehendi aliqua ratio mali; ideoque locum habet in iis electio & libertas. Atque hæc pariter traduntur à magno Aquinate 2. sent. dist. 25. q. 1. art. 1. & memorata q. XIII. 1. 2. art. 6. ut inquiunt, in corpore.

14. Probatur ex ratione.

Hæc omnia confirmat idea deliberationis: nemo quippe de his deliberat, quæ in sui potestate non sunt. Tantummodo ad libertatis essentiam non requiritur illa deliberatio, qua animus suspenditur, & anceps incertusque fluctuat; hæc enim ignorantiæ potius indicium est, quam libertatis. Ita Deus absque animi suspensione omnia perfecte lustrans ac videns decrevit condere mundum, hominem reparare, hanc virginem esse Deiparam, illos Adæ posteros fieri ex una massa perditionis vasa in honorem, propterea quod optime noverat quidquid fini, suæ videlicet gloriæ, misericordiæ, & justitiæ manifestationi congrueret. Nos econtra, uti hæremus in bivio, propterea quod viarum exitus ignoramus, ob ignorantiam animi hæsitatione distrahimur, præceditque deliberationem nostram fluctuantis animi dubitatio. Quare in mediis eligendis eo major est libertas, quo major cognitio; & major etiam ad agendum vel non agendum indifferentia, quando voluntas pollens plenissima potestate nequit retardari difficultate aliqua, vel ignorantia. Atque hinc est, quod in homine lapso libertas quidem est, sed ob hujusmodi ignorantiæ & difficultatis impedimenta speciali gratia juvanda est: aderat in Adamo libertas vegetior, sed opus non habebat hoc adjutorio, quia nihil ei *concupiscentialiter* resistebat: viget libertas plenior in sanctis eoquod liberi ab omni miseria nequeunt à summa felicitate divelli, bona tamen creata servato ordine finis amant indifferenter: in Deo autem, in quo nulla cognitionis aut amoris oritur vicissitudo, reperitur libertas perfectissima & incomprehensibilis. Igitur indifferentia, electio, & deliberatio semper liberum arbitrium comitatur, suspensio animorum non item.

15. Confirmatur alia ratione.

Idem evincitur ex quo voluntas operum suorum habeat dominium & potestatem. Nam ut Augustinus scribit de Sp. & lit. cap. 3. *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult non facit;* & S. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. *dicendum*, inquit, *quod sumus domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, ut dicitur in 3. Eth. Unde appetitus ultimi finis non est*

de his, quorum domini sumus. Hic vero obiter nota S. Thomam non loqui de *dominio*, quod nihil aliud sit quam motus voluntatis cum advertentia, ut reponunt quidam haud vulgares Theologi; quandoquidem appetitus ultimi finis, ipsaque hujus finis possessio non est absque motu voluntatis, & est nihilominus per D. Thomam absque dominio. Quare fateor dari aliquam libertatem naturalis inclinationis sine indifferentia agendi & non agendi; quis enim amorem beatitudinis à coactione non fateatur immunem? quis neget amorem Dei esse in Beatis suavissimum & voluntarium? Sed in his essentiam veræ libertatis salvari, id vero nego, & pernego.

16. Refutantur opiniones adversariorum.

Insuper Gregorius XIII. ac pridem S. Pius V. damnarunt Bajanas Propositiones: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, & *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Igitur repugnat libertati naturali etiam necessitas. Respondent quidam recte has propositiones damnatas in sensu Baji asserentis hominem peccare etiam in motibus indeliberatis concupiscentiæ, & in eo etiam quod facit necessario; ut animadvertit Vasquesius 1. 2. q. 190. cap. 18. Egregie quidem. Ita etiam Jansenius lib. 6. de Gratia cap. 6. At ego ex oppositio dicam verum esse, quod motus quilibet concupiscentiæ peccatum est, & homo peccat damnabiliter in eo quod necessario facit; si verum sit quod sola libertas à coactione est vere & proprie libertas. Diximus enim cum Augustino, *peccatum esse voluntatem retinendi & consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* In omni motu concupiscentiæ si est per te talis voluntas, est vera & essentialis libertas. Quare ergo non est peccatum? Teneris respondere non esse peccatum, quoniam ad peccatum requiritur libertas indifferentiæ, & non sufficit libertas à coactione: quod in damnatione tertiæ propositionis Jansenii est ab Ecclesia definitum. Libertas itaque à coactione, si ab indifferentia divellatur, non est illa vera & propria libertas, de qua ait Augustinus, *unde liberum est abstinere.* Deinde, ut præmonuimus, non inquiritur contra Heterodoxos de libertate congenita voluntati, ut natura est; quam nec Calvinus, nec Stoicus, nec Manichæus audet negare; sed inquirimus de essentia libertatis, ut est potestas arbitrii deliberans, eligens, & dominium habens actuum suorum, quam appellamus ad distinctionem naturalis instinctus voluntatis, *liberum arbitrium.* Sit ergo libertas à coactione in voluntate, ut naturaliter vult & appetit; sit porro; non est hæc libertas arbitrii; sed voluntatis, quæ nequit cogi, natura. Oportet enim distinguere inter voluntatem ut est natura, & voluntatem ut est facultas arbitrii. Voluntas *in quantum est natura, aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem: & similiter Deus naturaliter vult & amat se ipsum*; inquit Doctor Angelicus 1. p. q. 41. art. 2. *Sed liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Unde & alia animalia, quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia vero non ex necessitate, respectu eorum, quæ non ex necessitate vult liberum habet arbitrium*: ait idem Doctor 1. p. q. 19. art. 10. Tanta ergo luce æquivocatio omnis dispellitur, & liquet necessitatem evertere essentiam liberi arbitrii, quatenus liberum arbitrium est; tametsi dum nos naturali instinctu appetimus beatitudinem, aut Deus amat semetipsum, aut Beatorum animæ diligunt Deum, reluceat quædam libertas immutabilis voluntatis, ut supra dicebamus cum Augustino. Ad Jansenium vero quod attinet; & ipse tenetur asserere cum Bajo, omnem motum concupiscentiæ, & prava desideria, etiam necessaria, esse peccata; quoniam in his invenitur libertas à coactione, quam arbitratur sufficere ad meritum vel demeritum. Unde declinare tentans errores Baji parum sibi constat, figitque in eodem luto vestigia. At de prima thesis parte jam satis.

17. Quid non spectet ad essentiam libertatis.

Non spectare ad essentiam libertatis posse peccare ex dictis perspicuum est. I. Quoniam in Deo, in Angelis, & Beatorum animabus est vera libertas, cum sit respectu mediorum electio, dominium, & indifferentia, quæ liberi arbitrii constituunt naturam. II. Quoniam posse deficere non pertinet ad essentiam rerum, sed ad imperfectionem ipsarum. Hinc S. Pater de Civit. Dei cap. ultimo ait, *Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* III. Dæmones & damnati nequeunt bene agere, cum nec gratiam habeant, nec possint habere; & tamen consensu Theologorum peccant, eo-

quod

quòd habeant indifferentiam judicii, & libere eligant medium istud, aut illud, cum perverso fine tendentes in Dei odium, animarumque perniciem. Videatur Estius lib. 2. dist. 1. §. 5. ac lib. 4. dist. ult. §. 1. & Ludovicus Habert Tom. 1. pag. 698. Igitur ex oppositio Deus, Beatique Spiritus, qui peccare non possunt, nec summum bonum odisse, in iis, quæ rationem habent mediorum, liberrimi sunt, & mereri quoque possent, si essent beatitudinis expertes; quemadmodum promeruit Christus, qui peccare non poterat, hominum redemptionem. IV. Cum media non eligantur ratione sui, sed ratione finis, peccatum vero avertat à fine debito: si de ratione libertatis foret posse peccare, collatum esset singulare liberi arbitrii beneficium, ut possemus à recto fine deflectere. V. Ut ratiocinatur præterea S. Thomas 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. *Ita se habet liberum arbitrium in eligendis iis quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est enim quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas conclusiones procedere possit secundum principia data.* Sed quod intellectus in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, pertinet ad defectum intellectus. Quod ergo liberum arbitrium plura valeat eligere prætermittendo ordinem finis, attinet non ad essentiam, sed ad imperfectionem libertatis. VI. Insuper omne bonum creatum, quod in se inspectum, atque ut opponitur bono incommutabili, potest suapte natura deficere; quantum ad bonum ipsum incommutabile accedit, appropinquat ad plenitudinem essendi, ideoque non destruitur, sed roboratur atque perficitur. Liberum itaque arbitrium, quod sane ut creatum est ad malum sufficit, & in peccata prolabitur, dum summo vero, summoque bono ita adhæret, ut illud sua culpa nequeat amittere, non ditipitur, non evertitur, sed magis liberum est ac perfectum. VII. Postremo ne in re facillima nimium loquaces simus; liberi arbitrii objectum est bonum, nec in malum tendit, nisi quatenus illud induit speciem aliquam bonitatis. Electio quippe non est nisi boni, sive verum bonum sit, sive apparens. Ad liberum ergo arbitrium non pertinet ut indeterminate se habeat ad bonum vel ad malum, sed tantum ut possit actionem aliquam facere vel non facere; quoniam nulla facultas essentialiter illud respicit, quod non est per se illius facultatis objectum. Quod argumentum petitum pariter est ex Divo Thoma in 2. Sent. dist. 25. q. 1. art. 2.

Propositio III. Libertas indifferentiæ superius explicata requiritur etiam in statu naturæ lapsæ ad meritum vel demeritum. 18. Libertas indifferentiæ requiritur in statu naturæ lapsæ ad meritum vel demeritum.

Vellicat hæc propositio Jansenianos; hoc tamen loco est ponenda, cum sit præcedentium certissimum Consectarium; idcirco enim Jansenistæ contendunt ad meritum & demeritum non prærequiri libertatem indifferentiæ, quoniam hanc volunt ad naturam libertatis minime pertinere. Hoc falsum est, ut tanta argumentorum copia probatum est hactenus. Igitur ad meritum vel demeritum requiritur libertatis indifferentia. Ducuntur Janseniani alio principio, nimirum quod sub dominatu concupiscentiæ, atque sub gratia victrici non maneat in libero arbitrio reluctandi potestas. Atqui hæc potestas remanet, cum nulla propositio boni creati atque apparentis, nec etiam summi boni cogniti tantum abstractive, auferat indifferentiam judicii. Sunt ergo principia, & illationes Jansenianorum dogmatum fuco, verborumque laqueis fallacissime suta, præmissisque thesibus fracta, & discissa.

Refellitur ergo scitum Jansenianum primò Scripturis, quæ nobis delineant liberum arbitrium, quo meremur, tantam potestatem extendendi manum ad ignem & aquam, eamque potestatem opponunt necessitati, explanantque verbis optionem, dominium, ac vim electivam significantibus. Deinde definitionibus Tridentini decernentis esse in potestate hominis vias suas malas facere, & dissentiri si velit gratiæ excitanti. Ex Romanis quoque Pontificibus damnantibus tertiam propositionem Jansenii, & recensitos Bajanos articulos constituentes peccatum in iis etiam, quæ vitare non possumus, & opponentes libertati solam coactionem, & vim inferentem violentiam. Rejicitur præterea plenissimis Patrum suffragiis, & præclarissimi præsertim Augustini nullam statuentis in peccato naturalem necessitatem, nullamque in bonis operibus determinationem immutabilis voluntatis; demonstrantis autem contra Manichæos peccatum oriri à voluntate, non ut natura est, sed ut est potestas movendi se, motumque suum cohibendi; & adversus Pelagianos necessitatem gratiæ, cui potest resisti, & quæ minime tribuit non posse peccare, nisi videntibus Deum in se in corpore spiritali. Jansenianis insuper revincuntur ratio- 19. Refutatur doctrina adversariorum ex scriptura.

ratione ipsa, quoniam ubi est necessitas, nec vitium est, nec virtus, nec vituperium, neque præconium laudis: & locum ibi non habent præceptiones, hortationes, comminationes. Atque hæc omnia cumulatius supra contra Calvinianos demonstrata, nunc adversus Jansenistas illis affinitate erroris conjunctos in compendium, ne iterum eadem repetantur, redacta sunt.

20. Nec patrocinantur iisdem Patres.

Proferunt quidem illi testimonia plurima tam Patrum, quam veterum Scholasticorum affirmantium illud esse liberum, quod est à voluntate, nec patitur violentiam; sed hi aut liberum, dicunt, accipiendo principale *analogatum* pro genere, ut explicavimus in hujus capitis præmonitionibus; aut voluntatem contradistinguunt ab inclinatione naturali, quomodo observatum est prop. 1. in Augustino disputante cum Manichæis, & prop. 2. animadversionibus Beati Thomæ. Sunt enim tam perspicua & expressa, quæ in explicanda arbitrii libertate tradiderunt Ecclesiæ Patres, ut nonnulla, quæ alias forent ambigua, fiant prædidictorum comparatione planissima. Neque à Patribus dissentiunt Scholastici, ut vidimus ex illorum principe Divo Thoma. Huic autem cæteros omnes consentire demonstrant Jodocus Coccius Tom. 2. Thesauri lib. 1. art. 5. Boucat. Tom. 8. differt. 5. art. 3. prob. 6. & conferto stylo Tom. 5. à pag. 298. Nicolaus L'Herminier: quorum proinde recensere nomina, sententiasque subjicere esset temporis, operisque dispendium. Fixum est ergo, exploratum, certissimumque omne meritum esse ex libero arbitrio, liberum arbitrium esse potestatem agendi vel non agendi non affixam necessitati, necessitatem denique ac libertatem invicem pugnare.

21. Nec se defendunt vocabulis Scholasticorum.

Oportet tamen, ne usurpatis in Schola vocabulis obstrepant garruli, hæc etiam exponere. Si quærant à te, Estne ad libertatis essentiam necessaria libertas *contrarietatis*? Respondebis, accepta libertate *contrarietatis* quatenus est potentia eligendi unum ex duobus positiva contrarietate oppositis, scilicet bonum & malum; potentiam hujusmodi ad liberum arbitrium non pertinere, sed ad illud spectare tantummodo in quantum creatum est, nec ultimo fini hæret immutabiliter. Quare hæc libertas contrarietatis est in homine viatore non in Beatis, non in Christo, non in Deo, in quibus vera est libertas absque potestate peccandi. Si tamen duo media contraria sint, & neutrum dicat oppositionem ad ultimum finem, libertas contrarietatis est ad liberum arbitrium necessaria; quoniam electio mediorum servato ordine finis ad essentiam pertinet libertatis. Atque hæc libertas contrarietatis est in homine viatore qui eligere potest tam conjugalem statum, quam virginalem, & utrumque dirigere ad finem ultimum: est in Angelis, qui possunt corporibus contrarios motus imprimere, & sibi etiam invicem obsistere, non reluctando divinis mandatis, ut de Angelo Persarum ait Daniel: est in Deo, qui pro suo arbitratu humiliat & sublevat, percutit & sanat, ducit ad inferos & reducit, nunquam proprii nominis gloriam despiciendo.

22. Nam hæc intelligenda sunt in alio sensu.

Utuntur alio vocabulo Theologi, id est, libertatis *contradictionis*. Hæc ut à præcedenti distinguatur, non respicit positive contraria, sed agere & non agere, velle & nolle: & definitur libera potestas agendi vel non agendi. Atque hanc ad liberum voluntatis arbitrium requiri essentialiter, constat jam satis. Contingere tamen potest, ut voluntas sit determinata ad unam speciem boni, v. g. ad diligendum Deum, quomodo determinata est voluntas Beatorum, & erat ante mortem voluntas Christi; & nihilominus maneat indeterminata ad hunc actum vel illum. Qui enim Deum videt in se, est ad illum amandum determinatus immutabili necessitate, pollet autem sua libertate in actibus cæteris, qui versantur circa objecta indifferentia, & ab illa charitate, à qua nequeunt deflecti, imperantur. Ita Christus Patrem, quem necessario diligebat, orabat libere, & libere illi obtemperabat dando corpus suum percutientibus, & genas suas vellentibus. Promeruit hoc pacto, & operatus est hominum redemptionem cum potestate ponendi animam suam, ac perfectissima libertate. Consueverunt autem Theologi appellare eam libertatem, qua voluntas ad nullam speciem boni determinata est, libertatem *specificationis*: illam vero, quæ determinata est ad aliquam boni speciem, non ad hunc determinate actum, libertatem *exercitii*. Hanc postremam sufficere ad meritum ex eo constat, quod intercedat in actu istiusmodi liberi arbitrii potestas, indifferentia, & dominium.

23. Indifferentia liberi arbitrii non est mere passiva.

Propositio IV. Indifferentia liberi arbitrii non est mere passiva.

Redeo tandem ad Lutheranos fulmine prostratos à Tridentino sess. VI. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum nihil,*

nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. Apparet hujus Canonis veritas ex dictis: si enim persistit adhuc in nobis liberum arbitrium, & istud non est nisi facultas agendi, motumque habet diversum à lapide, & ab iis, quæ sunt ad unum determinata; certo certius potentia passiva non est, sed activa. Addamus tamen specialem aliquam confirmationem. Inclinare cor suum, laborare, Deo cooperari, exercere se ipsum ad pietatem, certare bonum certamen, sanctificare animam, est agere aliquid, non pati. Atqui liberum arbitrium præstat hæc omnia. Agit ergo, non patitur. Minorem probant verba Davidis Ps. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Apostoli in 1. ad Corinth. xv. v. 10. *Abundantius omnibus illis laboravi*, & in eadem Epistola cap. 3. v. 9. *Dei enim sumus adjutores*, Græce Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί, *cooperatores:* atque in 1. ad Timoth. 4. v. 7. *Exerce te ipsum ad pietatem*, in græco, γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς ευσέβειαν. Quis autem Gymnasii exercitamenta dixerit nil operantium? In altera ad Timoth. cap. 4. v. 5. & 7. scribit idem Apostolus; Σὺ δὲ νῆφε ἐν πασι, κακοπάθησον, *Tu vero vigila in omnibus, labora*, tanquam strenuus & assiduus miles nullis malis deterritus, ὡς καλὸς στρατιώτης Χριστοῦ Ἰησοῦ, additur in veteri Codice: & infra, *Bonum certamen certavi*, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸς ἠγώνισμαι. At strenui profecto milites, & bellatores, qui nihil agunt! In 1. denique Joan. cap. 111. v. 3. legitur, *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* Innumera sunt in scripturis loca istiusmodi.

24. Dicta confirmantur ex S. Augustino.

Ex Augustino autem plura addi possunt præter ea, quæ produximus priori propositione. Docet in 1. Retract. cap. 22. illud esse in nostra potestate, *quod cum volumus, facimus.* Itaque si nihil facimus, periit potestas arbitrii, quod jam ostendimus esse falsum. Rursus de Perf. Justitiæ cap. 19. *Præcepta*, inquit, *divina ut fierent non juberentur, si nihil ibi nostra voluntas ageret*, & infra, *voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur.* Sane cæmentarius præcipiens lapidi, ut ascenderet ad culmen ædificii, sive gerulo, ut adjuvaret progredientia surSum saxa, delirus esset ac stultus. Si ergo Deus præcipit, si nos adjuvat ad præcepta adimplenda; & nos certissime aliquid operamur. Deinde explicat S. Pater locis compluribus gratiæ energiam verbis Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*, dicens, *facit ut faciamus, agit ut agamus, &c.* Operatio ergo Dei non tollit. sed prævenit tantummodo, & adjuvat operationem arbitrii nostri. Postremo movens Deus creaturas, in eis secundum modum naturæ ipsarum operatur. Sensus & rationis expertes, ut ex earum fixa & invariabili determinatione colligitur, ita inflectit agitque ut contraniti non valeant. Ergo rationales creaturas præditas vita, sensu, & facultate intelligendi ac volendi adeo præmovet, ut etiam à se ipsis moveantur, atque, dum more agunt humano, percipiant, velint, & ex mediis indifferentibus eligant alterutrum. Cæteroqui saxum, truncus, aut stipes est homo; aut eorum aliquid, quæ ad unum sunt naturaliter derminata; & si quandoque prodigioso eventu motibus feruntur adversis, quomodo imperanti Deo, virisque Thaumaturgis ad fidei argumentum obediunt mare, venti, elementa, omniaque virtuti Dei subjecta, sunt tamen privata munere perceptionis & voluntatis. Quæ duo in nobis vigere conscientia propria experimur. Atque his de libero arbitrio pertractatis, additisque præceptionibus opportuno in loco dispositis, nil ad expletionem quæstionis supereSt, quam argumentationes contrarias dispungere.

CAPUT III.

Dissolvuntur Hæreticorum objecta.

SUMMARIUM.

N. 1. Usque ad 24. Solvuntur variæ objectiones.

1. Objectio 1.

Veniunt primo in aciem quadrato agmine cum Lutheranis Calvinistæ, ut probent Scripturarum Sanctarum phrases ita esse accipiendas, ut nihil viribus detur humanis, & doceatur quid in nobis fieri possit, non quid ipsi efficere valeamus. Ezech. inquiunt, xviii. 31. legitur: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Nunquid arbitrii nostri significatur istic operatio? Minime. Solus

enim Deus cor novum & spiritum novum operatur in homine, auctore eodem propheta XXXVI. 26. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum.* Ait Apostolus ad Philipp. II. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Num vires commendat arbitrii? At sequitur è vestigio: *Deus operatur in nobis velle, & perficere.* Scribit Joannes I. Epist. III. 3. *Qui habet hanc spem sanctificat se ipsum.* Sed in Evangelio cap. XVII. 17. Christus Patrem exorat, *Sanctifica eos in veritate.* Ex hac igitur verborum antithesi evincitur eo tantum sensu arbitrium operari, quia Deus operatur in illo. Ita argumentatur Hunnius in lib. de lib. arb. contra Photinum.

2. Objectio 2. Sunt hæreticorum aliqui tribuentes arbitrio actionem quamdam, per quam forinsecus se accomodat mediis, quibus Deus operatur hominis conversionem: at in ipsa conversione libera voluntas nihil penitus agit. Sunt enim, inquiunt, homines veluti organica instrumenta, quæ Deus pro suo libitu tractat. Sit in exemplo: Exodi XIV. 16. Deus inquit ad Moysen: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud.* Præcipitur Moysi ut findat aquas: nil ipse administrat præter organum illud externum, & aquarum divisio solius omnipotentiæ Dei actio est. Similiter præcipitur hominibus, *Convertimini ad me, vivite, mundi estote.* Quid autem homo? Exhibet Deo cor suum, tanquam mortuum, & inanime organum, & solus Deus illud innovat, vivificat, & convertit. Atque hoc pacto dicitur liberum arbitrium operari, ut dicitur virga Moysis divisisse aquas maris. Tribuuntur enim sæpenumero effecta causarum efficientium instrumentali, & organicæ.

3. Objectio 3. Lutherus autem in lib. de servo arb. horribiliora evomit. Scribit proponi nobis observantiam divinorum mandatorum apposita conditione, *Si volueris*, ut constat ex cap. XV. Eccles. vers. 14. Ex illa autem conditione inquit non probari liberum arbitrium; quemadmodum si dicatur, *Si Diabolus Deus erit, adorabitur*, minime infertur posse Diabolum in Dei naturam transire. Demum saltem in moralibus liberum arbitrium esse titulum sine re nituntur Heterodoxi fallaciter demonstrare Apostolica sententia in I. Corinth. cap. 15. v. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Hoc primum est hæreticorum argumentum, vel potius nugacissima elusio.

4. Respondetur ad primam objectionem. Cui respondemus ex præmissa sacrorum testimoniorum collatione demonstrari necessitatem præmotionis divinæ, primaque bonorum operum principia ei tribuenda, à quibus non disjungitur nostræ libertatis cooperatio. Facit ergo Deus in nobis cor novum, operatur velle & perficere, & sanctificat in veritate, quoniam inspirat sanctam delectationem, adjuvat volentes, justificat operantes. Divinis enim oraculis unum à nobis exigitur, alterum nobis offertur: offertur Dei misericordia, exigitur nostra obedientia. Atque ut Augustinus scribit de Prædest. SS. c. XI. quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate. Hinc de verbis Ezechielis scribit S. Pater eodem capite: *Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos eadem faciamus, & Deus facit ut illa faciamus; sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicitur, Ego faciam, ut faciatis. Locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere se facturum ut faciant, quæ jubet ut fiant.* Eadem est cæterorum locorum ratio. Ut ergo ex illorum antithesi demonstratur principium bonorum operum esse à Deo, ita commonstratur liberum arbitrium à Deo motum bona opera efficere: atque inde ex æquo probatur Dei gratia, hominumque libertas.

5. Ad secundam. Quod sequitur ineptissima argutatio est. Omnes quippe creaturæ sunt supremi Opificis instrumenta, omnesque ab eodem moventur; at unaquæque juxta modum naturæ suæ: si determinatæ sunt, determinate; si liberæ libere. *Lapides rationabiles sumus, & viva materies: sic nos Auctoris nostri extruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur*, inquit serm. 5. in Quadrag. Magnus Leo. Alio ergo motu divisum est ad Dei nutum mare rubrum; alio Moyses extendit manum, & virgam levavit, Mare expers rationis stetit natura auctori suo subiecta: Moyses præditus libertate jussa fecit libero arbitrio mandatis Domini sui obtemperante. Ita Spiritus Sanctus in nobis loquitur; ita Dominus dirigit gressus hominis: ita inclinat cor regis, nos movendo velut organum suum. *Verum id* (inquit Estius lib. 2. dist. 24. §. 15. ad 4.) *conditione instrumenti, quod est hominis rationalis.*

6. Ad tertiam. At cavillatio Lutheri videtur mihi hominis insanientis. Primo enim ea conditio *si volueris* non ad præceptum pertinet, sed ad mercedem. Deinde aliis in locis absolute asseritur liberi arbitrii potestas; ut Genes. 4. v. 7. & ipso Ecclesiastici

clesiastici loco: *Reliquit in manu consilii sui, & appositit ignem & aquam.* Præterea nonne insaniret, qui diceret surdo, Narrabo tibi lepidam historiam si volueris audire? Neque ad rem facit productum Diaboli exemplum futile, leve, putiscens. Conditionatæ enunciationes ex duabus compactæ sunt, quorum postrema habet à priori aut necessitatem, aut contingentiam. Si dixeris, *si homo est, rationalis est*, necessariam profers propositionem: dum ais, *si avis fuero, volabo*, enuncias rem impossibilem: dum vero inquis, *si ero incolumis ambulabo*, aliquid narras contingens; quoniam necesse est hominem esse rationalem; impossibile hominem esse avem: contingens hominem frui valetudine. Cum ergo in conditionatis enunciationibus ipsa conditio spectanda sit; in illa *si diabolus Deus erit, adorabitur*, enunciatur res impossibilis, quia impossibile est Diabolum esse Deum: atque in ista, *si volueris, servabis præcepta*, affirmatur aliquid possibile, quoniam possibile est te velle. Apostolus autem in prima ad Corinth. cap. xv. dicens: *Non ego, sed gratia Dei mecum* non excludit proprii liberi arbitrii operationem atque laborem, præmisit enim, *Abundantius omnibus illis laboravi*: sed tribuit divinæ gratiæ partes potissimas appositè usus particulâ *mecum* σὺν ἐμοὶ, ne liberi arbitrii vires arbitrareris extrusas. Mitto sententias Patrum ac Theologorum affirmantium per gratiam trahi invitos & reluctantes, & prædeterminari actus nostros. Hæc quippe dicta esse, in quantum Deus per inspirationem sanctæ dilectionis ex nolentibus volentes facit, atque charitate sua præstat ut delectet quod antea non delectabat, & in quantum sancta delectatio vincit vividiori boni cupiditate adversantem mali concupiscentiam, nulla illata necessitate libero voluntatis arbitrio, quod naturali determinatione non fertur nisi in bonum in communi & in summum bonum in se inspectum, ideoque prædeterminatio gratiæ spectat infallibilitatem actus, non tollit indifferentiam arbitrii: hæc inquam mitto, cum fuerint explicata de H. Pelag. capite octavo, & sequentibus.

7. Objectio 4. Solvitur. Deinde arguunt Hæretici, saltem peccatores servos esse peccati, atque agi à dæmone captivos ita, ut ipsius voluntati nequeant reluctari. Quod diserte affirmat Joannes cap. VIII. v. 39. *Omnis qui facit peccatum servus est peccati*, & Apost. 2. ad Tim. 2. v. 26. *Resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Est autem habere captivum quasi *vivum capere.* Hinc Lutherus titulum fecit libro *de servo arbitrio*, quoniam non remanet sub peccato sui juris, & Dominus suorum actuum. = Respond. pluribus titulis peccatores dici servos, 1. quia servus non manet semper in domo, ut ibidem notat Evangelista. 2. quia addictus est operibus peccati, ac Diabolo servit suæ tamen voluntatis libertate. 3. quia nisi liberetur gratia Christi, nequit bene agere, etiamsi eligendo ad pravum finem media quæ cadunt sub indifferentiam judicii, libere peccet, ac possit etiam peccatum omittere, imo auxilio divinæ gratiæ à via mala reverti & resipiscere. *Non solum potest homo habere charitatem qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem qua sit arbor mala: sed cupiditas hominis, quæ vitium est, hominem habet auctorem vel hominis deceptorem, non hominis creatorem;* inquit Augustinus de Grat. Christi cap. 20. Insita igitur charitate, quæ est radix bonorum operum, est voluntas arbor faciens fructus bonos, & est serva justitiæ: prædominante cupidine, quæ est radix operum malorum, est arbor faciens fructus malos, & fit serva peccati. Hæc sunt à me posita, quoniam nonnulli ex nostris, ut similia solvant, ex hoc Augustini libro citant verba Pelagii cap. 18. *Habemus possibilitatem utriusque partis à Deo inditam, velut radicem quamdam fructiferam, & fœcundam; quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat; quæque possit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Videatur Nicolaus Girken Tom. 2. Tract. 1. q. 3. dub. 2. ad 1. ob. Revera autem hæc sunt verba Pelagii, & radix fructifera non est ex nobis, quia charitas ex Deo est. Si dicas: Non potest arbor mala fructus bonos facere, ut ex Evangelio ait ibidem Augustinus; respondemus malam arborem esse, in qua est sola radix cupiditatis; & ex cupiditate nequit produci fuctus bonus, quemadmodum ex charitate produci nequit fructus malus. Nihilominus arbor mala cum sola cupiditate potest non producere fructus malos, & insita charitate potest producere fructus bonos. Quamobrem Augustinus in libero arbitrio destituto, ut autumabant Pelagiani, divina gratia non ponit necessitatem peccandi, sed adstruit necessitatem gratiæ, ut liberetur à servitute peccati. Peccatores vero obcæcati dicuntur captivi, non quod voluntate Diaboli impellantur in malum indeclinabili necessitate, sed quoniam gratiam Dei pessundantes continuo, aut quamfre-

quen-

quenter pravis suggestionibus assentiuntur; nec respiscunt, nisi beneficentissima Dei voluntate conferatur eis gratia victrix, quam dura corda non respuunt. Ita in textu Apostoli 2. ad Timoth. cap. 2. ea verba *Ad ipsius voluntatem* significant peccatores hujusmodi pœnitentiam acturos, si Deus voluerit illis efficacem gratiam largiri: quod constat tum ex scopo Apostoli hortantis Timotheum ut resistentes veritati corripiat, quia forte Deus eis dabit pœnitentiam; tum ex græco textu, in quo demonstrat variatio pronominis Dei voluntatem significari, non Diaboli: ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, εἰς τὸ ἐκείνε θέλημα.

8. Refertur Doctrina Jansenianorum.

Audiendi sunt modo Jansseniani. Illud, inquiunt, est in potestate voluntatis, perfecte liberum, & sufficiens ad meritum, quod facimus cum volumus: At dummodo operemur cum sola libertate à coactione, volumus operari. Sola ergo libertas à coactione sat est, ut opus sit perfecte liberum in nostra voluntate, atque patratum cum merito. Probant majorem 1. Auctoritate Sanctorum, 2. Doctrinis Theologorum. 3. ab exemplis: 4. Ratione ipsa. Sanctorum auctoritas sic se habet. Sanctus Pater Augustinus cap. 105. Ench. *Voluntas*, inquit, *aut voluntas non est, aut libera dicenda est*, In 3. de lib. arbitrio cap. 3. *Voluntas nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* De Civit. Dei lib. v. cap. 10. *Necesse est, ut quod volumus libero velimus arbitrio.* De natura & gratia cap. 46. *Perquam absurdum est non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omino nolle non possumus.* Quibus verbis rejicit eam sententiam Pelagii. *Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur.* Igitur juxta Augustinum stat cum potestate ac deliberatione arbitrii illud etiam quod necessitate patratur, & sufficit ad rationem liberi quod sit voluntarium. Atque id vidit optime S. Thomas q. 22. de veritate art. 1. scribens: *Libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Hoc est ergo placitum Augustini. Nec repugnant PP. alii. Divus enim Prosper S. Augustini discipulus, & pro Christi gratia strenuus decertator cap. 18. adv. Collatorem definit liberum arbitrium *rei sibi placitæ spontaneum appetitum.* Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 14. *Arbitrii libertas nihil aliud est quam voluntas.* Sanctus quoque Bernardus cap. 1. 2. & 4. de lib. A. docet *ibi libertatem esse ubi est voluntas, & manere libertatem voluntatis etiam ubi est captivitas mentis.* Hæc & similia complura evincunt quænam sit Patrum de libertate arbitrii sententia.

9. Ac probatur.

Progreditur in præsentia novorum Dogmatistarum argumentatio ad Scholasticorum, alias magnopere floccifactum, adsciscendum sibi patrocinium. Nam S. Thomas q. 10. de Potent. art. 2. docet quod *naturalis necessitas secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat.* In 3. Sent. dist. XVIII. art. 2. docet, *liberum arbitrium Christi etiamsi determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen in hoc non amisisse libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte sed sponte tetendit, & ita fuit actus sui Dominus.* Etiam Scotus docet actum beatificæ visionis in Christo meritorium fuisse, & voluntatem semper habere modum sibi proprium causandi libere, à naturali operatione distinctum. Videatur Tom. 12. quæst. quodlibeto 16. Scholasticorum aliorum, qui liberum arbitrium describunt per solam libertatem à coactione, innumera loca Jansenius profert lib. VI. de Gratia Christi. Accedit ergo Patrum auctoritati etiam Scholæ pro dogmate Jansseniano suffragium.

10. Diversimodè.

Exempla idem confirmant. Deus enim se ipsum necessario amat, & Pater & Filius naturaliter sunt unum Spiritus Sancti principium. In Deo tamen veram libertatem esse, Augustinus non semel scribit contra Julianum, & impium foret id denegare. De Christo nemo ambigit quin nobis promeruerit redemptionem, etiamsi peccare non posset. Nos libere amare felicitatem, quam odisse non possumus, est doctrina expressa Augustini in V. de Civit. Dei cap. 10. & D. Thomæ Q. 24. de Veritate art. 4. Angelos jam incommutabili bono adhærentes nativa libertate non fuisse privatos res loquitur ipsa: nam beatitudo naturam perficit, non interimit. Igitur nec desunt novis Dogmatistis documenta exemplorum.

11. Refutatur quoad adductas authoritates.

Suppetiatur eis ipsa ratio. Quælibet divisio est universalis rei in *species*, sive inferiora, quibus inest essentialis illius generis ratio intima. Nemonon meminit libertatis à coactione, & libertatis indifferentiæ, tanquam duorum, in quæ scinditur amplum istud nomen *Libertas*. Utraque ergo, tam libertas indifferentiæ, quam libertas à coactione participat veræ libertatis naturam. Deinde libertas est proprietas rationalium, atque mentis

tis perceptionem comitatur. Erit ergo libertas perfectior, ubi perfectior erit cognitio: Perfectiorem autem cognitionem illam esse, quæ immutabilis est, neque errori subjicitur, puto adeo esse compertum, ut nequaquam sit opus quæsito. Habent hujus generis argumenta in libris Jansenistarum innumerabilitatem. Itaque his quatuor, videlicet dictis Sanctorum, placitis Theologorum, comparatione exemplorum, pondere argumentorum evincitur in homine lapso veram propriissimamque libertatem consistere per solam immunitatem à coactione.

Hydram hanc sese tali ausu erigentem statutis præcedenti capite nihil negotii est concidere atque obtruncare. Principio expediamus Patrum pronunciationes. De Augustino diximus supra, disputantem cum Manichæis accepisse voluntatem, ut contradistinguitur à natura, sive ut est liber ad faciendum, & ad non faciendum animi motus, ut est potestas movendi se, & cohibendi motum suum, ut est facultas animi quæ deliberatione huc atque illuc fertur, quemadmodum inquit de lib. arbitrio lib. 3. cap. 3. & de duabus Animabus cap. 12. & 13. Adversus autem Pelagianos idem confirmat, ita tamen; ut simul necessitatem prævenientis gratiæ commonstret, refutando etiam decretum alterum Pelagianum, necessariam esse ad essentiam liberi arbitrii indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum; unde consequeretur Deum, qui peccare non potest, nullatenus esse liberum. Ad 1. ergo respondetur, verissimum esse quod voluntas nunquam vult nisi libere, si accipiatur ut contradistinguitur à natura, sive ut est electio mediorum; tametsi necessario velit ut natura est, sive ut naturali instinctu fertur in finem ultimum, & appetit propriam beatitudinem. Quod planum fecimus supra verbis D. Thomæ: cui & consentit Ægidius noster in 2. dist. 25. art. 4. Idem tradit S. P. in 3. de lib. arb. cap. 3. nam ibidem potestatem voluntatis opponit necessitati, & voluntarium appellat, quod potest cohibere motum suum, affirmans, quod si necessitate iste motus existeret, nulla esset ratione culpabilis. Et quidem si, quidquid alicui est voluntarium, esset sub potestate & dominio illius, non scriberet Augustinus 1. Retract. cap. 22. *Cum potestas datur, non necessitas imponitur*: non affirmaret S. Thomas 1. p. q. 82. art. 1. *electionem non esse de fine, sed de his quæ sunt ad finem; unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus*: non damnasset Ecclesia 67. propositionem Baji; *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit*. Quid plura disputo? Non esset vera Christiana fides de Spiritus Sancti divinitate, quoniam esset sub dominio & potestate Patris & Filii, à quorum voluntate sine ulla coactione procedit. At de Civit. Dei cap. 10. libri v. & de nat. & grat. cap. 46. S. Pater affirmat stare libertatem quoad exercitium, etiamsi voluntas sit necessitata quoad *specificationem*; idque contra eos, qui ad libertatis essentiam requirunt indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum. Ita, etiamsi appetimus beatitudinem necessitate, quoniam naturali instinctu non possumus nolle esse beati; nihilominus hoc, vel illud medium ad consecutionem beatitudinis cum indifferentia judicii eligimus: & Deus qui peccare non potest, habet tamen comparate ad creaturas plenissimam libertatem. Hoc pacto libertas voluntatis ut fertur ad finem ultimum opponitur duntaxat violentiæ; sed libertas arbitrii, quæ est circa electionem mediorum, repugnat etiam necessitati. Quod & vidimus supra ex D. Thoma 1. p. q. 41. art. 2. & colligitur ex eodem Augustino cap. 47. de nat. & grat. ubi è vestigio sese explicat petita à sensibus comparatione; in quorum exercitio docet apparere voluntatis potestatem, in qua est non videndi possibilitas, quoniam in potestate nostra est non videndi necessitas. Atque hæc non videndi necessitas in potestate nostra est, *quia in potestate est cæcitas, qua idipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus*. Quamobrem sicut non foret in potestate nostra possibilitas videndi, nisi possemus illam nobis adimere; ita non est in nostra potestate velle quoad *specificationem* felicitatem, quia non possumus naturalem illius instinctum penitus in nobis extinguere. Atque hoc pacto expediuntur alia complura, quæ ex Augustino nimia confidentia depromunt Jansseniani.

12. Ac explicantur SS. Patres.

Reliqui autem Patres, dum libertatem describunt per *spontaneitatem*, & motum animi immunem à coactione; vel tradunt definitionem libertatis inadæquatam, veluti cum dicimus hominem esse terrenum animal: vel coactionem accipiunt non solum pro violentia, quam ab extrinseca causa interdum patimur, sed etiam pro necessitate, cui voluntas subjici potest interius: vel demum delineant nobis voluntatem quatenus naturali instinctu fertur in ultimum finem, non ut eligit

eligit prò suo arbitratu media ad finem assequendum. Quæ generalis responsio singulos elidit adversariorum cavillos. Sunt nihilosecius quædam specialiter observanda. Beati Prosperi contra Collatorem verba hæc sunt: *Liberum ergo arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, & vilescentibus felicitatis suæ præsidiis insanam cupiditatem, & experientiam prævaricationis intendit, bibit omne vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit.* Describitur nobis liberum arbitrium Adæ, quod pollebat, Jansenistarum assensu, plenissimâ indifferentiâ, nec sub dominatu concupiscentiæ captivus, nec sub victrici gratia addictus necessitati. Os ergo Jansenius, ejusque gregarii perfricuerunt, quando pinxerunt nobis ex Prospero liberum arbitrium in sola *spontaneitate* exclusâ penitus indifferentiâ. Eandem rem esse liberum arbitrium, ac voluntatem scripsit rectissime Damascenus, accepta voluntate, ut est potestas agendi vel non agendi, non ut natura est, ut supra cum Augustino, & Scholæ luminibus explicavi. Enimvero de Fide Orthodoxa cap. 26. secundi libri ait Damascenus in nostra voluntate sita esse, *quorum liberam habemus potestatem, ut, aut ea faciamus, aut non faciamus.* Bernardus pariter cap. 1. de Lib. arbitrio, dum libertatem definit, *Habitus animi liber sui, siquidem non cogitur neque extorquetur*, usurpat *cogendi* verbum ut opponitur etiam necessitati, additque statim, *Est quippe voluntatis, non necessitatis.* Capite autem IV. Doctor Mellifluus describens libertatem Dei per solam exclusionem extrinsecæ necessitatis; illam profecto explicat, quatenus est motus animi volentis circa finem, non quatenus respicit media; ostendens in iis eligendis liberum Deum esse sine potestate peccandi, qua libertas premitur, non permitur. Qua explicatione consimilia aliorum Patrum verba à nobis excipiuntur.

13. Præcipuè S. Thomas.

Auctoritatem D. Thomæ non est cur tam confidenter aucupentur Janseniani. Ille namque, ut vidimus, liberum arbitrium non agnoscit nisi in electione mediorum; & ubicunque affirmat opponi libertatem necessitati coactionis, non naturalis instinctus, demonstrat naturam voluntatis, ut fertur absque violentia causæ exterioris in finem: quod fieri docet sine libero arbitrio. Quod scripsit in tertio Sententiarum dist. 18. Christum promeruisse, quoniam operatus est non coacte, sed sponte: accipiendum est hoc sensu; tametsi non poterat Christus peccare & deflectere à fine ultimo, in quem ferebatur sola libertate *spontaneitatis*, promeruit tamen, quoniam absque libertate *specificationis* stat libertas exercitii, & cum determinatione finis stat deliberatio, & electio erga media. Nam D. Thomas quadratis verbis se ipsum explicat eadem distinctione, eodemque art. ad 5. *Dicendum quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus; scilicet ad bonum, quia ad malum non potest.* Nonnulla addere ex aliorum sententia, animadvertit Anton. Massouliè disp. 1. q. 3. & longe antea Salmanticenses Tract. XXI. disp. XXVII. dub. 3. Dirimit quæstionem, omnemque ambiguitatem tollit 3. parte Summæ q. XVIII. art. 5. in Corpore. *Dicendum*, inquit, *quod sicut dictum est, in Christo fuit duplex actus voluntatis, unus quidem quo ejus voluntas ferebatur in aliquid sicut secundum se volitum, quod pertinet ad rationem finis: alius autem, secundum quem ejus voluntas ferebatur in aliquid per ordinem ad aliud, quod pertinet ad rationem ejus, quod est ad finem. Differt, ut Phil. dicit in 3. Eth. electio à voluntate in hoc, quod voluntas per se loquendo est ipsius finis, electio autem eorum, quæ sunt ad finem. Et sic simpliciter voluntas est idem, quod voluntas ut natura. Electio autem est idem, quod voluntas ut ratio, & est proprius actus liberi arbitrii, ut in 1. p. q. 83. art. 2. dictum est. Et ideo cum in Christo ponatur voluntas ut ratio, necesse est etiam ponere electionem, & per consequens liberum arbitrium, cujus actus est electio.* Quid quæritas manifestius, Janseniane? Convelluntur hinc exempla 3. loco producta: siquidem Deus diligendo se ipsum, Pater & Filius spirando divinum Flamen, Beati summo bono adhærentes, & quilibet homo amando felicitatem nullam patiuntur necessitatem & liberi sunt libertate naturæ, qua voluntas fertur in finem; non libertate electionis, qua respicit media: hæc autem libertas, non illa, constituit essentiam liberi arbitrii. Scotus ideo existimavit Christum per actum beatificæ visionis promeruisse, quia opinatus est non fuisse illi omnimode necessarium: at ad liberum arbitrium existimasse necessariam indifferentiam, constat ex iis, quæ habet L. primo sent. dist. 39. & dist. 25. q. unica, nec non in 2. dist. 6. q. 2. Verum tamen est, quod Scotus distinguens

guens *formaliter* à natura voluntatem docet nunquam voluntatem ipsam operari nisi libere, ac propterea Spiritum Sanctum libere procedere à Patre & à Filio, non naturaliter; propterea quod nequeat idem principium simul aliquid producere necessitate & libertate. Quod subtilis Doctor scripsit in 3. sent. dist. 10. in Reportatis, & XVI. Quodlib. At frustra hæc Jansenius interpretatur de libertate arbitrii sufficiente ad merendum, & quam voluntas in mediis eligendis exercet. Et longe probabilior est illorum Theologorum sententia, qui probant Spiritum Sanctum produci naturaliter, & non libere, & respondent Scoto, non repugnare voluntatem Dei esse liberam ac necessariam respectu diversorum connotatorum, formali illa distinctione sublata. Atque hoc pacto Deus necessario vult infinitam suam bonitatem, & libere vult creaturas; ut demonstrat adversus Scotum Gregorius Ariminensis in 1. dist. x. q. 1. art. 2. hujusque doctrinam, quantum spectat ad distinctiones, amplectimur. Ex quibus manifeste deprehenditur aut dolus, aut oscitantia Jansenistarum in captando sibi patrocinio veterum Scholasticorum.

14. Rejiciuntur eorum rationes.

Evanescunt ex dictis positæ ultimo loco ratiocinationes. Divisio namque libertatis in libertatem à coactione, & libertatem indifferentiæ, non est divisio libertatis arbitrii, sed voluntatis, ut fertur absque ulla violentia in debitum sibi finem, atque ut eligit sine necessitate conducentia ad illum media. In electione autem mediorum suammet libertatem exercet arbitrium; nam in finem trahitur naturæ instinctu, qui liber appellatur in quantum non est invitus, sed exoritur à voluntate; non propria & *univoca* participatione libertatis, sed *analogica*. Quod proxime sequitur, habet similiter facillimam solutionem. Ratio & perceptio voluntatem antecedit, quoniam, ut in proverbio positum est, *nihil est volitum quin præcognitum*: ideoque libertas est proprietas rationabilium. Quemadmodum vero voluntas naturaliter trahitur in summum bonum, si illud videatur intuitive, in bona autem reliqua fertur indifferenter; ita intellectus in bono illo summo, & per lumen gloriæ proposito nequit apprehendere speciem aliquam mali, quæ potest in bonis reliquis deprehendi. Ratio itaque universaliter accepta infert motum animi voluntarium, non liberum. Ut liber sit, debet à ratione prodire judicium indifferens. Alii distinguunt inter rationem ut *lux* est, ostendens objecti bonitatem; atque ut *dux* est, illam trahens indifferenter ad bonum complectendum. *Lucem* itaque rationis præcedere dicunt actum quemlibet voluntarium: *ductum* vero anteire actui libero & contingenti. Erit hæc distinctio, si lubeat illam probare, penes connotata, ita ut ratio sit *lux* comparate ad bonum in communi; sit *dux* liberi arbitrii respectu bonorum particularium. Cum perfectiori denique notitia stat perfectior libertas, in quantum ex mediis indifferentibus eliguntur absque periculo erroris quæ non deflectunt ab ordine finis. Igitur neque sententiæ Patrum, neque opiniones Scholæ, neque summi Dei, Sanctorumque impeccantia, neque rationum diluendarum exornatio affert Jansenianis decretis aliquid adjumenti.

15. Objiciunt ulteriùs authoritatem S. Augustini.

Pergunt objectare Jansenistæ. Tradit in locis compluribus Augustinus culpa primi hominis arbitrii libertatem fuisse peremptam. Libertas autem primi hominis erat libertas indifferentiæ. Hæc ergo libertas post Adæ prævaricationem deperiit. Demonstratur major ex iis, quæ habet S. Doctor in Enchirid. ad Laurentium cap. xxx. *Libero arbitrio male utens homo & se perdidit, & ipsum:* & in Epistola ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Idem repetit S. Pater in lib. de Perf. Justitiæ cap. 14. lib. XIV. de Civit. Dei cap. 11. De corrept. & grat. cap. 12. in 1. Op. Imperf. contra Julianum num. 117. Quemadmodum Jansenius ex his Augustini locis dogmati suo auctoritatem emendicat; ita immoderatus Criticus, Pelagiique *Hyperaspistes*, uti à Lamindo Pritanio, id est, Ludovico Muratori, appellatur, Jo. Phereponus impingit Augustino enormem sublatæ libertatis sententiam Animadversionum pag. 579. & 618.

16. Quæ objectio repellitur.

Respond. dist. ma. Tradit sæpenumero S. Pater primi peccati granditate periisse libertatem à peccato, & à miseria, robustam scilicet potestatem habendi plenam cum immortalitate justitiam, & originariam arbitrii perfectionem, nulla carnis adversus spiritum pugna labefactatam, propter quam non fit homo liber justitiæ, nisi gratia opitulante, de qua gratia adversus Pelagianos idem S. Pater productis à Jansenio, & Pherepo-

no locis ſtrenue pugnavit; concedo. Docet Auguſtinus peccante Adamo deperditam libertatem ab antecedenti neceſſitate, & naturalem voluntatis facultatem agendi vel non agendi, qua poteſt ſe ipſa mala quælibet deliberate patrare, & per gratiæ adjutorium etiam bona, ſuamet deliberatione atque electione, ideoque poteſtate, dominio, ac pleniſſima libertate; nego majorem propoſitionem. Atque hanc mentem eſſe Auguſtini præcedenti cap. demonſtravi, plura proferens quibus magnus Gratiæ Defenſor plane, perſpicue, & absque ulla ambiguitate verborum profitetur ſe non habere quæſtionem cum Cœleſtianis quod liberum arbitrium deſtruerent, ſed quod originale peccatum, concupiſcentiæ pœnam, divinarumque gratiarum tollerent neceſſitatem. Solam ergo libertatem periiſſe, quæ fuit in paradiſo, à bellicoſa cupiditate, ab ignorantia cæterisque animi vitiis, S. Pater in ſuis adverſus Pelagianos velitationibus aperte declarat. Quare, ut dixi etiam in lucubratione de Arbitrio primi hominis lib 3. cap. 10. labitur ſupino errore Arminianus Phereponus ubicumque ſcriptitat eſſe Auguſtinum hoſtem apertiſſimum libertatis. Et quamquam de mente illius ſatis ſuperque diſſerui; addam aliquid gratia explicationis. In unaquaque re diſtingui debet natura à recta, pravaque affectione. Aliud eſt enim hominem eſſe animal ſenſu ac ratione præditum; aliud vero eſſe ſanum, aut infirmum. Ita non idem eſt voluntatem eſſe liberam, ac eſſe affectam bona vel mala cupiditate. Semper homo eſt rationale animal, at non ſemper fruitur integritate valetudinis. *Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona;* inquit Auguſtinus de Gratia & lib. arbitrio cap. 15. Sanitas corporis eſt talis habitudo & temperatio, per quam ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus. Bona voluntas eſt, quæ inter incommutabile, & fluxa bona tenet rectum ordinem, ut illi tantum adhæreat. Defectus illius temperamenti hominem reddit infirmum: & defectus hujus ordinis malam reddit voluntatem. Non habet homo infirmus poteſtatem ambulandi, qua ſanus pollebat, egetque ſingulari medicamento: caret mala voluntas poteſtate diligendi ſummum bonum caſte & inculpate, abitque poſt deſideria carnis ſuæ, niſi illam ſanet & retrahat gratia Chriſti medicinalis. Errant ergo in percipiendo liberum arbitrium quamplures, propterea quod inter libertatis naturam, ejusque integram valetudinem, atque infirmitatem diſtinguere ignorant, vel diſſimulant; ut ſapienter præmonuit Richardus Victorinus lib. de Erud. Inter. cap. 30. Hujusmodi ſunt Pelagiani, & Arminiani, inſulſe & imperite argutantes: Si periit ob Adæ peccatum poteſtas bene agendi, periit libertas; aut ſi hæc viget adhuc, habet quisque in ſe bonorum operum poteſtatem. Quæ conſecutio non minus fallax eſt, quam iſta, Si deperdita eſt integritas valetudinis, interiit natura rationalis: nam ut ſanitas corpori, ita rectitudo libertati eſt quædam qualitas accidentaria. Itaque Auguſtinus Pelagianos exagitans ait, *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: utique liberi ad bene juſteque vivendum.* Addit libero arbitrio tribuendam non eſſe bene vivendi poteſtatem; *cum hæc poteſtas non detur, niſi gratia Dei.* Hæc S. Pater lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 2. & 3. Eandem diſtinctionem libertatis, & poteſtatis expeditæ ad recte juſteque vivendum innuunt aperte cæteri Africani Patres in Epiſt. ad Innocentium nunc inter Auguſtin. 177. his verbis: *Satis apparet quod ad non peccandum, id eſt ad non male faciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficiat, niſi adjuvetur infirmitas.* Quæ omnia ut uno verbo comprehendam, dico ſapientiſſimum Auguſtinum recte contra Gratiæ inimicos affirmaviſſe amiſſum liberum voluntatis arbitrium quantum ad vires in origine ſuæ creationis acceptas, non quantum ad libertatis naturam.

17. Nova objectio.

Inſuper Janſeniſtæ argutantur. Si perſiſteret adhuc indifferentia libertatis, locum haberet etiam in hoc infirmitatis ſtatu definitio illa peccati ab Auguſtino tradita: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Atqui hæc definitio in præſenti ſtatu non valet. Non ergo liberum eſt jam abſtinere à peccatis, ſed unusquisque dum peccata committit, neceſſario in illa abripitur noxiis ac pugnacibus cupiditatibus. Prob. min. 1, quoniam S. Auguſtinus lib. 1. Operis Imperf. n. 44. ait: *Hic*

Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. Et num. 47. *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur.* Quod repetit num. 104. & 1. Retract. cap. 15. Deinde D. Pater manifesto necessitatem adstruit peccandi scribens eodem lib. 1. Operis Imp. contra Julianum num. 105. *Multum erras, qui necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. Si enim necessitas nulla peccandi est (ut omittam vim mali ejus quod originaliter trahitur, hoc enim nullam esse vos vultis) quid patiebatur, quæso, qui secundum vestrum sensum tanta mole pravæ consuetudinis premebatur, ut diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago?* Et proximo num. 106. *Necesse est*, inquit, *ut peccet à quo ignoratur justitia. quid ideo cum justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit?* Præterea cum S. Pater peccatum dividat in illud quod peccatum est, ut fuit Adæ prævaricatio, in illud quod est pœna peccati, ut concupiscentia & ignorantia, & in illud quod utrumque est, scilicet peccatum simul & pœna peccati, ut originalis noxa parvulorum; etiam in secundo illo genere veram rationem peccati inesse fatetur, ita, ut mala quæ fiunt premente cupiditate, vel obcæcante ignorantia, etiamsi iis voluntas nequeat reluctari, culpæ habeant imputationem. *Qui cogenti cupiditati* (ait S. Pater 1. Retract. cap. 15.) *bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.*

18. Solvitur. Resp. ad 1. traditam peccati definitionem etiam in hoc statu valere cum duplici tamen exceptione; una est, quod in ea non comprehenditur originale peccatum, à quo, cum contrahatur propagatione naturæ, liberum non est ex Adamo progenitis abstinere; altera autem exceptio est, quod etiam in peccatis actualibus non est illa libertas sana, pugnisque concupiscentiæ nullatenus lacessita, qua libertate cecidit primus homo. Hanc esse mentem Augustini liquet ex his, quæ habet eodem lib. 1. Operis Imperf. num. 47. *Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus nullo prorsus vitio depravatus adstabat.* Quare retorquetur contra Jansenianos eorundem argumentatio. Tametsi enim Augustinus percellens Julianum bene ac sapienter demonstrat dari peccatum, à quo liberum non est abstinere, nisi comparate ad illam voluntatem à qua primo descendit, id est peccatum originarium; atque in posteris Adæ agnoscit vitium luctamque concupiscentiæ, quæ illius peccati pœna, aliorum incitamentum est, ideoque ab Apostolo, à Tridentina Synodo, ab ipsomet Augustino appellatur peccatum; nihilo tamen minus docet S. Pater, multa, id est actualia quæque peccata, quæ nobis ad culpam suppliciumque imputantur, fieri ab hominibus, iisque ab hujusmodi peccatis liberum esse abstinere. Ergo Augustinus traditam olim peccati definitionem etiam in hoc infirmitatis statu, prænotatis contra Pelagianos exceptionibus, locum habere definit. Ad ea igitur quæ priori loco ad probationem minoris fuere producta, dico S. Patrem respondere Juliano objicienti nullum dari peccatum originale, cum illud parvuli vitare non possint suamet libertate, quod libertas necessaria quidem est ad peccata actualia, at ad originale satis est, quod fuerit liberum originaliter, hoc est voluntate primi hominis, in quo omnes præextiterunt. Quamobrem allatam peccati definitionem ita confirmat, ut in peccato quod est simul pœna peccati, quale est originarium, sufficiat fuisse liberum in voluntate primi parentis. *Proinde* (inquit memorato lib. 1. contra Jul. n. 47.) *originale peccatum nec ad illud pertinet quod primo loco posuimus, ubi est voluntas malum operandi, unde liberum est abstinere, alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio; nec ad illud quod secundo commemoravimus, de peccato enim agimus, non de pœna quæ non est peccatum, quamvis peccati merito subsequatur: quam quidem patiuntur & parvuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum; non tamen mors corporis ipsa peccatum est, vel corporalis quicunque cruciatus: sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & pœna peccati. Origo tamen etiam hujus peccati descendit à voluntate peccatoris. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt, &c.*

19. Solvuntur Objectiones. Quibus non solum priores minoris probationes solutæ sunt, sed etiam iisdem revincuntur dogmata Janseniana. Enimvero quemadmodum origo actualium peccatorum est uniuscujusque voluntas, ita origo peccati originalis est voluntas Adami. At si Adamo liberum non fuis-

set abstinere à peccato, non contraheretur à posteris peccatum originale. Ergo à nullo hominum committi poterunt actualia, nisi ab iis abstinere sit liberum unicuique. Hujus vero argumenti firmitas magis magisque paret ex 1. Retract. cap. 15. ubi recensitis verbis quæ scripserat cap. 12. de duabus Animabus, *Illæ animæ quidquid faciunt si natura, non voluntate faciunt, id est si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus:* his inquam recensitis ait S. Doctor istiusmodi sententiam nullatenus opponi originali parvulorum peccato, *Quia*, inquit, *ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero & ad faciendum, & ad non faciendum, motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat.* Quibus satis manifeste S. Pater in actualibus peccatis illam indifferentiam libertatis agnoscit, qua non carebat primus homo, cujus origine reus quisque ante regenerationem tenetur. Propterea scripsi cap. præced. Augustinum in primo Retract. cap. 15. traditam alibi definitionem peccati minime reprobasse.

20. Jansenianæ. At quæ secundo loco proferebantur de necessitate peccati, solvuntur facile si animadvertas peccatum aliquando accipi pro macula quæ animam reatu obstringit, quo sensu appellatur *debitum* Matth. VI. 12. & Lucæ XI. 4. nonnunquam pro pœna peccati, ut Genes. XIX. 15. *Ne tu pereas in scelere civitatis*, & Ps. VII. 17. *In verticem ipsius iniquitas ejus descendet*: interdum etiam pro vitio & mala animi habitudine, sive inclinatione ad peccandum, de qua Apostolus ad Rom. VII. 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Quod Augustinus explicat in tertio de lib. Arbitr. n. 54. sequenti comparatione, *Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod ejus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: sic non solum dicimus illud peccatum quod proprie vocatur peccatum, sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Mitto aliam suppositionem peccati pro sacrificiis & oblationibus, quo sensu legitur Oseæ IV. 8. *Peccata populi mei comedent*; id enim ad præsens institutum nihil confert. Itaque Augustinus ubi de originali peccato disputat, affirmat peccatum vere ac proprie esse, debitumque damnationis afferre, etiamsi necessitate quadam trahatur; quoniam ad peccatum hujusmodi, quod simul peccatum est & pœna peccati, sat est liberum fuisse Adamo, à cujus voluntate descendit. Loquens vero de ignorantia & perversa cupiditate, quæ nobis necessariæ sunt, manentque etiam in regeneratis ad agonem, eatenus dicit esse peccata, quatenus & peccati pœna sunt, & ad peccatum inclinant; non autem primordia naturæ, quomodo arbitrabantur hæretici Pelagiani. Atque hoc sensu lib. 1. contra Julianum num. 105. peccatum, quod nobis liberum non est, appellat Augustinus *vim mali, quod originaliter trahitur*, & inolitam, pravamque consuetudinem. Comparate autem ad peccata, in quæ libere prolabimur, cogit nos cupiditas, ut Augustinus ait in 1. Retract. cap. 15. non proprie, sed moraliter, in quantum ob vehementiam pravæ inclinationis, nisi gratia succurrat, facile arbitrium succumbit; & in quantum ob inseminatum concupiscentiæ vitium nequit omnia peccata absque speciali gratia vitare, quamquam in exercitio, id est, in deliberata admissione cujusque peccati, nulla comprimatur ineluctabili necessitate. At quando ignoratur justitia, si possit debeatque hæc ignorantia dispelli, peccatum utique est voluntarium: sed cum ignorantia invincibili nemo peccat, nisi, ut est in consuetudine sermonis, *materialiter.* Qua responsione expeditur objectio ex lib. 1. Op. Imperf. num. 106. Ea enim quæ proxime equuntur de divisione peccati, quidquid hactenus dictum est, perspicue confirmant.

21. Ex mente S. Augustini. Porro hanc esse Augustini sententiam singula ipsius scripta testantur. In lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Lib. 2. de Peccat. meritis cap. 4. de concupiscentia scribit: *Ad agonem interim manet non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura:* de peccato etiam Originali cap. 40. *Ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur, &c.* Similiter Enarrat. 3. in Psalm. 118. num. 1. *Quid enim peccatum operatur nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus.* Igitur quidquid mali facimus ignorantia in-

invincibili, & quidquid inordinatum excitat in nobis non consentientibus concupiscentia, non est per Augustinum illud peccatum, cui reatus & punitionis meritum conjungitur; sed peccatum illud, quod est naturæ vitium, pœna peccati, & peccatorum incitamentum.

22. Alia objectio.

Objiciunt adhuc sectarii: Censet Augustinus comparari absque flexibili libertate laudem, justitiam, veramque virtutem. De summo enim Deo scribit de nat. & Gratia cap. 46. *Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* De Beatis vero in XII. de Civ. D. cap. 1. *Quam porro magna sit laus adhærere Deo, ut ei vivat, &c. quis cogitare digne possit, aut eloqui.* Atque in Opere Imperf. lib. 5. n. 61. *Neque enim tunc sine virtute vivemus, quando nobis concedetur, ne aliquando à Domino recedere possimus.*

23. Elidiur.

Verum his quid sit respondendum liquet ex dictis. Ostendimus voluntatem diverso motu ferri in suum finem, diverso autem in media: in illum naturali instinctu & cum libertate à coactione, quam Augustinus eodem Op. Imperf. cap. 12. lib. VI. appellat libertatem immutabilis voluntatis: & in media dominio, electione & libertare indifferentiæ, quæ dicitur ab eodem Augustino in 1. Retract. cap. 15. aliisque in locis liber ad faciendum, & ad non faciendum animi motus. Quam duplicem libertatem, ad tollendam ancipitem amphibologiam, potestatemque verborum appellare placuit libertatem voluntatis, & libertatem arbitrii. Possumus eodem pacto duplex virtutis genus distinguere, unum quod versatur immediate circa felicitatem & beatudinem, quam nemo potest odisse; alterum, quod sistit in ordinata electione mediorum ad ipsam beatitudinem capessendam. His ergo respondetur ad 1. Augustinum in lib. de nat. & grat. cap. 46. evertere quod contexebat Pelagius, privari deliberatione quidquid naturali necessitate constringitur. Quod falsum esse demonstrat exemplo voluntatis nostræ, & divinæ. Nos quippe beati esse nolle non possumus, & tamen pertinet ad voluntatem nostram quod volumus esse beati, id est liberi sumus à coactione in appetenda beatitudine, & liberi à necessitate in seligendis mediis ad ipsam beatitudinem conducentibus. Similiter Deus non potest velle peccare, & nihilominus pertinet ad illius voluntatem habere justitiam, id est, liber est à coactione amando justitiam, qua ipse justus est, & liber à necessitate largiendo, aut subtrahendo gratiam, qua nos justos facit. Atque ideo consistit sine potestate deflecten di ab ultimo fine libera mediorum electio; nec spectat ad essentiam libertatis posse peccare, ut commenti sunt Pelagiani. Adhærere in Patria immutabiliter Deo per charitatem, quæ nunquam excidit, laus est; sed laus & virtus, quæ non est meritum: est autem virtutis, quæ habet meritum, merces & pensio. Et appellatur virtus ipsa quoque finis consecutio, quoniam in electione mediorum relucet splendor virtutis, dum ad finem ultimum ordinantur. Porro virtutem, cujus merito finem assequimur, flexibili libertate comparari scribit eodem num. 61. lib. V. Op. Imperf. eximius Augustinus, *Non ergo* (inquit) *aliter esset virtus in nobis, nisi voluntatem malam sic non haberemus, ut habere possemus: sed pro hujus minoris virtutis merito accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus.*

24. Ultima objectio Solvitur.

Arguunt tandem: Definitio illa libertatis, quod sit agendi & non agendi potestas, propendet in Semipelagianorum & Pelagianorum errores; atque defendendo illam indifferentem libertatem Calvinum quidem subvertimus, sed Pelagiani erroris maculam non diluimus. Resp. hanc esse atrocem Jansenii calumniam Præf. in lib. VI. de Gratia Christi. Esto namque eandem notionem libertatis admiserint Pelagiani: tamen, ut supra vidimus, in eo minime refelluntur ab Augustino, sed in hoc tantum, quod sine gratiæ adjutorio liberum esse unumquemque contenderent ad bonum agendum. *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium utrique dicimus; non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani: liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulos à potestate tenebrarum & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen, atque ut nefario vocabulo terreas imperitos?* Hæc Augustinus lib. 2. de Nuptiis & conc. cap. 3. Frustra autem commune dixisset dogma, nisi circa notionem libertatis cum hæreticis convenisset. Quibus & imaginariæ Pelagianismi notæ evanescunt, & Jansenianis suismet argumentationibus refelluntur. Hactenus de libero voluntatis arbitrio, sine quo nullus hominum vituperatione supplicioque dignus est: quemadmodum *cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum*, auctore eodem Augustino de duabus Animab. cap. XI.

CAP.

CAPUT IV.

Deum non esse causam effectricem peccatorum.

SUMMARIUM.

1. Quibus ad peccatum trahamur.
2. Error Calvini.
3. Qualiter hanc materiam Scholastici explicent.
4. Deus non est efficiens causa peccati.
5. Probatur ex Patribus.
6. Confirmatur confessione Protestantium.
7. Ac ratione.
8. Probatur ex absurdis, quæ sequerentur.

1. Quibus ad peccatum trahamur.

QUODLIBET ergo peccatum cum demerito conjunctum præcipuam causam habet in voluntate, ejusque motu libero ad faciendum & non faciendum quidquid prohibet æquitas, probitasque justitiæ. Allicit vero ad peccandum inseminata vitio originariæ labis lex membrorum, & pugnans cum ratione cupiditas, quæ nonnisi consentientibus nocet: ut in Catholica Epistola scribit Jacobus Apostolus cap. 1. v. 14. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Hanc etiam concupiscentiam à Deo non esse contra Manichæos & Pelagianos in J. XII. cap. 13. fuit argumentis locupletissimis demonstratum. Sunt præterea peccatorum morales causæ quamplurimæ, Diabolus præsertim, & mundus. Et Diabolus quidem haud immerito comparatur 1. Petri cap. 5. v. 8. leoni rugienti: ipse enim Evam seduxit, suaque invidentia mortem in humanum genus invexit. Circuit terram & perambulat inhians animarum perditioni, ut legimus 1. Jobi v. 7. Cum autem non possint dæmones voluntatem humanam immediate immutare, atque pro suo libitu in malum flectere; adinstar latrantis canis terrent excitantque mentes hominum, ac sensibus illecebras ingerunt, delectati cultu simulacrorum, morum obscœnitate, fallaci simulatione, immanique terrore; ut incautos pertrahant ad idololatriam, turpitudinem, errorem, atque abjectam animi diffidentiam. Quas dæmonum artes persequitur Augustini stylus in 2. de Civit. Dei cap. 25. & sequentibus, in libro de ipsorum dæmonum divinatione, atque aliis in locis. Mundus denique ad pecatum allicit perversorum hominum exemplo, colloquiis, moribus, consuetudinibus, aliisque innumeris sive personarum sive locorum depravatis institutionibus: ex quibus ad voluptatem, & vitæ commodum, impiorum quoque laudem captandam, vanus corporum ornatus, ambitio, intemperantia, libido, omniumque vitiorum erupit seminarium. Atque id quoque deplorat Magnus Augustinus in 3. de Doctrina Christ. cap. 10. serm. 5. de Verbis Domini, & Auctor serm. ad Fr. in Eremo serm. 31.

2. Error Calvini.

Deum causam esse peccatorum scripsit Calvinus, ut dictum est capite hujus dissertationis primo: nam post Lutherum docuit Deum decreto antecedenti, absoluto, immutabili, & necessitatem inferenti tam ad primam, quam ad secundam mortem, id est ad peccatum, æternumque supplicium homines prædestinasse. Quod impius hæresiarcha asseruit in 1. Instit. cap. 16. de lib. arb. contra Pighium, in Antidoto Trident. Concilii, & in lib. de æterna Dei prædestinat. Ab hujus autem execrando errore omnes Catholicorum Scholæ recedunt. Thomistæ primum, qui licet prædefinitionem propugnent ad actum physicum sive ad materiale peccati, negant tamen illius prædeterminari malitiam: atque demonstrant stare cum efficaci præmotione indifferentiam liberi arbitrii; cui proinde imputandum est, quod physicus actus à recta ratione deflectat, habeatque privationem justitiæ, in qua sita est malitia peccati. Nos vero cum Theologis reliquis illam quoque prædefinitionem negamus; ita tamen, ut cujuscunque actus, etiam illius, qui ab humana voluntate sese à recto fine avertente peccati labe fœdatur, Deus auctor & prima causa multiplici titulo dicendus sit, & quia ipse rationali creaturæ liberum arbitrium largitus est, & quia illam servat, & operantem præmovet universaliter, & quia prædeterminat quoque ad bonum in communi, unde se libere creata voluntas determinat ad bonum particulare: quia demum simultaneo concursu illam adjuvat & regit.

3. Qualiter hanc materiam Scholastici explicent.

Hoc sensu Deum esse causam omnium etiam malarum actionum, si paucos excipias, Scholastici omnes cum Magistro in 2. dist. 35. consentiunt. Enimvero, ut eo loci argumentatur Magister, & in eadem dist. Gregorius Ariminensis, Estius etiam ad dist. 37. & post S. Thomam

mam 1. 2. q. 79. art. 2. Theologi reliqui; omnia quæ sunt, in quantum sunt, sunt bona; ideoque Deum habere debent Auctorem. Quod memoratus Ariminensis pluribus, quam faciant alii argumentis evincit. Inter quæ depromit ex Augustino quæ sequuntur. Primo S. Pater in libro de moribus Manich. cap. 1. ait Catholicam fidem esse: *Omnium naturarum atque substantiarum esse auctorem Deum*; ubi S. Pater affirmat se nomine naturæ illud significare, *quod intelligitur in suo genere esse aliquid.* Docet præterea S. P. 2. de lib. arb. cap. 20. *Nullum esse bonum quod vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo:* ubi pariter bonum dicit, quod est aliquid; nam sequitur: *Omnem quippe rem, ubi mensuram, & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cunctéris: unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit.* Item Augustinus de vera Religione cap. 34. scribit nihil *utcunque unum esse posse, nisi ab eo quod summe unum est, id habeat.* Et tract. 1. in Joan. *Omnia,* inquit, *per ipsum, fratres, omnia omnino per ipsum facta, & sine ipso factum est nihil.* Cum ergo peccatum, quantum ad actum pertinet, sit aliquid, debet effici ab eo, quod est omne esse: quemadmodum in eo quod pertinet ad rationem peccati, cum nihil sit, manifestum est non esse factum per Verbum, ut docet S. Pater eodem loco. Similiter Anselmus in libro de Concordia Præd. ait: *Omnes actiones & omnes motus facit Deus, quia ipse facit res à quibus, & per quas, & in quibus fiunt. Et nulla res habet ullam potentiam volendi aut faciendi, nisi illo dante. Ipsum quoque velle, quod aliquando justum est, aliquando non justum, à Deo est. Non esse vero bonum non est quid, nec à Deo est.* Et in libro de Casu Diaboli cap. 20. *Ipsum pravum motum voluntatis, & singulas pravas actiones, quæ fiunt à perversa voluntate, Deus facit.* Sane cum actus peccati connumeretur inter res existentes, si Deus Auctor est universorum quæ existunt, etiam hujusmodi actus est causa effectrix. Quare minus probabile est quod ait Thomassinus citatus lib. 4. cap. VII. *Illud quod est, in quantum est, bonum est,* juxta Augustinum ad naturas rerum spectare, non ad actiones. Melius enim dicitur cum Divo Thoma citato art. ad 1. S. Patrem, ubicunque affirmat actum peccati, & voluntatem malam non esse à Deo, non loqui de actu & voluntate absolute, sed prout subest defectui & malitiæ, quæ nihil est. Ex quibus tamen non sequitur Deum prædefinire *materiale* peccati; quoniam satis est, ut eodem cap. explicavimus, si Deus concurrat ad singula opera creaturarum, ut causa universalis absque physica prædeterminatione ad actus naturales, & ad eos maxime, qui cum malitia sunt conjuncti, Nostra ergo contra hæreticos fides est, Deum optimum maximum esse ullatenus sua prædestinatione, & immutabili decreto effectricem causam peccatorum, sive prædefiniendo malitiam, sive impellendo necessitante præmotione ad actum cum malitia peccati suapte natura connexum.

4. Deus non est efficiens causa peccati.

Propositio. Deus non est efficiens causa peccati.

Demonstratur 1. ex Scripturis: Psalm. V. v. 4. habetur, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. XIV. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Habacuc. 1. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Jacobi cap. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Huc spectant omnia loca, in quibus peccatum prohibetur, ut Deuteron. XI. 16. *Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino.* Amos v. 15. *Odite malum, & diligite bonum.* Lucæ XII. 15. *Videte & cavete ab omni avaritia.* Ad Rom. VI. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* 1. ad Corinth. 6. 18. *Fugite fornicationem, &c.* Idem comprobant loca, quæ divinam indignationem improbis minitantur; cujusmodi sunt, Exodi 32. v. 33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Jud. 2. 12. *Ad iracundiam concitaverunt Dominum.* Oseæ XII. 14. Ad *iracundiam me provocavit Ephraim.* Ad Rom. 1. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam, &c.* Evincunt idem testimonia, quibus asseritur repugnare iniquitatem divinæ sanctitati, ut Isaiæ 61. 8. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Soph. III. 5. *Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem.* Oseæ XIV. 10. *Rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis.* Ex quibus habetur Deum nolle peccata, eadem prohibere, in ea pœnis animadvertere, ea tanquam bonitati suæ contraria summopere detestari, Atqui nemo sui compos, & præditus sapientia ac libertate illud efficit, quod odio habet, vetat,

vetat, punit, & execratur. Ergo Deus peccata nequaquam sua efficientia operatur. Accedunt definitiones Conc. quas requiras in 1. Volumine lib. VI. cap. 17.

5. Probatur ex Patribus.

Eadem est doctrina Sanctorum Patrum, ut vidimus agentes de Reprobatione Calviniana loco nuper laudato. Quibus addimus Ambrosium scribentem lib. 1. Hexam. cap. VIII. *Eradicari hanc malitiam Deus vult de animis singulorum. Quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta, Desinite à malitiis vestris, & præcipue S. David, Define inquit, à malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putaverunt.* S. Cyrillus in Joan. VIII. *Mussitant quidam inter se, quæ culpa fuerit Judæorum quod non crediderint, si necesse erat, ut sermo Esaiæ impleretur? Quibus respondemus Deum præscium futurorum prædixisse infidelitatem Judæorum, non fecisse: non enim propterea Deus ad peccandum quemquam cogit, quia futura hominum peccata novit; ipsorum quippe præscivit peccata non sua.* S.P. Aug. in Ps. XC. *Non potes*, inquit, *facere Deum auctorem peccati.* De peccat. meritis lib. 2. cap. 17. *Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium humanorum causa superbia est.* Vide de Lib. arb. cap. 3. lib. 3. De Spiritu & lit. cap. 31. De Gratia & lib. arb. cap. 23. Tract. in Joan. . & 53. Subscribit. Augustino S. Prosper ad Ob. Vincent. cap. X. *Detestanda & abominanda opinio, quæ Deum cujusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem.* Vide & cap. XI. XIII. & XIV. necnon ad cap. Gallorum 1. VI. VII. XII. & XV. Fulgentius etiam lib. 1. ad Monimum ait: *Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est. Quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus.*

6. Confirmatur Confessione Protestantium.

Proferrem plura, nisi revincerentur hæretici etiam Protestantium suorum confessione. Magdeburgensium, Gerardi Vossii, & Salomonis Glassii meminimus memorato capite XVII. de Impiorum Reprobatione. Philippus Melanchthon in cap. IX. ad Rom. *Manifestum est*, inquit, *quod repugnare verbo sit voluntatis humanæ, quia Deus non est causa peccati.* Franciscus Junius de Peccato Adami cap. IV. *Deus autem decrevit peccatum ipsius, non efficacis decreti, sed permittentis, aut finentis modo.* Confessio Augustana edita à Melanchthone, & exhibita Carolo V. anno 1530. in Comitiis Augustæ Vindelicorum: *Causa peccati* (inquit) *est voluntas malorum, videlicet Diaboli, & impiorum hominum, quæ avertit se à Deo contra mandata Dei. Ideo Christus inquit de Diabolo, Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Confessio pariter Saxonica exarata ab eodem Melanchthone anno 1551. probata autem à Pastoribus Saxoniæ, Pomeraniæ, & Poloniæ cap. 1. habet: *Deus nec vult peccatum, nec approbat, nec adjuvat, sicut scriptum est, Cum mendacium loquitur Diabolus ex propriis loquitur, & pater est mendacii; & primæ Joan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat. Damnamus furores Marcionis Manichæorum, & similes.* Idem haberi in Confessione Tzengerina, & in Gallicana demonstrat Hugo Grotius Tom. 4. op. Theolog. pag. 158. ubi & ipse ad Catholicorum sententiam plenissimis suffragiis accedit. Revincuntur itaque hæretici non solum Patrum irrefragabili auctoritate, verum etiam ingenua ac liberali Sectariorum suorum confessione.

7. Ac ratione

Ratione etiam execrabilis hæresis impugnatur. Principio namque si Deus auctor est peccatorum, erit illorum aut moralis causa, aut efficiens. Verum utrumque apertissime falsum est. Nam causa moralis dicitur quisquis ad malum trahit aut consilio, aut exemplo, aut promissis, aut comminatione incussoque terrore. Quod tantum abest, ut Deus efficiat, quod potius peccantes increpat, invitat ad pœnitentiam, mulctat pervicaces supplicio gehennæ; atque ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobrie & juste & pie vivamus, misit Filium suum in similitudinem hominum factum evangelizare pauperes, implere legem, benefacere & sanare, peccata dimittere, & dare animam suam redemptionem pro multis. Non ergo moralis causa peccatorum Deus est, sed virtutum, bonorumque operum duntaxat, quæ approbat, suadet, præcipit, singularique remuneratione compensat. Erit multo minus auctor peccatorum physica efficientia. Nam sic hoc foret, vel quia efficeret malitiam peccati, vel quia causaret physicum actum. Porro malitia, cum nihil sit quam privatio debitæ rectitudinis, causam efficientem non habet; sed tantummodo deficientem, ut demonstratum est in nostra disputatione de malo contra Manichæos lib. 1. cap. VIII. prop. 2. Quare Augustinus Tract. 1. in Joan. ait: *Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil*

nihil fiunt homines cum peccant. Nonnulli autem è Schola Theologi, qui malitiam peccati sitam censent in actu aliquo positivo, nullum Dei concursum ad actum hujusmodi agnoscunt, nisi indifferentem, quo suamet determinatione abutitur humana voluntas. Atque hæc proinde unica est causa peccati; cum in malum protendat non vi flexibilis illius præmotionis, quâ posset bene uti, sed propria deliberatione, ob quam perverse ipsa divina utitur præmotione. Nos vero hanc quidem solam universalem, flexibilem, atque indifferentem præmotionem ad actus peccatorum admittimus: sed malum omne constituimus in boni privatione, ita tamen ut sit aliquid *complexe*, significabile, scilicet denominetur peccatum actus carens debita rectitudine, ut cum dicimus aerem tenebrosum, hominem malum, lineam obliquam, non designamus rem aliquam significabilem *incomplexe*, id est entitatem ab aere, ab homine, & à linea diversam; sed aerem, ut luce privatus est: atque ita de reliquis. Quod in explicanda natura peccati iterum exponam. Interim ergo istud infero, peccatum cum nihil sit, Deum non habere causam efficientem. Et dato etiam quod physice Deus determinaret ad actum peccati, ut propugnant Thomistæ: posset defendi nullum actum ut actus est, esse malum; sed tale esse duntaxat in quantum à causa secunda male fit: ideoque quod homo male operatur, potest Deus efficere secundum rectam rationem, quemadmodum hominem, quem adulter generat in utero mulieris fornicando, inculpate Deus producit per creationem. Ita etiam Thomistæ sese opponunt Calvinianis. Nec adversus Thomistas recte argumentantur, qui objectant Calvini verba in 1. Instit. cap. 18. *Videmus ut Deus perfidiam nolendo, defectionem Tribuum Israël alio fine juste voluerit.* Unde inferunt nec per Calvinum determinari à Deo voluntatem quatenus mala est. Etenim, ut vidimus supra, prædeterminatio Calviniana infert necessitatem inevitabilem, & liberum arbitrium tollit penitus, ideoque verbotenus, non re tribuit perfidiam humanæ voluntati, quæ nequit esse non perfidia. Contra Thomistæ cum sua prædeterminatione talem libertatem fatentur, quæ in actu primo nulla coarctatur necessitate, & potest ab omni opere, quod cum malitia peragitur, abstinere. Quamobrem ubi opinionem Thomisticam refutavi, compressi simul obtrectatorum loquentiam. Nequit ergo Deus esse Auctor peccati, quia nec illius malitiam prædefinit, nec actum; tali saltem præfinitione, cui non possimus libere reluctari.

8. Probatur ex absurdis, quæ sequerentur.

Postremo quis non videat quanta ex nefario Novatorum dogmate consequantur absurda? I. Necesse est, ut Deum auctorem malorum fateamur injustum: nam, ut scribit citato loco ad Monimum S. Fulgentius, *Nec justitia justa dicetur, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur. Major vero erit injustitia, si lapso Deus retribuit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam.* II. Si verum est, quod Calvinus scribit in 1. Inst. cap. 22. nullam esse peccatorum, & præparationis ad interitum causam, præter divinam voluntatem; nonne Deus pejor erit Nerone, qui gladiatorum cædes, incendium Urbis, suorumque internecionem voluptarie decernebat, & sine horrore spectabat, cum omni arena, immanique spectaculo horribilior sit nequitia, & interitus impiorum? III. Eo detestabilius peccatum est, quo recta ratio inest perpetranti. Non enim peccant feræ; dum usu carentes rationis hominem discerpunt: minor est iniquitas in puero, quia minori pollet cognitione; gravius delinquit adultus, cujus est facilior inspectio, consiliique potestas: sapientum vero, majorumque virorum, quibus non deest auctoritas & prudentia, habetur culpa valde detestabilis & execranda. Deus ergo infinita sapientia, ac summa libertate præditus, si peccatorum auctor est, nequissimus erit, & incomparabilis malitiæ. IV. Cum peccata fiant Deo impulsore, ac motore, curnam ei imputari non debent? Num, ut Zwinglius scribit serm. de Provid. cap. 7. quia Deus legibus non tenetur? At lex princeps, à qua singulæ jus æquitatis participant, est sempiterna rectitudinis ratio, quæ in divina mente consistit, & à qua deflectere Deus nequit, nisi adversus se ipsum insurgat. An peccata selegit, ut finem suum consequatur? Sed hæc de omnipotente nefas est cogitare: ad media enim illicita confugiunt, qui non possunt honesta adhibere: & recte Ecclesiasticus cap. xv. 12. clamat: *Ne dicas: ille me implanavit; non enim necessarii sunt ei homines impii.* V. Si verum est, quod scribit Heidegerus in Tumulo Conc. Trident. Deum Judithem Holoferni, non ut Estherem Assuero, Rebeccam Jacobo, & Abigaelem Davidi objecisse ut amores castos exequeretur, sed ut flagitiose amando rueret in perniciem; imitatores erunt Dei, non Diaboli administri, qui

comptas formosasque mulieres ad labefactandam puritatem immittunt, easque impudice conspiciunt: eritque Dei institutio, non Satanæ, retia expandere turpitudinis. VI. Deus auctor bonorum bonus est. Qualis ergo est Deus auctor malorum, nisi malus? Nam à malis fructibus arbor mala dignoscitur. Inducit ergo sententia Calvini Deum Manichæorum, id est, Deum malum; & cum Deus malus sit nullus, viam consequenter sternit Atheismo. Imo ut melius est hominem non esse, quam peccata committere, ita melius est non esse Deum, quam hunc esse auctorem peccati.

CAPUT V.

Ad objecta Hæreticorum Responsio.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 6. Solvuntur variæ objectiones.

1. Objectiones variæ adducuntur remissivè.

PRÆTERMITTIMUS plura hæreticorum argumenta aliis in locis soluta. Nam in 1. Tomo lib. 11. cap. 7. satisfecimus iis, quæ urgentur ad probandum Deum auctorem esse mendacii, & erroris. In lib. etiam IV. cap. 7. declaravimus quomodo sit in Deo sine prædestinatione præscientia peccatorum; per comprehensionem nempe divinam, & per ideas omnium futurorum in sempiterna Dei mente existentium, ut docet S. Pater lib. III. de lib. arb. cap. 3. & 4. & Tractatu LIII. super Joannem. In lib. autem VI. cap. 17. explicavi qua ratione Deus dicatur corda impiorum obdurare subtrahendo gratiam, ut docet S. Pater eodem Tractatu, Epist. ad Sixtum, & de Gratia & lib. arbitrio cap. 23. Dictum est ibidem quo sensu inclinet Deus voluntates in malum *occasionaliter*, & permissive, quatenus exhibet objectum inclinans suapte natura ad bonum, sed ex illo impiorum malitia captat suæ perditionis motivum, ut contigit Holoferni, cujus exemplum imperite nobis objectat Heideggerus. Itaque hæc omnia memoratis in locis requiras.

2. Objectio 1. solvitur.

Remanent nunc diluenda quæ sequuntur. Legitur 1. Regum cap. 2. v. 25. de Filiis Heli increpatis à Patre: *Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.* Peccabant ergo absoluta Dei voluntate, quoniam Dominus illos interficere pro suo placito prædefinierat. = Respondent Nostrates dist. consequens: Peccabant, quia Deus prædefinierat illis subtrahere gratiam ob crimina, quibus retrahebant homines à sacrificio, eosque digna morte mulctare, conc. Peccabant, quia Deus decreverat illis impertiri malitiam, & eos ad peccatum impellere, volens ante peccatum illorum punitionem, nego. Quæ responsio bona est, traditisque ab Augustino interpretationibus comprobata. Verum ad frangendam Calvinianorum audaciam, dico particulam *quia* hoc loco reddendam esse pro *idcirco, igitur*, aut consimili, ut sensus sit, *Non audierunt vocem patris sui: & idcirco Dominus voluit occidere eos.* Particula enim hebraica כִּי, *Chi*, vim habet persæpe conjunctionis concludivæ, ut Genes. XXII. v. 17. aliisque in locis. Atque hunc sensum exhibere laudatum textum, liquet ex vers. seq. 29. 30. & 31. ubi testatur Dominus velle se præcidere brachium domus Heli, quoniam filii comederant primitias omnis sacrificii. Quare ideo voluit Deus ipsos occidere, quia peccaverant. Hinc adversus alios Refractarios fatentur hoc loco declarari sententiam Domini de morte plectendis scelestissimis filiis Heli, & adverbium *quia* idem valere, ac *quapropter*, Buxtorffius in Lexico, & Vorstius, & Alstedius apud Sixtinum Amama in Gramm. H. p. 228. & Glassium lib. 3. Tract. VII. de Conjunctione Can. XXI.

3. Objectio 2. dilucidatur.

Ulterius objiciunt. Quod Deus præcipit, illud vult: Præcepit aliquando peccatum: Vult igitur. Minor probatur ex lib. 2. Regum cap. XVI. v. 10. ubi de Semei dictum est, *Dominus præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Resp. nego minorem: ad probat. dico, hæc esse verba ipsius Davidis, qui scelerum suorum conscientia perculsus putavit Semei Deo auctore sibi imprecatum, quia vir sanguinum erat, & alieni thori contaminator, ob quæ conviciis & maledictis merito proscinderetur. Probris autem vexare impium, ut impium,

impium, poterat Deus præcipere, cui *abominabile est cor pravum*, quemadmodum legitur in Proverbiis cap. XI. 20. Fuit ergo pœnitentis & humilis perferre contumeliarum aculeos, & existimare præceptum Domini quod erat procacitas maledicentis. At Deus minime Semei ad maledicendum impulerat: quin & ipse maledicus infra cap. XIX. 20. iniquitatem propriam agnovit, & venia à Davide impetrata, postmodum regnante Salomone præscripta transgressus pependit utriusque culpæ supplicium. Ita Deus maledictionem illam permisit, non jussit, & inclinavit cor Semei subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam. *Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius, quam puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum;* ait Augustinus De Grat. & lib. arb. capite vicesimo. Adhibenda est eadem responsio consimilibus exemplis, de Joseph à fratribus vendito, de numeratis à Davide populis Israel & Judæ, de proditore & crucifixoribus Christi Domini, & aliis similibus, quorum utilitatem Deus prædefiniit, iniquitatem vero sponte ab impiis patratam justo judicio permisit. Vide quæ scripsimus 1. T. lib. 4. cap. 7.

4. Objectio 3tia rejicitur.

Insuper arguunt: Amosi cap. III. v. 6. legitur: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, & Esaiæ XI. v. 7. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum.* = Resp. utrumque Prophetam loqui de malo pœnæ, non autem de malo culpæ. Per Amos enim prædicit Deus eversurum se Israelem, templa, regumque domos, eoquod insanias paterentur, cultum scilicet idolorum in montanis Samariæ. Et Esaias pariter exprobrat Israelitis, quod in victoriis Cyri, & liberatione populi Dei non agnoscerent vertentem dorsa regum, & gentes subjicientem. Unde Augustinus contra Adimantum cap. 26. de verbis Amosi ait: *Malum hoc loco non peccatum, sed pœna accipienda est:* & de loco Esaiæ, proximo capite 27. *Etiam hoc eodem regula solvitur.* Legite lib. 1. cap. 8. responsiones ad objecta Manichæorum.

5. Objectio 4. solvitur.

Præterea objiciunt S. P. Augustinum cap. 101. Ench. scribentem: *Fieri potest, ut hæc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona*: & lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi demonstrat, concupiscentiam & cæcitatem non esse rationalis creaturæ conditionem, sed pœnam peccati, & propterea à Deo justo judicio tradi impios in desideria cordis eorum, ut docet Paulus ad Rom. cap. 1. v. 24. Nec docet tantum tradi per gratiæ denegationem, sed etiam virtute potentiæ suæ, quod probat verbis ejusdem Apostoli seq. cap. IX. v. 22. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, &c.* Si ergo Deus per potentiam tradit impios in desideria cordis eorum, dicendus est trahere illos efficienter in perditionem. = Resp. S. Patrem cap. 101. Enchiridii voluntatem appellare *finem operationis*, & affirmare interdum homines ad malum finem ordinare, quæ Deus in bonum præordinat: *Velut* (inquit) *si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus.* Alia affert exempla id est Judæorum, qui mala voluntate occiderunt Dominum Jesum, quem Deus voluntate bona, ut occideretur, permisit: & Pauli, quem fideles nolebant pergere Jerosolymam ne pateretur mala prænuntiata ab Agabo, cum illuc adire Deus vellet ad Christi fidem prædicandam sese martyrem exercendo. In quinto autem contra Julianum docet tantummodo tradi impios à Deo in desideria cordis eorum, quatenus in pœnam præcedentis peccati divina efficaci gratia destituuntur, redarguens simul hæreticum, quod nollet concupiscentiam ad peccatum allicientem esse vitium labe originali inseminatum. *Si autem* (inquit) *non est pœna peccati, profecto iniqua pœna est, & injustum facis Deum, quo jubente vel sinente, aut infirmum, quo non avertente infligitur innocenti.* Ubi consulto ait, *quo jubente, vel sinente*, ut intelligas concupiscentiam ipsam, ut malum est, permitti; ut pœna est, justo judicio corpori mortis hujus adhærere. Nec alio sensu docet tradi divina potentia improbos in immunditiam, nisi quia deseruntur à Deo, ut ostendat potentiam judicii in reprobis, & virtutem misericordiæ in electis: *Cum ergo dicitur homo* (inquit eodem capite S. P.) *tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur.* Ita traduntur impii in desideria cordis eorum, Deo permittente, non impellente; quoniam, ut scribit idem S. Doctor de nat. & grat. cap. 22. *per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ*, in plura & gravia peccata collabuntur.

6. Objectio 5. repellitur.

Denique objicitur. Dictum est supra, Deum esse primam causam cujusque actus: At homo ponendo actum malum peccat: Ergo & Deus; maxime cum concurrat ad aliquos actus inseparabiles à malitia, ut ad mendacium & odium. Nec valet respondere, esse causam universalem, non prædeterminantem hujusmodi actuum. Etenim hoc sufficit, ut auctor dicatur omnium operum naturalium, & eorum quæ creatura innocens perfecit. Igitur satis erit, ut sit efficiens causa peccati, ad actum pravum concurrere universaliter. = Resp. hominem non ideo peccare quia actum ponit; sed quia ponit pravo animo, & deviando à recta ratione. Potest autem idem actus fieri ab homine intentione mala, & simul à Deo voluntate bona, ut supra diximus cum Augustino. Nec obstat quandoque ab actu inseparabilem esse malitiam; quoniam inseparabilis est ab actu, quatenus efficitur à causa particulari, & prædeterminante actum ipsum: non prout est à causa universali & indifferente; quomodo defectus soni, ambulationis, rudisque scripturæ tribuitur cytharæ, tibiæ, & calamo, non causæ principi; ut diximus lib. IV. cap. VII. ad object. 2. propterea quod hujusmodi instrumenta sunt ad vitium determinata sè ipsis. Sane concursus universalis & indifferens sufficit, ut Deus sit auctor operum singulorum, quia quidquid est in aliquo genere, pendet à causa, sine qua nihil est. At concursus hujusmodi non sufficit, ut Deus dicatur causa peccati; quoniam istud, in quantum est malum, est nihil: ideoque causam non habet nisi deficientem ab esse. Quod superius explicavi comparatione tenebrarum, atque in dissertationis exitu repetam sequenti Epigrammate divi Prosperi:

Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura est nulla creata mali.
Nulla igitur vitiis substantia, nullaque vita est,
Quæ vegetet corpus, materiamque suam.
Sed cum libertas discedit ab ordine recto,
Nec servant proprium quæ bona sunt modulum;
In culpa & vitio est vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deseruisse viam.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS SEPTIMUS

QUI INSCRIBITUR

DE HÆRESI JANSENIANA.

SUMMARIUM.

1. Opiniones Variorum.
2. Quid sentiant de præscriptionibus damnatis Jansenianis.

1. Opiniones variorum.

VALDE affinem esse Calvinianæ hæresi Jansenistarum circa libertatem arbitrii doctrinam, nemo putet à me injuria, & falsa accusatione prolatum. Denegasse Jansenium libertatem indifferentiæ, sine qua diximus nullum voluntatis opus liberum esse, & cum potestate ac dominio peractum, annuunt Jansenistæ, norunt omnes, atque evincit proxima dissertatio. Theologi Portus Regii, & qui hoc abolito nomine ad partes Jansenianas accessere, indifferentiam à libero arbitrio indivulsam fatentur; sed passivam, qua vel cupiditatis, vel charitatis impulsu humana voluntas absque electione & dominio huc, aut illuc abripiatur: ideoque, si activam indifferentiam, qua liberum arbitrium à gratia excitatum possit motum suum cohibere, Theologi illi minime agnoscunt; ex libro superiori compertum est, eos nullo pacto à placitis Jansenianis recedere. Abhorrent illorum plurimi etiam à *necessitatis* vocabulo; affirmantes necessitatem, ac libertatem pugnare invicem: at necessitatem naturalem, & necessitatem inclinationis distinguunt, autumantes nihil esse naturali necessitati alligatum, si in illud voluntas propendeat: quod falsum esse jam vidimus, demonstrantes quomodo voluntas in bonum in communi, & in Deum clare visum tendat naturaliter, etiamsi id eveniat maxima inclinatione ac lubentia. Jam illud quoque concedunt posse voluntatem à gratia excitatam ei reluctari: verum hanc reluctandi potestatem dari negant, quamdiu voluntas actualis gratiæ inspiratione movetur, ita, ut libertas indifferentiæ nequaquam actu consistat sub victrici delectatione. Verbis itaque, non re Theologi illi sunt à damnatis erroribus alieni.

2. Quid sentiant de propositionibus damnatis Jansenianis.

Propositiones quidem Jansenianas ab Ecclesia proscriptas videntur rejicere: at priorem eo sensu damnatam autumant, quod justi nequeant servare præcepta etiam efficaci gratia suffulti: contendunt tamen ipsis, dum tentationi succumbunt, nullam gratiam adesse, qua stare possint; quoniam, inquiunt, gratia non dat posse, nisi sit efficax. Alteram propositionem damnatam ajunt, in quantum enunciat gratia trahi voluntatem quasi instrumentum quoddam inanime; non in quantum affirmat nullam dari gratiam, aut robustam, aut parvam, cui voluntas nunquamnon obtempe-

temperet. Tertiam eatenus censent esse proscriptam, quatenus ad merendum, vel demerendum tradit sufficere libertatem à necessitate naturali, non quatenus adstruit necessitatem indeclinabilis inclinationis. In quarta Jansenii positione hunc sensum rejiciunt, quod non possit voluntas resistere, si velit; at inquiunt, dum vult, velle indeclinabili necessitate. Postremam & ipsi damnant, in quantum justificatio & fides non tribuuntur Christi merito solis prædestinatis; propugnant illam tamen, in quantum tenent solis prædestinatis conferri gratiam, qua æternam salutem consequi valeant. Hæc præmonere oportebat, ne quis Theologorum istorum libros perlegens, verborum specie deceptus Janseniana dogmata incaute deglutiat. Sincere enim, & absque sermonis ambiguitate tenendum est, nusquam justos deseri à Deo, nisi Deum ipsi prius deserant, nec deesse illis gratiam sufficientem, dum præcepta servare volunt. Tenendum est dari in hoc statu gratiam, cui voluntas libere, & culpabili renitentia resistit: solam libertatem indifferentiæ in iis etiam, quæ cum inclinatione & voluptate fiunt, non sufficere ad meritum, vel demeritum: libertatem arbitrii non consistere absque electione, potestate, ac dominio: omnes denique redemptos à Christo, dum vivunt, posse salvari, atque omnibus patere aditum ad salutem; quamvis salvi fiant soli prædestinati. Hac præmissa declaratione, asserta Jansenistarum dispellam; & æquitatem censuræ adversus articulos Baji, Quenellii, Jansenii, Apostolicæ denique Sedis in proferendo de illis judicio auctoritatem defendere, & propugnare conabor. Atque his expletis, errores omnes adversus Christi Gratiam, & hominum libertatem à me refutati erunt, ac profligati.

CAPUT I.

De Gestis Baji, Jansenii, & Quenellii.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Vita Baji.
3. Errores Baji.
4. Vita Jansenii.
5. Qualiter examinata doctrina Jansenii.
6. Quinque propositiones Jansenii damnatæ.
7. In quo sensu sint damnatæ.
8. Discrimen inter has propositiones, & doctrinam Authoris.
9. Vita Quenellii
10. Doctrina S. Augustini non est damnata cum erroribus Baji, Jansenii, & Quenellii.

1. Ratio Ordinis.

PARUM itaque distare circa libertatem arbitrii sub gratia, & lege peccati à Calvinistarum hæresi molliorem illam, quam dicunt Jansenianam, & utramque plurimis, certisque momentis refelli, superior exercitatio nostra declarat. Et ex eo quidem fonte totum, ut animadvertimus, scaturit Jansenistici dogmatis systema. De quo cum dicta sint plura, nunc cætera, maxime quæ in controversiam vocantur, prosequar eodem filo, & genere disceptationis. Cumque sectarum Auctores in exordio orationis consueverim collocare, ab his modo præscriptæ lucubrationis initium est repetendum.

2. Vitæ Baji.

Michael Bajus Melini apud Belgas ortum habuit anno 1513. Doctor in Facultate Theologica Lovanii renunciatus anno 1550. sequenti à Carolo V. institutus est Regius Sacrarum literarum Professor loco Joannis Leonardi Hasselii, qui ad Synodum Tridentinam profectus ibidem proximo anno 1552. è vita demigravit. Cui substitutus Bajus sacras ad annos ferme quadraginta tradidit disciplinas. In quo docendi munere docti viri complures, Tapperus primum & Ravesteyn errores disseminari deprehenderunt, re etiam anno 1558. ad Belgii Consilium delata. Quidam etiam Fratres Minores XVIII. Baji articulos vertente anno 1560. exhibuere Sacræ Parisiensi Academiæ, quæ plerosque inustis hæreseos notis proscripsit. Accusatus fuit Bajus proximo anno 1561. apud Antistitem Mechlinienſem Cardinalem Granvellanum: sed indictum statim jussu Pii IV. utrique parti silentium. Interfuit & ipse Bajus, quamquam non sine aliquorum repugnantia, Tridentino Concilio anno 1563. delegatus cum Hesselio Theologus Lovanienſis. Redux à Concilio typis mandavit opuscula *De libero arbitrio*, *De Charitate*, *De Justificatione*, *De virtutibus impiorum*, *De Sacramentis in genere*, & *De forma Baptismi*. Nova hinc dissidiorum seges. Collecta sunt ex prædictis Opusculis asserta 76. quæ anno 1567. damnavit Sanctissimus Pontifex Pius V. Edidit Bajus Apologiam, rogavit-

gavitque Pontificem, ut Bullam tanquam ſubreptitiam reſcinderet: quam econtra Pontifex matura deliberatione editam fuiſſe reſcripto an. 1569. die 13. Maji declaravit, Damnationem confirmavit ineunte an. 1579. Gregorius XIII. qui etiam Lovanium miſit Franciſcum Toletum inſignem Societatis Jeſu Theologum, & poſtea S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ampliſſimum; cujus opera Bajus propoſitiones prædictas ſcripto publico retractavit: eſflavitque animam anno 1586. die 16. Septembris. Atque poſt Baji obitum, illius ſimul & Janſenianas propoſitiones damnarunt Urbanus VIII. Bulla *In Eminenti* emiſſa anno 1641. & Innoc. X. quo urgente Conſtitutio Urbani anno 1648. fuit in Belgio ſolemniter promulgata & recepta. In his autem excitatis per Bajum diſſidiis nihil incommodi Auguſtinianæ Scholæ derivatum, ſed illi potius auctoritatem præſidiumque acceſſiſſe, demonſtratum eſt nono capite de Hæreſi Pelagianorum.

3. Errores Baji.

Sunt autem errores Baji, integritatem primæ conditionis, & exaltationem humanæ naturæ in conſortium divinæ debitam ac naturalem fuiſſe, & merita primi hominis & Angelorum nullatenus dicenda fuiſſe ſupernaturalia: concupiſcentiam etiam in renatis relapſis proprium eſſe peccatum: ſicut pravos ipſius motus, & deſideria, quæ homo patitur etiam invitus: ad peccatum non pertinere an ſit voluntarium, & hominem damnabiliter peccare in eo etiam quod facit neceſſario, propterea quod ſola violentia, non autem neceſſitas repugnet libertati hominis naturali. In quo ſane, ut diximus, præluſit Janſenio, ita ut merito Urbanus VIII. definierit in libro Janſenii opiniones & ſententias jam reprobatas atque damnatas contineri, & renovari. Atque hæc omnia plurimis Bajanis articulis expreſſa fuerunt à nobis ſuis quæque locis refutata. Addidit plura circa Opera Infidelium, Juſtificationem, charitatem, & meritum libris ſequentibus diſcutienda. Omnes vero propoſitiones Baji, quamquam nonnullæ aliquo pacto poſſint ſuſtineri, in ſenſu auctoris eſſe reſpective *hæreticas*, *erroneas*, *ſuſpectas*, *temerarias*, *ſcandaloſas*, & *in pias aures offenſionem immittentes*, definit Pius V. in Bulla ab Urbano confirmata: nec eſt, quo ſe vertant Baji, Janſeniique Gregales, niſi ad temere obloquendum, aut Conſtitutiones præfatas eſſe ſubreptitias, aut appoſito commate perverſe explanatas, aut Romanum Pontificem in dijudicandis Scriptorum opinionibus, factisque dogmaticis non eſſe infallibilis Auctoritatis. Quæ omnia paulo infra explodere & exſibiliare curabimus.

4. Vita Janſenii.

At dicendum primo de Janſenio, cujus doctrina & ſecta adeo celebris evaſit, ut vix Bajus ſoleat inter nos nominari. Cornelius Janſenius Leerdamenſis apud Batavos in lucem editus eſt Catholicis parentibus anno 1585. Dedit operam humanioribus literis Ultrajecti, Philoſophicis & Theologicis diſciplinis Lovanii. Vixit aliquamdiu Pariſiis, & Bajonæ, ubi fertur per 12. annos conſilio & impulſu Abbatis San-Cyrani elaboraſſe novum circa Gratiam Syſtema. Doctorali laurea inſignitus eſt Lovanii an. 1617. ibique ſacras literas profeſſus eſt anno 1630. Electus anno 1635. Yprenſis Epiſcopus, Opus, quod inſcribitur, *Auguſtinus* extrema manu perpolivit, ſcriptaque ſua, publicis quoque Tabulis, Romanæ Eccleſiæ & Pontificis maximi judicio ſubjiciens die 6. Maji anno 1638. in Eccleſiæ communione deceſſit. Hujus obedientiæ exemplum, quod tamen doctrinæ illius ſectatores imitari non curant, aliaque Chriſtianarum virtutum ſpecimina immodicis laudibus exornant Yprenſis Epiſcopi Apologiſtæ, & præſertim in Panegyri Janſeniana Paulus Aurelius, quaſi vitæ probitas ſit certiſſimum Catholicæ doctrinæ argumentum. At erraſſe non ſemel in dogmate bene inſtitutos ſpectatosque viros demonſtrant, ut omittam S. Martyrem Cyprianum, exempla Theodori Mopſueſteni, Ibæ, & Semipelagianorum Maſſilienſium, quos Proſper appellat *viros ſpiritualium ſtudiorum*, pluriumque ſimilium, de quibus vide diſſertationem Prodromam noſtri Philippi Van-Waure acerrimi Janſenianorum Oppugnatoris. Quamquam me latet, ſitne prædictis comparandus Yprenſis Antiſtes. Nam quæ ipſe ſcripſit Epiſt. 113. ad San-Cyranum, *Doctrinam*, *quam in Sancto Auguſtino reſeravit*, *omnibus ſtuporem incuſſuram*, & Epiſt. 131. *ſe adduci non poſſe*, *ut credat Opus ſuum à judicibus approbandum unquam fore*: & quæ ſcripſit Tom. 2. p. 27. de Scholaſticis, & de univerſa Eccleſia, carere intelligentia eorum, *quæ in precibus ſuis*, *ipſaque Oratione Dominica quotidiana proteſtatur*; hæc, inquam, neque inculpatæ conſcientiæ indicium præbent, nec religioſæ. Sed de Janſenii conſcientia nolumus juxta monitum Apoſtoli ante tempus judicare.

5. Qualiter examinata doctrina Janſenii.

Liber vero Janſenii ut Lovanienſibus typis prodiit in lucem, præmiſſo exacto examine, memorata Conſtitutione Urbani ad tenebras damnatus eſt, quod adverſus præcedentia ſtatuta de Auxiliis divinæ gratiæ non obtenta facultate pertractaret, multasque contineret Baji aſſertiones à Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas. Interea cum novum Opus cenſorum virorum manibus tereretur, Deputati à Sacra Facultate Pariſienſi quinque famoſas propoſitiones inde excerptas notarunt, easque 85. Gallicani Præſules an. 1650. exhibuerunt Innocentio X. nonnullis aliis numero tamen atque authoritate paucioribus, repugnantibus. Inſtituta à Romano Pontifice pro Examine propoſitionum ſpeciali Congregatione, non defuere qui pro Janſenii Cauſa ſedulam navarent operam, inter quos Ludovicus de S. Amour, Delalane, Angran, Deſmares, & Maneſſier: inſtantibus contra pro damnatione Halliero Syndico Pariſienſis Univerſitatis & viris aliis doctiſſimis. Diſcuſſa autem & ventilata per biennium controverſia, ita ut jure merito poſtea affirmaverit Alexander VII. majorem non potuiſſe deſiderari diligentiam, Innocentius X. facta prius in Congregatione coram ſe habita declaratione quod nullum omnino vellet Auguſtinenſi & Thomiſticæ Scholæ præjudicium afferre, quemadmodum declaraſſe præfatum Alexandrum Theologis Lovanienſibus dictum eſt ſupra, emiſit Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum occaſione impreſſionis libri, &c.* per quam famoſæ propoſitiones tanquam falſæ & hæreticæ fuere damnatæ. Paſſis naufragium Janſeniſtis aperire portum viſa eſt celebris facti, jurisque diſtinctio; unde inclamare cœperunt ſe quoque rejicere propoſitiones Innocentiano Decreto proſtratas, at non ſenſum Janſenii, quem neceſſe foret ex amplo Auctoris volumine piſcari, atque in hujus ventilatione ad critices regulam exigenda eſſe Romanum quoque Pontificem errandi periculo obnoxium. Atque id impulit vigilantiſſimum Apoſtolicæ Cathedræ moderatorem Alexandrum non ſolum ad confirmandam Conſtitutionem Innocentii die 16. Octobris anno 1656. verum etiam ad præſcribendam formulam Juramenti ab Eccleſiaſticis omnibus præſtandi, excerptas fuiſſe propoſitiones ex libro Janſenii, & in ſenſu ab eodem auctore intento damnatas. Quod mandavit Pontifex Maximus die 15. Februarii anno 1664. Tum Janſeniani alii veluti erectis vexillis abnuere ſe prædictæ formulæ ſubſcripturos in Hollandiam profugæ & exules. Alii haud veriti ſolemniter mentiri, & dejerare, formulæ palam ſubſcribere, autumantes religioſum ſervandum eſſe ſilentium: quam deteſtandam hypocriſim quidam uno, quidam altero titulo palliare ſtuduerunt, etiam ab ipſo Arnaldo Janſenianis partibus addictiſſimo digna vituperatione exagitati. Quid enim turpius quam diſſimulatione, aut alienæ mentis ſenſu propoſitam ſine ambiguitate à ſupremo Judice ſententiam jurejurando firmare? Suborta poſthac circa formularii deſcriptionem etiam per Belgium diſſidia oportune compeſcuit Innoc. XII. die 6. Februarii anno 1694. Conſtitutione, qua declaravit Propoſitiones ex libro Janſenii excerptas à ſuis Prædeceſſoribus fuiſſe damnatas *in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præferunt*; inhibendo ulterius ne quis invidioſo nomine Janſeniſmi traduceretur, niſi legitime conſtiterit aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe. Verba autem Pontificis à nobis relata ſunt cap. VII. Theſi 4. De H. Pelagiana. Quare doctrinam de gratia efficaci majorum ſuorum exemplo Lovanienſes ad hanc uſque diem invictiſſime propugnarunt, pro ea ſtant imperterriti Auguſtiniani, & Thomiſtæ, eamque ætate noſtra in conſpectu totius Eccleſiæ tenuit Romanus Pontifex, elogioque præclariſſimo conſecravit: atque ingenue fatentur Thomiſtas à Janſeniſtis toto cœlo diſtare viri plures Theologi ex illorum quoque palæſtris, qui efficacem ab intrinſeco gratiam oppugnant, ut Deſchamps, Martinonus, Annatus. Vide horum teſtimonia apud Franciſcum Vanraſt 2. volum. p. 75. Sed de vindiciis Scholarum noſtrarum dictum ſupra.

6. Quinque propoſitiones Janſenii damnatæ.

Damnatæ ergo Propoſitiones Janſenii ſunt iſtæ: I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* III. *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum*

ſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe. Circa has autem propoſitiones, quoniam ut vidimus hactenus, Janſeniſtæ principio negabant fuiſſe à Janſenio prolatas, deinde rei evidentia devicti affirmarunt non alio ſenſu ab Auctore conſcriptas, quam eo, quem exigat Auguſtinianum de gratia ſyſtema; poſtea vero damnato ipſius auctoris ſenſu proſtrati penitus & ſubacti non aliam evadendi viam invenerunt, quam in factis dogmaticis pontificium judicium aut pervicaci obſtinatione, aut obſequioſo, ut vocant, ſilentio eludere & parvipendere: operæ pretium nos facturos eſſe arbitramur, ſi poſteaquam de Bajana damnatione inſtituta fuerit diſputatio, vana hæc & exhauſta Janſeniſtarum ſubterfugia in auram fumumque reſolvere elaborabimus.

7. In quo ſenſu ſint damnatæ.

Priusquam autem id conemur attingere, proponendum eſt breviter qualem ſenſum præferant præmiſſæ propoſitiones, & qualem intenderit idem Auctor; ne imperiti, aut malevoli nobis ſuccenſeant, quod gratiam conſtituamus in inſpiratione ſanctæ dilectionis & in explicanda ejus natura nonnihil à vulgari Thomiſtarum placito recedamus. Et quidem in re difficili explicanda non ſolum Auguſtini ſententias, ſed ipſa quoque verba nos exſcripſiſſe viderit qui S. Patris contra Pelagianos diſputationes diurna, & nocturna manu verſaverit. Docet ergo Janſenius lib. 4. de Grat. Chriſti cap. 11. gratiam eſſe delectationem & ſuavitatem, qua anima in bonum appetendum delectabiliter trahitur; ac pariter delectationem concupiſcentiæ eſſe deſiderium illicitum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat. Eodem lib. cap. 9. docet utramque delectationem invicem pugnare, earumque conflictum ſopiri non poſſe, niſi alteram altera delectando ſuperaverit, & eo totum animæ pondus vergat, ita ut vigente delectatione carnali impoſſibile ſit, quod virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat. Addit lib. 7. cap. 5. delectationem eſſe vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit. Contendit lib. 4. cap. 7. naturali ordine ex delectatione dilectionem, ex dilectione operationem conſequi: & lib. 2. cap. 25. gratiam & opus bonum ita reciprocari, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum eſſe infertur, ita vice verſa ex defectu operis inferatur gratiam non eſſe datam. Demum lib. 3. cap. 21. ſcribit, omnibus illis, pro quibus Chriſtus Sanguinem fudit, etiam ſufficiens auxilium donari, quo non ſolum poſſint, ſed etiam re ipſa velint & faciant id, quod ab eis volendum & faciendum eſſe decreverit. Hæc omnia verbis ipſis Janſenii à nobis narrata ſunt.

8. Diſcrimen inter has propoſitiones, & doctrinam auctoris.

Videt, ut arbitror, qui legerit ſuperiores diſſertationes noſtras cum hæreticum ſenſum propoſitionum Janſenii, tum maximum Auguſtinenſium à Janſenianis diſcrimen. Ait Janſenius impoſſibile eſſe, ut vigente ſancta delectatione illicitum prævaleat deſiderium & conſideratio peccati, & econtra ſub vividiori concupiſcentia neceſſario liberum arbitrium ſuccumbere. Juſtis ergo conantibus & volentibus, dum deeſt victrix delectatio & gratia efficax, impoſſibile eſt divina obſervare præcepta. Nos contra, nullam delectationem contendimus injicere vinculum libertati, niſi ſummi boni per lumen gloriæ manifeſtati, aut boni, ut inquiunt, in communi, extra quod divagari nequit voluntatis inſtinctus; propterea quod hæc duo tantum tollunt indifferentiam judicii: ideoque ſicut quacunque gratia præventus poteſt iniquus reluctari; ita quacunque premente cupiditate poteſt juſtus perſeverare. Ita priorem propoſitionem Janſenii rejicimus, damnamus, refellimus, reprobamus. Quod de reliquis eadem ratione dicendum eſt. Nam ſententia noſtra nec ſemper gratiæ dilectionem inſpiranti aſſentimur, neque neceſſe eſt ut ſequamur, quod magis delectat, neque poteſtas reluctandi gratiæ, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti Semipelagianiſmi eſt indicium; neque ſolis prædeſtinatis gratia operationis intuitu meritorum Chriſti confertur. Quod ſi ad opera ſalutaria actu perficienda neceſſarium defendimus auxilium ſuapte natura efficax; conſentientes habemus Theologos præclariſſimos nulla Janſenianæ labis caligine aſperſos. Satis quippe eſt, ad profligandæ ſcita Janſenii, ſub prava delectatione veram poteſtatem agendi, atque ſub delectatione victrici poteſtatem agnoſcere reluctandi. Atque his ea omnia confirmantur, quæ de maxima Noſtratium à Janſeniſtis diſcrepantia diximus de H. P. cap. VII. Theſi 4. At, ſi quæ ſuperſunt, quæ ad invidiam, aut erroris ſuſpicionem adhuc noſtram videantur trahere ſententiam, eadem plana facere in hac ipſa diſquiſitione curabimus.

9. Vita Quenellii.

Etenim suspicientes patrocinium æquitatis, nec Bajum extimescere possumus, nec Jansenium, nec, qui magnas contentiones iterum excitavit, Paschasium Quenellium. Is Lutetiæ Parisiorum natus Quinctili mense, anno 1633. Congregationi Presbyterorum Oratorii, non institutæ à Philippo Nerio, Florentinæ, ac Romanæ Urbis singulari ornamento, sed illi, quæ auctorem habet Berullam S. R. E. Cardinalem amplissimum, vertente anno 1557. nomen dedit. Elucubravit, ediditque anno 1676. dissertationes ad Opera S. Leonis Magni: opus statim Romæ proscriptum, & ab Eximio Ordinis nostri viro Christiano Lupo confutatum in libro de Appellationibus. Damnationis decretum incredibili audacia *libellum famosum* imposturis, & diabolico odio plenum non dubitavit appellare. Congregationis suæ monita ac præcepta pertinacissime sprevit, dimisso quoque habitu, ac nomine erro factus & profugus. Prodiit anno 1699. Parisiis Quenellii opus inscriptum, *Le noveu Testament en Francois, avec des Reflexions morales sur chaque verset*: in eo renovavit Baji, & Jansenii damnata dogmata, ampliavitque errores ad propositiones 101. à Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* an. 1713. jure, meritoque proscriptas. Etenim nullam gratiam nisi efficacem Quenellum admittere, ac talem, quam nihil impedire possit & retardare, liquet à propositione nona ad vicesimam quartam. Absque tali gratia impossibilia esse divina præcepta asseritur primis quatuor, necnon tricesima octava & duabus sequentibus. Gratiam primi hominis debitam ac naturalem tradit propositio 34. 35. & 37. Ante fidem, & remissionem peccatorum nullam dari gratiam traditur propositione 26. 27. 28. Mitto plura alia, quæ pertinent ad charitatem, ad Ecclesiam, ad Sacrarum Scripturarum lectionem, aliaque dogmata. His enim evidentissime constat Quenelli, cum Bajo, & Jansenio concordia.

10. Doctrina S. Augustini non est damnata cum erroribus Baji, Jansenii & Quenellii.

Bulla *Unigenitus* annúnciata Universitati Colonienſi die 8. Januarii anno 1715. concordi Doctorum approbatione recepta est, dum Theologicam Cathedram moderabatur Nicolaus Gircken Scriptor Instituti nostri percelebris. Idem præstiterat præcedenti anno die 3. Augusti Academia Duacensis. Probarunt unanimiter Pontificis maximi judicium Theologi Lovanienses die 8. Julii an. 1715. Regente Theologicæ Facultatis Jacobo Van-Bossuyt nostri pariter Ordinis viro eximio. Eandem Constitutionem omnino servandam publicaverunt clarissimi Antistites Namurcensis, Ruræmundensis, Gandavensis, Antuerpiensis, Tornacensis, Audomarensis, aliique plurimi. Excepit, dignaque veneratione amplexata est die 19. Augusti anno 1716. universitas Salmanticensis. In Italia, Germania, Hispania, & Lusitania singuli, ut par erat, illi obtemperarunt. A Gallicanis Episcopis prodierunt pro acceptatione hujus Bullæ mandata cxxx. relata in libro, cui titulus, *Recueil des Mandemens, & Instructions Pastorales des Messeigneurs les Archevêques Evêques de France pour l'acceptation de la Constitution de N. S. Pere le Pape Clement XI. du 8. Sept. 1713. &c.* Recepta tandem Clementina Constitutione ab omni Catholicorum Ordine, paucis Rrefractariis exceptis, ne iterum adversus efficacem gratiam insurgerent dialectici disputatores, præter Benedicti XIII. commemoratas approbationes, consuluit Scholarum tranquillitati etiam vigilantissimus Ecclesiæ universalis Pastor Clemens XII. Brevi *Apostolicæ Providentiæ officio* - emanato die 2. Octob. anno 1733. ut liquet ex Bullario FF. Prædicatorum Tom. 6. pag. 738. In quo à regnante Pontifice redarguitur primò *intolerabilis eorum pertinacia, qui etiam nunc contendunt censuris latis in Constitutione* Unigenitus *doctrinam Sanctorum Augustini & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam*, Deinde præcipitur *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub canonicis pœnis, ne disputantes, aut docentes, sive scriptis editis, sive aliter propositiones defendant, aut enuncient, quæ interdictas Novatorum calumnias firmare, ac promovere possint.* Postremo, ut etiam à Paulo V. sancitum fuit, ad extinguendum fomitem dissensionum interdicit, *ne vel scribendo, vel docendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam, aut censuram ullam Theologicam Scholis diversa sentientibus inurere, aut earum sententias conviciis & contumeliis incessere aliquis audeat, donec de iisdem controversiis S. Sedes definiendum, ac pronunciandum censuerit.* Igitur omnium Pontificum, ad hunc usque, quem pro Ecclesiæ suæ commodo duitissime regnare cupimus, approbatione atque auctoritate, censenda est S. P. Augustini doctrina tutissima atque inconcussa, & nullatenus petita Baji, Jansenii, & Quenellii condemnationibus.

CAP.

CAPUT II.

Non esse Censuras, & Constitutiones adversus Bajum adulterinas, & subreptitias.

SUMMARIUM.

1. Opinio Jansenianorum.
2. Assertiones Baji esse reprobatas Parisiis.
3. Sunt damnatæ per constitutiones Pontificias non subreptitias.
4. Verè sunt proscriptæ in Bulla Pii V.
5. In quo sensu sint rejectæ
6. Probatur ex ore ipsius Baji.
7. Usque ad 13. Solvuntur Objectiones.

1. Opinio Jansenianorum.

JANSENIANI, ne se prædamnatos in Bajo fateantur, facti malæ causæ Patroni inquiunt illius doctrinam neque à Theologica Facultate Parisiensi fuisse censoriâ animadversione notatam, nec proscriptam Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. Constitutionibus. Atque id postremum triplici via evincere moliuntur. Quidam enim ajunt Bullas horum summorum Pontificum subreptitias esse: nonnulli contendunt his non perstringi propositiones in rigore, & proprio verborum sensu ab auctoribus intento: aliqui inverecunde asserunt errasse Romanos Pontifices, atque se Augustini auctoritate satis esse munitos. Hæc ergo perversorum hominum inventa subjectis thesibus repellam.

2. Assertiones Baji esse reprobatas Parisiis.

PROPOSITIO I. Extra omnem controversiam positum est, Universitatem Parisiensem anno 1560. XVIII. assertiones Michaëlis Baji raprobasse.

Demonstratur primo Historicorum omnium consensione, qui hujus Censuræ meminerunt; ut constat ex Raynaldo ad annum 1561. num. 5. & 42. & Cardinali Pallavicino lib. xv. Hist. Concilii Tridentini capite 7. num. 7. Præterea comprobatur testimonio doctissimi Cardinalis Hieronymi Seripandi Ordinis nostri, qui floruit eodem tempore, atque in suis Commentariis recitat censuram ipsam Theologorum Parisiensium, ut liquet ex notis marginalibus laudatæ Historiæ Tridentini citato loco. Accedit insuper testimonium ipsius Baji, qui non solum de hac censura conscripsit Epistolam stomachi & querelarum plenam ad P. Antonium Sablonium, de qua vide Stephanum Deschamps lib. 2. de H. Jans. disp. 1. verum etiam illam notis Apologeticis dispunxit: easque notas pariter invenies inter opera Seripandi. Probatur etiam non uno momento ex ipsamet sacra Facultate Parisiensi. Nam primum extare in Archivis ejusdem Facultatis memoratæ censuræ exemplar, fatetur cum Jansenistis reliquis Vincentius Lenis: incredibile est autem casu aliquo, aut fraude irrepsisse in celeberrimæ facultatis Tabularium. Deinde nisi censura à sacra Facultate prodiisset; cum cœpit suo ejus nomine vulgari, proculdubio reclamasset, publicâ fide contestans turbas erumpentium inde dissidiorum nequaquam ob illam fuisse excitatas. Ad hæc nemo denegat prædicto anno 1560. F. Petrum de Quercu, aliosque Fratres minores articulos Baji Theologis Parisiensibus exhibuisse, eorumque judicium expostulasse. Ergo sacra illa Facultas, aut nulla censura perstringendos existimavit, aut judicavit oppositum, aut noluit responsum postulationibus reddere. Id vero nunquam facere doctissimi Theologi consuevere, ubi maxime de re gravi, & pernicioſa novitate actum sit. Approbasse articulos Baji est prorsus incredibile; nam interdixit non semel, præsertim an. 1644. ne auderet quispiam illos defendere ac propugnare. Itaque sacra Parisiensium Facultas FF. Minorum precibus annuit, & Bajana asserta censoriis notis perstrinxit. Demum reis damnatisque hominibus, dum factum negant sine tabulis, sine testibus, sine contrariorum locorum confutatione nullam omnino fidem adhibere debemus; quomodo nemo censet auscultandum Melanchthonem, qui in Apologia pro Luthero simillimo temeritatis, & inconsiderantiæ exemplo, ait ab eadem Parisiensi Academia articulos hæresiarchæ non fuisse proscriptos. Atque his demonstratum est, Parisiensium contra Michaelem Bajum censuram in dubium à Jansenistis perperam revocari.

3. Sunt damnatæ per constitutiones Pontificias non subreptitias.

PROPOSITIO II. Romanorum Pontificum adversus eundem Bajum Constitutiones temere, audacter, & inverecunde subreptitiæ dicuntur.

De Bulla Pii V. demonstratur evidentissime. I. Quia cum Bajus exornasset propositionum suarum Apologiam, & S. Pontificem Pium V. supplex orasset, ut ea perlecta decerneret, an Bullam *Ex omnibus afflictionibus* jam Lovanii publi-

publicatam vellet haberi legitimam, an subreptitiam; rescripsit Pontifex die 13. Maji 1569. *Non sine matura deliberatione editam fuisse*; addidit *curavisse*; *ut libri, ipsæ propositiones & scripta Apologetica novo & maturo examine expenderentur*; prioremque damnationem iterum confirmavit, imponens Bajo, & *cæteris dictarum propositionum assertoribus perpetuum silentium.* II. Quia Gregorius XIII. Constitutione *Provisionis nostræ* an. 1579. Bullam Pii V. confirmavit, districtè præcipiens ut mandaretur executioni: Urbanus autem VIII. & Pii & Gregorii Bullas anno 1641. firmavit, probavit, consecravit: ideoque nisi hæc postrema subreptitia sit, neque tales erunt præcedentes. III. Constitutionem Urbani esse legitimam & autographam demonstrat in illius Apologia cap. IX. Paludanus iisdem argumentis, quæ ampliori stylo prosecutus est Stephanus Descamps disput. 1. superius laudata; atque ex hoc celebri, ornatissimoque Scriptore Honoratus Tournely, sive qui Magistri nomine nuper edidit perpolita & elaborata methodo prælectiones Theologicas Tom. 1. de Gratia differt. IX. cap. III. art. 1. Probat autem Michael Paludanus Urbani Constitutionem non esse supposititiam, ex Brevibus, quæ Urbanus anno 1643. dedit ad Belgii Gubernatorem, ad Archiepiscopum Mechlinienſem, aliosque Antistites Belgas: necnon ex libello Lovanienſium Doctorum ad ipsum Urbanum directo; & quo per Synnichium accepto mandavit Pontifex die 24. Junii anno 1644. ut Bullæ, *In eminenti*, exemplar diligenter cum Originali in Romanis Archiviis asservato collatum ad Lovanienses dirigeretur. Quæ Brevia, & rescripta, quoniam in manibus multorum versantur, *habet constitutio Urbani* (inquit Paludanus) *tot suæ veritatis publicos testes, quot Brevia ista habent lineas, dictiones, syllabas, apices.* Hinc ab Alexandro VIII. anno 1690. rectissime damnata est hæc Propositio: *Bulla Urbani VIII.* In Eminenti *est subreptitia.*

4. Verè sunt proscriptæ in Bulla Pii V.

Propositio III. In Bulla Pii V. ejusque confirmationibus vere ac proprie assertiones Baji in sensu ab Assertoribus intento fuerunt proscriptæ.

Enimvero, nisi Bajani articuli fuissent in proprio verborum sensu damnati, id foret, quoniam in Bulla S. Pii ubi legitur, *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab auctoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective damnamus, circumscribimus, & abolemus*: in his, inquam, verbis contendunt Apologistæ apponendum esse comma post verba illa, *sensu ab auctoribus intento*; non post ea, *sustineri possent*; atque hoc pacto in sensu rigoroso ipsius Baji veras esse ac posse tuto defendi. At istud falsum omnino est: & gratis etiam ac liberaliter concesso comma post verbum, *possent*, affixum fuisse pro libitu, hæc Apologistarum cavillandi ratio esset penitus futilis, arida, & extenuata. Nullum ergo habent, quo se recipiant, perfugium. Videamus principio an de affixione τοῦ κόμματος justa sit conquerentium Jansenianorum expostulatio. 1. Dum ajunt in Bulla Pii V. nullam fuisse interpunctionem; ostendunt se ignorare consuetudinem Romanæ Curiæ; in qua Bullarum duo Mss. asservantur; primum, & autographum in Archivio supremæ Inquisitionis notis periodos distinguentibus exaratum; alterum in *Regesto*, ubi juxta antiquioris scripturæ formam minutissimis notis, punctisque periodi cola non inciduntur. Quamquam ergo caruit commatibus exemplar Bullæ ad Belgas directæ anno 1567. nec inter se conveniunt omnia aut Mss. aut impressa, & quæ ex *Regesto* exscripta facile potuerunt variantibus notis distingui: quamvis etiam primum exemplar typis Romanis cusum, anno 1642. non habet aut Amanuensis aut Typographi incogitantia post verbum *possent* commatis notationem: his tamen omnibus concessis, extare comma illud in autographo existente in Archivio SS. Inquisitionis constat testimonio Cardinalis de Lugo, qui die 26. Octob. an. 1644. testatus est se illud inspexisse, & virgulam illam observasse: constat ex altero exemplari ad fidem archetypi excuso, & Lovanium delato per Franciscum Toletum an. 1580. in quo comma extitisse liquet ex Ripalda Tom. 3. de Ente sup. disp. 1. sect. 2. constat ex mandato Urbani; quo, ipsomet anno 1642. statim ac Romæ prodiit Bulla absque commate incogitantiâ Typographi, restitutum est in impressionibus Belgicis: constat denique ex edito jussu Pontificis, collationato, & declarato authentico anno 1644. & quod diximus per Synnichium ad Theologos Lovanienses fuisse directum. Atque ex his exploduntur omnes Apologistarum cavilli. Quotquot enim exemplaria proferunt aut Mss. aut cusa ante præfatum annum, negamus cum autographo con-

cor-

cordare, ducti hiſtoricis monumentis, teſtimoniis eorum qui diligenter Romana Archivia verſarunt, &, quod caput eſt, declaratione Romani Pontificis, ad quem ſpectat Conſtitutionum ſuarum authenthicitatem, tenorem, poteſtatemque præſcribere.

5. In quo ſenſu ſint rejectæ.

At dato nullam in archetypis extare comma, eoque etiam, ubicunque libuerit Bajaniſtis, affixo: ut recte docet Ludovicus Bail, *De beneficio Crucis* art. 3. & Michael Paludanus in Apologia Conſtitutionis Urbanianæ cap. XIV. quotiescunque reprobantur propoſitione aliquæ cum iſta, aut conſimili clauſula, *Quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtinere poſſent*; definitur, quod, cum ſub cortice literæ poſſit multiplex ſenſus latere, etiamſi veræ aut probabiles forent, acceptæ in ſenſu aliquo, tamen in proprio & obvio, & quem verba ipſa præſeferunt, ſunt rejiciendæ: atque id maxime ſi pronuncientur indefinite: tunc enim, ut tradunt Dialectici, univerſalibus æquipollent; atque ad earum falſitatem ſat eſt, ſi in aliqua ſignificatione nequeant probari. In exemplo ſit hæc propoſitio Janſenii, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*; quæ licet vera ſit de gratia efficaci, de qua ait S. Pater, quod à nullo duro corde reſpuitur; attamen cum indefinite prolata ſit, in ſenſu obvio, & quem intendit auctor uſus communi, & amplo vocabulo *Gratiæ*, pravum hæreticumque reddit ſenſum, quod nulla detur gratia ab effectu disjuncta, & cui liberum reluctetur arbitrium: & propterea jure meritoque eſt damnata. Et quod de una propoſitione dictum modo eſt, de cæteris omnibus, quibus complexu verborum ineſt ſenſus multiplex, valet aſſertio noſtra. Imo fieri poteſt, ut planior & communior propoſitionis ſenſus ſit verax; & nihilo ſecius quia conſtat à proferentibus pronunciari ſignificatione non recta, provide, rectiſſimeque damnetur: ut olim proſcriptas novimus iſtas: *Maria eſt Chriſtipara*, *Unus de Trinitate paſſus eſt*; quoniam priori abutebantur Neſtoriani affirmantes Mariam peperiſſe hominem perſonalitate diverſum à Verbo; altera Eutychiani, aſſerentes divinam, & humanam naturam, in qua Redemptor apparuit, in unam coaluiſſe. Vertant ſe ergo quocunque volunt litigioſi Apologiſtæ. Indefinitæ ſunt Baji, Janſenii, Quenelliique enunciationes. Harum ergo Aſſertores eas proferunt in ea quoque ſignificatione, quæ reprobatur: & licet poſſent aliquopiam ſenſu teneri; pronunciandæ non ſunt, quoniam dum indefinite pronunciantur, etiam ſignificationem reprobandam præſeferunt.

6. Probatur ex ore ipſius Baji.

Denique probatur theſis ex quo recte, & in ſenſu ab aſſertoribus intento damnatas fuiſſe prænunciatas propoſitiones definierit Facultas Lovanienſis an. 1701. & Duacenſis in libro, qui inſcribitur *Veritas, & æquitas Cenſuræ*, edito an. 1649. atque ipſe Bajus, ut diximus, an. 1580. publico inſtrumento teſtatus ſit multos ex damnatis articulis ſuis editis Opuſculis contineri, eosque, & reliquos omnes à ſe pariter improbari, *ſecundum Bullæ intentionem, & ſicut Bulla damnat.* De qua laudanda, & pervicacibus Apologiſtis ad exemplum, & confuſionem objicienda Retractatione vide Operum Baji P. 2. pag. 188. & Faſtos Academicos Lovanienſes pag. 369.

7. Objectiones Adverſariorum Solvuntur.

Propositio. IV. Damnationi articulorum Baji nefas eſt refragari.

Confugiunt, ut dictum eſt, quidam Apologiſtæ ad commentationem de fallibilitate Pontificis in condemnandis dogmatibus juxta ſenſum intentum ab aſſertoribus, ſive in proferendo judicio de libri alicujus doctrina. Id vero perfugium eſſe miſerrimum, arcemque diruptam, oſtendam hac ipſa diſſertatione poſt ventilatam doctrinam Janſenianam. Sunt alii, qui reponunt Bullam non fuiſſe ab univerſali Eccleſia acceptatam. Atque hi duplici errore tenentur, dogmatis ſimul & facti; neque enim Pontificia decreta facta ſuprema illa auctoritate, quæ à Chriſto deſcendit, & Petro, ejusque ſucceſſoribus collata eſt, vim habet à populorum acceptatione: ac præterea, ſi paucos Refractarios excipias, quorum, ut infra demonſtrabo, nullam habere debemus rationem, Bullas adverſus Bajum, Janſenium, & Quesnellum maxima Catholicorum pars, celeberrimæ Univerſitates, & Epiſcoporum Conventus plurimi receperunt. Nonnulli tandem confugiunt ad tutiſſima dogmata Auguſtini, eadem, ut inquiunt, cum aſſertionibus Baji. At hi ſplendide mentiuntur. Nullus quippe Sectariis iſtis magis, quam Auguſtinus faciat, opponitur; quod & ex omnibus diſſertationibus noſtris apparet, & ex Romanorum Pontificum definitionibus, in quibus dum Bajus proſternitur, Auguſtini doctrina ſummis laudibus celebratur. Poſtremo intolerabilis eſt arrogantiæ, velle ſupremam auctoritatem excutere oppoſitione minoris. *Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris;*

ris; inquit 2. 2. q. 10. art. 12. S. Thomas. Nec aliter sentit idem Augustinus: qui Serm. 131. alias 2. de verbis Apost. cap. 10. de controversiis Pelagianis, ait: *De hac Causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est.* Et in primo libro contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 1. ita Bonifacium alloquitur: *Hæc ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda, quam examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda, constitui.* Discant ergo Janseniani Causarum finitionem haberi ab Apostolicæ Sedis Rescripto, & à supremo Judice recipiant emendationem: & quamquam Augustini scita tutissime teneri possint, animadvertant nec ea se percepisse, nec eorum præsidio licitum esse Constitutionibus Romani Pontificis adversari. Quidquid ergo prætexunt, sive mutabilitatis judicii, sive oppugnationis Contrariorum, sive Augustinianæ doctrinæ, nullum affert Jansenistarum inobedientiæ præsidium.

Dispungitur Contraria Argumentatio.

8. Ulteriùs objicitur primò.

Audiamus tandem ipsos Apologistas. Hi Bullam Urbani esse subreptitiam conantur demonstrare 1. ex nota Chronologica; quia data est Romæ die ante Nonas Martii anno 1641. & in ea fit mentio libri Jansenii, qui licet jam typis cusus, nondum Romam delatus fuerat: imo non legitur fuisse Bullam publicatam nisi XIII. Kalendas Julias an. 1643. II. Ex attestatione Deputatorum Lovanienſium, qui juramento affirmarunt, cautum fuisse ab Urbano, ne aliquis *proprio nomine expresso fugillaretur.* At in Bulla, quæ circumfertur, expresse Jansenii liber, ac nomen apponitur. III. Ex ipsa Operis Jansenii condemnatione: si enim Urbanus intenderat duntaxat confirmare Pii V. & Gregorii XIII. Constitutiones; eccur Jansenii librum adhuc sub prælo sudantem in scenam producere?

9. Objicitur secundò.

Deinde non damnari Constitutione Urbaniana proprium & obvium sensum intentum à Bajo, studeant evincere I. Ex interpositione commatis, quo vetustiora exemplaria carebant. II. Ex Epistolis Morillonii, & Cardinalis Granvellani affirmantium nonnullas ex damnatis propositionibus aliquo sensu posse defendi. III. Ex decreto Facultatis Lovanienſis an. 1567. quo declaravit, *posse nonnullas aliquo pacto sustineri in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*; quod etiam tenet in libro de Benef. Crucis art. 3. Ludovicus Bail.

10. Objicitur tertio.

Posse demum salva fide eidem Constitutioni aliquem adversari, I. Nituntur colligere ex quo Pius V. & Gregorius XIII. obscurissima decreta ediderint, philosophicæ eloquentiæ tecta velamine, quæque possint in varios sensus torqueri. II. Ex quo talia decreta eliminent doctrinam S. Augustini aliorum Romanorum Pontificum oraculis consecratam. III. Quoniam singulis propositionibus propriam notam minime inurunt, sed eas proscribunt vage, indeterminate, ac *respective*, ut nemo possit dignoscere, quænam sint hæreticæ, quænam suspectæ, quænam piarum aurium offensivæ.

11. Solvitur prima objectio.

His brevissime, & ex ordine respondentes dicimus ex nullo capite Conclusiones nostras divelli. Ad 1. enim reponimus librum Jansenii typis editum an. 1640. & Bullam Urbani an. 1641. pridie nonas Martii, *ab Incarnatione*, id est secundum vulgarem computandi rationem an. 1642. Quare nihil refert, si nonnullæ Belgii Editiones datam commonstrant hoc postremo anno: sicuti Bulla Confirmationis Tridentini Concilii edita à Pio IV. dicitur emanata die 26. Januarii an. 1563. cum tamen Concilium fuerit absolutum an. 1564. Quod vero promulgatio fuit ad annum proximum prorogata, dandum indulgentiæ Pontificis, qui voluit, ut animus Jansenistarum exploraretur, num vellent sponte præcedentibus mandatis obtemperare. Quod sequitur solvitur à multis brevi hac & peremptoria responsione: à deputatis Lovanienſibus falsum esse narratum, quoniam Urbanus fatetur se proscripsisse librum Jansenii in omnibus Brevibus datis an. 1643. ad Antistites Belgas, ubi ait, *Ipsum Jansenii librum omnino reprobavimus.* At nos nolumus doctis viris crimen mendacii objicere; interpretamur enim assertionem illorum, quod deposuerint voluisse Pontificem damnari solam doctrinam, non personam Jansenii, aut Baji, qui se Ecclesiæ judicio subjecerunt. Ad tertium vero hæc sit responsio: In confirmatione Constitutionum Pii V. & Greg. XIII. debuit reprobari etiam liber Jansenii, quia in isto ut vidimus præced. cap. errores Baji insiti deprehendebantur.

12. Solvitur objectio secunda.

Exsufflantur eadem facilitate alterius classis argumenta. Ac primum de appositione commatis satis superque Propositione 3. expunctum est. Secundum vero & tertium diluitur à multis, negando haberi quæ dicta sunt in laudatis Epistolis, aut in decreto Lovanienſium, cui aperte opponitur alterum anno 1701. superius commemoratum.

At

At absque hujusmodi effugio, obſervatum ſupra in propoſitionibus indefinite prolatis, ſi verborum ſenſus multiplex ſit & ambiguus, obvium ac proprium eſſe falſum, etiamſi propoſitiones in aliquo ſenſu ſint veræ ac probabiles. Iſtud ergo ſignificare voluit Cardinalis Granvellanus: iſtud Marillonius: iſtud antiquius decretum Facultatis Lovanienſis: quæ proinde potuit absque ulla contradictione in poſteriori decreto definire articulos Baji recte damnari in ſenſu proprio & rigoroſo verborum. Quare neceſſe non eſt reſpondere cum Tournely decretum anni 1567. non eſſe genuinum Facultatis Lovanienſis Opus, quia in Editione adornata à Gerberonio inſcribitur *Atteſtatio Cornelii Janſenii*; aut Sacram Facultatem à priori ſententia receſſiſſe, ut liquet ex declaratione anni 1585. & 1701. quando proteſtata eſt damnari articulos Baji in ſenſu ab aſſertoribus intento: quamquam hæc non ſine probabilitate ſint dicta. Longe tamen eſt probabilius Janſenium, quantumvis Baji ſtudioſum, noluiſſe tam ſolemniter mentiri nomine celeberrimæ Univerſitatis, à qua poterat apertæ falſitatis redargui: atque Univerſitatem ipſam nunquam unanimi ſenſu probaſſe, quæ poſthac judicaverit retractanda.

Ad ea, quæ tertia argumenti ſectione objiciuntur, hoc habeto reſponſum. Nullum eſt in memoratis Bullis ænigma, nulla obſcuritas, nullum verborum aut ſententiarum involucrum. Plures enim articuli ipſis verbis exprimuntur, quibus à Michaele Bajo fuerunt prolati: in ſenſu horum verborum condemnantur; & damnatio continet perpetuam omnium abolitionem. Igitur absque ulla ambiguitate & referuntur & reprobantur. Damnatam cum poſitionibus Baji doctrinam S. P. N. Auguſtini eſt pura puta calumnia ſuperiori capite, & IX. de H. P. ſatis exploſa. Qualificatio demum propoſitionum non aptatur ſingillatim unicuique, ut nullam audeat quispiam pronunciare. Eadem omnino ratione à Martino V. articuli Witcleſi, & à Leone X. Lutherani fuerunt, ut inquiunt, *in globo*, id eſt communi notatione damnati. Adverbium *reſpective* fuit ſcite ac prudenter appoſitum; ut ſcires, quosdam articulos, qui videntur, ſi ſolitarie & divulſi ab aliis inſpiciantur, aliqua ratione probabiles, comparatos cum cæteris, & attenta connexione doctrinæ, eſſe pariter rejiciendos; etſi eadem qualificatio ſingulis non conveniat. Hactenus de Cauſa Baji: ſtilus nunc ad Janſenianam eſt convertendus.

13. Solvitur objectio 3tia.

CAPUT III.

Sintne revera quinque Propoſitiones in Libro Janſenii, & doctrinæ S. Patris Auguſtini cohæreant?

SUMMARIUM.

1. Propoſitiones quæſtionatæ habentur in libro Janſenii.
2. Ponitur Theſis Janſeniana prima.
3. Antitheſis Auguſtiniana.
4. Theſis Janſenii reprobatur ùt hæretica.
5. Usque ad 12. ſolvuntur objectiones.
13. Theſis 2da Janſenii.
14. Cui opponitur mens S. Auguſtini.
15. Cenſura Summi Pontificis.
16. Uſque 21. ſolvuntur objectiones.
22. An gratia ſufficiens ſit talis in ſententia Thomiſtarum.
23. Horum objectio ſolvitur.
24. Ponitur propoſitio 3tia Janſenii.
25. Antitheſis Auguſtiniana.
26. Cenſura in propoſitionem 3tiam Janſenii.
27. Propoſitio 4ta Janſenii.
28. Theſis oppoſita S. Auguſtini.
29. Theſis Janſenii damnata.
30. Propoſitio 5ta Janſenii.
31. Cui opponitur S. Auguſtinus.
32. & 33. Confirmatur ulteriùs oppoſitum ex eodem.
34. Propoſitio Janſenii damnata ùt falſa.
35. Ut temeraria.
36. Ut ſcandaloſa.
37. Ut impia ac derogans divinæ pietati.

1. Propoſitiones quæſtionatæ habentur in libro Janſenii.

HAberi quinque famoſas Propoſitiones in Janſeniano libro, qui inſcribitur *Auguſtinus*, conſtat ex Brevi Innoc. X. emanato die 29. Septembris an. 1654. ubi ſummus Pontifex declarat ſe damnaviſſe *in quinque propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus, Auguſtinus.* Evincitur etiam ex altero Brevi Alexandri VII. emiſſo anno 1656. die 16. Octobris: in quo appellat Filios iniquitatis, qui magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident aſſerere, *prædictas quinque propoſitiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Janſenii non reperiri, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe.* Confirmatur ex forma Juramenti præſcripta ab eodem Alexan-

dro án. 1664. *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maji an.* 1653. *& Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris anno* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout per illas prædictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, damno, & ita juro.* Comprobatur evidenti ratione; quoniam non poterant propositiones illæ in sensu auctoris condemnari, nisi Jansenii textus & doctrinæ capita maturo examine expenderentur. Evincitur demum facto, quia cum propositiones aliquas, ut jacent, nonnulli Consultorum in prioribus Congregationibus non reprobassent, ut Vincentius Candidus Magister Sacri Palatii Apostolici, Commissarius S. Officii, noster Generalis Visconti, & eruditus Annalium FF. Minorum Scriptor Lucas Wadingus; eas quippe noverant juxta Augustinianam, & Thomisticam Scholam posse sensum habere Catholicum, nam neque justi efficaci destituti auxilio implent actu divina præcepta, neque auxilium illud respuitur, neque cum eo stat in sensu composito actualis inobedientia, neque tale auxilium confertur singulis pro quibus mortuus est Christus, quæ omnia etiam post damnatum dogma Jansenii fas est propugnare; prædicti tamen Consultores in posterioribus Congregationibus ad sensum Jansenii dispunxerunt Propositiones: unde perperam ex prioribus approbationibus Auctor Causæ Jansenianæ Paulus Irenæus pro falso dogmate carpit Censorum suffragium. Atque ne multus sim, Alex. VII. Brevi emanato an. 1661. Kal. Augusti declarat *temeraria narratione proferri tempore Innoc. X. non aliud factum, quam inquisitum, an propositiones illæ quinque de gratia veræ ac Catholicæ, an potius falsæ & hæreticæ censendæ forent: cum eo plane tempore nedum de Propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod è Jansenii libro Augustinus nuncupato extractæ essent, & ita in sensu ab eodem Jansenio intellecto damnatæ.* His ergo omnibus evidenter demonstratur Propositiones in libro Jansenii contineri, ibique sensum præferre à doctrina Augustini disjunctissimum, maximeque diversum. Inquiramus tamen de singulis.

2. Ponitur Thesis Janseniana prima.

Propositio I. Affirmavit Jansenius aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, esse impossibilia: deesse quoque illis gratiam, qua possibilia fiant. Docet autem Augustinus oppositum.

Thesis Jansenius.

Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 13. duas sibi objectiones pro gratia sufficienti proponit. Una est, tam justis, quam obcæcatis imponitur præceptum, ergo habent gratiam sufficientem. Altera autem: Si prævaricentur, peccant; habent ergo gratiam, qua possunt vitare peccatum. Respondet autem falsam esse consequentiam, quia sunt quædam homini præcepta, *Quæ secundum statum, & vires, in quibus constitutus est, sunt impossibilia nec semper adesse gratiam, qua possimus, hoc est, qua illæ eadem præcepta implere sufficiamus.* Addit *hanc impotentiam reperiri non solum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, sed etiam in fidelibus & justis, qui & fidem Christi, & charitatem justitiæ susceperunt.* Addit *hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* Sequitur, illos, *qui pro impetranda gratia deprecantur, ut valeant facere quod jubetur, jam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem.* Tandem concludit: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus obcæcatis & obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia.* En prima propositio verbis expressissimis in libro Jansenii.

Antithesis Augustiniana.

S. P. Augustinus universaliter de divinis præceptis, prout singulis imponuntur, scribit lib. de Fide contra Manichæos cap. 10. *Quis non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Serm. 191. de Temp. ait: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid à Deo esse præceptum, & mandata Dei à non singu-*

3. Antithesis Augustiniana.

singulis, sed ab omnibus in communi posse servari. Lib. de nat. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Hæc verba Tridentino Canone consecrata sunt Sess. 6. de Justific. cap. XI. De justis vero docet S. Pater nunquam deseri à Deo, nisi Deum priores deserant: *Fortasse respondeat* (inquit eodem lib. de nat. & grat. cap. 23.) *Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantum deserere. Si hoc dicit, verissime dicit.* In Psalm. 145. n. 9. *Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.* Et lib. 4. Confess. cap. 9. *Te nemo amittit, nisi qui dimittit.* Similiter fidelissimus Augustini discipulus S. Prosper lib. 2. ab Ob. VII. *Priusquam deseratur, neminem deserit.* At juxta Jansenium Deus subtrahendo gratiæ adjutorium Justos deserit, antequam ab eis deseratur. Repugnat ergo Jansseniana propositio doctrinæ S. Augustini.

Æquitas censuræ.

4. Thesis Jansenii reprobatur ut hæretica.

Constitutione Innocentiana declarata est prima illa Jansenii Propositio *Temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica.* I. Est *temeraria.* Illa enim propositio temeraria est, quæ audacter profertur, & fabricatur verbis insolitis, prohibitis, & cum sensu Scripturarum, sanctorumque Patrum pugnantibus. Hujusmodi est prima propositio Jansenii. Ergo est temeraria. Minor probatur; nam præcepta divina non dicuntur *impossibilia* in sacris literis; sed *jugum suave, & onus leve.* Matth. IX. 30. & *mandatum quod non est supra nos,* Deut. XXX. 11. Item nec à Generalibus Conciliis, cum Tridentinum jam dudum Sess. 6. cap. XI. definierit; *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Similiter nec à Romanis Pontificibus, qui proscripserunt 54. articulum Baji; *Definitiva hæc sententia Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.* Pariter nec similia proferuntur ab Augustino, cæterisque PP. ut dictum est supra. Tandem neque à Theologis; omnes quippe subscribunt Divo Thomæ, qui in 2. Sent. dist. 28. q. 1. art. 3. laudat hanc Hieronymi sententiam, *Qui Deum dicit præcipere impossibilia, anathema sit.* II. Est *impia.* Siquidem propositio illa impia est, quæ divinam legem potest reddere exosam, & homines ab illius observantia amovere. Talis est prior Jansseniana propositio. Igitur impia est. Minorem probo satis obvia comparatione; quis enim non execrabitur E. G. Pharaonis, aut Tyranni alterius mandata, dum ad impossibilia captivos, subditosque coarctant? III. Est *blasphema.* Illa quippe propositio blasphema est, quæ summo Deo probrum aliquod, conviciumque objectat. Istiusmodi est positio Jansseniana. Blasphema est igitur. Demonstratur minor; quoniam assertum illud Jansenii redarguit Deum, tanquam infidelem & mendacem. Cum enim scribat Apostolus in 1. ad Corinth. cap. X. 13: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere:* juxta decreta Jansenii, Deus non solum permittit Justos tentari supra id, quod possunt, sed etiam subtrahit illis gratiam, sine qua coacti necessitate succumbunt. Pari jure scitum Jansenii Deum facit iniquum; nam, ut paulo supra dicebamus cum Augustino, iniquum est eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere. Facit & immisericordem, quoniam deserit justum, antequam deseratur. IV. Est *anathemate damnata,* id est Sess. 6. cap. XI. Tridentini, & in Bajanis articulis, ut dictum est nuper. V. Denique est *hæretica.* Ea enim propositio hæretica censenda est, quæ adversatur aut Sacris literis, aut definitionibus Ecclesiæ, aut SS. Patrum Traditioni. Prima Thesis Jansseniana, quemadmodum demonstratum est, adversatur Sacris literis, Ecclesiasticis decretis, & Traditionibus Patrum. Illa ergo thesis est hæretica; & rectissime numeratis censoris notis dispuncta, rejecta, & proscripta.

Ad Jansenistarum objecta responsio.

5. Objectio ima.

Quæ objiciunt Jansseniani, si omia oporteret expendere, non possent hujus libri angustiis comprehendi. Reduci tamen possunt ad quatuor capita. Alia sunt enim argumenta, quibus rationes nostras tentant obruere: alia, quibus suadere nituntur Jansenium cum Augustino concordare: alia, quæ afferunt, ut Jansenii sensum tutentur; alia demum, quibus censuram propositionis propulsant. Responsa vero iis capitibus adhibenda elidunt cæteras omnes Sectariorum cavillationes.

In primo itaque genere hæc locantur. I. Illum Apostoli locum, *Fidelis autem Deus est, &c.* nullo modo tam indiscrete

debemus accipere, ut hoc in omnibus omnino fidelibus observetur; alioquin Deus non sineret justum aliquem tentari, & deficere. Igitur aliquando ob impotentiam fidelis homo ab observantia divinorum præceptorum desciscit. II. Et illud Tridentini Concilii Sess. 6. cap. XI. excerptum ex Augustino, *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*, ita accipiendum est, ut Deus neminem deserat subtractione justitiæ, nisi prius deseratur ab homine per inobedientiam. Non ergo inde infertur, non subtrahere quandoque justis auxilium actuale & sufficiens. III. Quod profertur ex Augustino, Deum non præcipere impossibilia, sed admonere, ut faciamus quod possumus, petamus vero quod non possumus, traditur etiam à Jansenio lib. 3. de Grat. Chr. cap. 13. his verbis: *Præcepta homini justificato ad observandum non sunt impossibilia, eoquod jubendo Deus moneat petere quod non possis, & si exaudiat, adjuvet ut possis.* At gratia orationis non omnibus datur; Ergo neque omnes possunt divina præcepta complere.

6. Solvitur. Resp. ad 1. Apostolum neminem excipere; & Deum erga omnes justos fidelissimum omnibus promissa servare, quia *priusquam deseratur, neminem deserit.* Quod si illos tentari, & interdum cadere sinit, facit ut bonus Figulus, qui postquam testam confecit ex luto, imponit fornaci: sed nunquam ignem superaccendit, ut illam infringi necesse sit; quamquam ob luti vitium aliquando percrepat, & discinditur. Ita postquam ex massa damnationis justum fecit, ut fiat vas in honorem, igni tentationis exponit: sed facit cum tentatione proventum, nec patitur tentari supra id quod potest. Proinde si frangitur; aut vitium superbiæ est, aut malitia voluntatis, quæ ad malum se ipsa sufficit. Legito Augustinum super Psalmum centesimum ac vicesimum. Ad 2. hæc sit responsio: Justificatis non solum confertur auxilium *ad remissionem peccatorum, sed etiam ut præcaveantur futura*, juxta tertium Canonem Synodi Milevitanæ. Atque ut Augustinus scribit de nat. & Grat. cap. 26. *Sanat Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Quod S. Pater explicat eodem loco afferendo discrimen, quod intercedit inter medicum curantem corporis vulnera, & Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, qui justificando impium spiritualiter sanat ægrotum. Ille enim *cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque persistat, Deo dimittit.* Iste autem *cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur.* Additque è vestigio hanc rationem: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* En Augustinum aperte docentem semel justificatum non deseri à Deo subtractione auxilii, sine quo impossibile est ut recte vivat, nisi prius homo deserat ipsum Deum. Ad tertium dico Jansenium suis propriis verbis refelli. Ait enim, *Si exaudiat, adjuvat ut possis.* Ergo non habet potestatem ullam servandi mandata, qui destitutus est gratia efficaci orationis, qua & petat, & exaudiatur. At justus, etsi non oret, potest orare, & licet non habeat efficacem gratiam, habet sufficientem. Nam quid est bona illa voluntas, animique conatus, nisi gratia? An gratia orationis detur omnibus, eaque necessaria sit, ut imputetur peccatum, nolo disceptare in præsentia. De justis in damnata propositione Jansenii sit sermo: neque omnium hominum eandem esse rationem etiam ex hoc loco colligitur, quod cum Jansenius infideles quoque, & obcæcatos complexus sit, tamen soli justi in Propositione damnata commemorantur: & Catholici plures denegant nonnullis auxilia sufficientia, quæ concordissime tenent justificatis adesse.

7. Objectio 2da. Ad secundum ordinem pertinent argumentationes proximæ. I. Ipsis Augustini verbis de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quod ab illo petere debeamus*, & ex productis superius ex cap. 43. de Natura & Gratia, demonstratur justos aliquando non habere gratiam, qua possint mandata adimplere. Non enim habent, quod orationibus debent petere: Debent petere, ut possint: Ergo non possunt. II. Innumera sunt in Augustino loca positioni Jansenianæ simillima, ut in 1. Retract. cap. 22. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur.* Dari autem hanc potestatem à Deo demonstrat ex verbis Scripturæ, *Præparatur voluntas à Domino*, &, *Dedit potestatem filios Dei fieri*; quibus commendatur gratiæ efficacia. Ubi ergo

ergo non est gratia efficax, nulla erit boni potestas. Nec per Augustinum sufficit, ut possimus, parva illa voluntas, qua interdum justi excitantur; quia potius de habentibus parvam illam voluntatem scribit laudato cap. 16. de Grat. & lib. arbitrio, *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, & robustam.* Et Tract. 34. in Joannem, *Conaris*, inquit, *ambulare, & non potes.* III. De Petro Apostolo, qui Christum negando excidit à justitia scribit Augustinus serm. 124. de Temp. *Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum, & nisi quod ait Propheta, Omnis caro fœnum?* Petrus ergo adhuc justus caruit gratia, sine qua nihil poterat, id est efficaci: sine qua nihil boni fieri posse innumeris argumentis nititur ostendere Antonius Arnaldus P. 1. Dissertationis Quadripartitæ. Hoc Petri exemplo usus antea fuerat Jansenius cit. lib. III. de Gratia Chr. cap. 13.

8. Rejicitur. Resp. ad 1. in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. Augustinum demonstrare adversus Pelagianos possibilitatem observandi divina præcepta non esse ex nobis: quod optime probat ex Orationibus, quibus à Deo petimus, *ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* At justi gratiam frequenter inspirantem voluntatem bonam habent: igitur & potestatem, quæ non est ex nobis, ut existimabant Pelagiani. At dices: Hæc voluntas parva est, & invalida, de qua ait Augustinus, *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, &c.* Hæc est altera objectio, cui respondeo duplicem esse potestatem, unam ab actu separatam, aliam cum actu conjunctam: illa dat posse, id est, constituit potentiam in actu primo ut possit exire in actum, ut est in homine virtus & facultas videndi, aut ambulandi: ista facit ut potentia exeat in actum, E. G. ut videat, ut ambulet. Constat autem plura requiri ad actum ipsum, quam ad potentiam: unde ex ista nequit deduci usus, sive exercita potentiæ operatio. Hæc doctus Thomista Alvarez disp. 79. n. 2. & Cajetanus in 1. 2. q. 109. art. 10. Potentia autem separata ab actu alia est proxima, alia remota, alia remotissima. Proxima est, quæ ad operandum non eget nisi motione, qua determinetur ad actum, ut est potentia videndi in oculo sano & clara luce perfuso, etiamsi clausus teneatur aut aversus. Est autem potentia remota, quotiescunque expedite & immediate exerere actum non potest, aliquo remorante impedimento, ut oculus tenui luce illustratus, aut pes in via præcipiti & lubrica. Remotissima erit, si vix supersit naturalis facultas omni adjutamento expoliata, ut oculus in tenebris, pes cum podagra. Hanc remotissimam potentiam Augustinus in unoquoque peccatore agnoscit, quia potest quisque esse sine peccato, dummodo ipsa natura *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vel sanetur quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit adjuvetur*, inquit de Nat. & Grat. cap. 59. Potentia remota est in eo, qui habet, ut diximus, voluntatem parvam. Proxima in illo, qui magnam habet & robustam, cum qua faciente Deo ut faciamus per inspirationem victricis delectationis, habetur etiam potestas, quæ conjungitur cum actu. Hanc solam veram esse potestatem censuit Jansenius, qui scripsit esse extra potestatem arbitrii actum oppositum, quotiescunque prævalet carnalis delectatio, & sub ista nullam esse potestatem justitiæ, sed vinculum arbitrii, & necessitatem peccandi. Ex qua perversa doctrina quomodo fluant quinque famosæ propositiones vidimus priori capite. Itaque dicimus, in eo qui habet voluntatem parvam & invalidam, esse potentiam proxime sufficientem ad orandum, & sufficientem remote ad observantiam præceptorum, quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam, & robustam voluntatem: quod ex ipsis verbis Augustini perspicuum est. At nego cum voluntate illa parva & invalida observandi præcepta stare horum impossibilitatem; quoniam contraria voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non obstringit arbitrium vinculo necessitatis, sed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppositum, ut dixi ubicunque diserui de libertate: ubi etiam explicavi, quomodo dicatur ab Augustino aliquando impossibile, quod perarduum est, & difficile, sive quod caret potentia proxime sufficiente atque expedita, quam nunc declaravimus. Expediuntur dictis omnia, quæ Arnaldus memorata dissertatione profert ad probandum, non esse potestatem bonorum operum sine gratia per se efficaci: nam ea si accipiantur de potentia conjuncta cum actu, sive de ipsamet operatione, vera sunt: si de potentia indifferente ad agendum, aut de facultate operandi, falsa penitus. Exemplum tamen Petri insciti nimis à Jansenio, & Arnaldo adhibetur, ut demonstrent gratiam aliquando deesse justo, & hunc deseri à Deo subtractione auxilii actualis, antequam Deus ab eo

deferatur. Probatur enim lapsu, & exemplo Apostoli oppositum. Adest justis sufficiens gratia ad orandum, cum habent notitiam præcepti, cupiunt illud implree, atque propriam agnoscentes infirmitatem ex hujus consideratione ad implorandum Omnipotentis Dei adjutorium moventur. Igitur si proprii arbitrii virtute elati existiment posse se ipsis id implere, ponunt obicem gratiæ, unde habebant potentiam proximam ad orandum: quoniam, ut Augustinus scribit lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. *ista implicati superbia ad gratiam non convertuntur juvantem.* Videatur Norisius hoc demonstrans more suo, solide scilicet, & erudite in Jansenii erroris calumnia sublata cap. 3. §. 2. Atqui Petrus, juxta Augustinum, de propriis viribus præsumens posuit obicem illum gratiæ tribuenti potentiam proximam ad orandum. Igitur non ipsum justificatum divina gratia deseruit, sed ipse superbia implicatus, & divini adjutorii necessitatem negando, illud sibi abstulit. Probatur minor ex eodem Serm. 124. de Tempore citato ab Arnaldo pag. 32. Causæ Arnaldinæ. Nam verbis ab Arnaldo productis hæc sunt adjuncta: *Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiserat se pro Domino morituram.* Item in Psalmum 58. *Petrus præsumendo ignorabat, & negando didicit quales vires haberet.* Et de Grat. & lib. arb. cap. 17. *Putabat se posse, quod se velle sentiebat;* id est, ut explicat noster Desirant in Thesibus Lovanienſibus anni 1687. & liquet ex allatis contextibus, *putabat se posse viribus naturæ, quod se velle sentiebat viribus gratiæ.* Productus ab Arnaldo sermo 124. de Tempore spurius est, & rejectus in Appendicem Tom. v. n. 79. Sed cum S. P. habeat consimilia cap. 17. de lib. arb. & Tract. 92. in Joannem, præmissum dedi responsum.

9. Objectio tertia.

Tenent tertium ordinem quæ sequuntur. I. Sensus Jansenii est explodere, & justis denegare Gratiam Molinistice sufficientem, illam scilicet, quæ cum actu conjuncta est sola accedente cooperatione voluntatis. At sensus hujusmodi rejicitur ab omnibus gratiæ per se effectricis propugnatoribus. Igitur perstringenda est horum omnium sententia, aut à censoriis notis etiam Jansenianа est immunis. II. In omnium Thomistarum opinione necessaria est, ut actu impleantur præcepta, gratia physice prædeterminans. At hæc sæpenumero justis subtrahitur. Ergo etiam in Thomistica Schola deest aliquando justis gratia, sine qua observantia divinorum præceptorum est impossibilis. III. Validius poterunt Jansenistæ se defendere sententiæ nostræ præsidio. Quippe nos propugnamus gratiæ gradualitatem; & contendimus illam non esse efficacem, cui obsistit validior concupiscentia. Atqui hæc eadem est doctrina Jansenii, qui non ait absolute præcepta esse justis impossibilia sed esse impossibilia *secundum præsentes, quas habent vires*, hoc est comparate ad majores gradus concupiscentiæ. Igitur aut sententia nostra Augustiniana non est, aut Augustiniana est sententia Jansenii.

Resp. ad 1. & à nobis, & à Thomistis rejici gratiam Molinistice sufficientem; sed non libra & animadversione Jansenianа, quasi Pelagiana sit, quia tali gratiæ potest voluntas resistere, aut quasi nullam Christi gratiam habeat, qui non habet victricem delectationem, qua vigente carnalis cupiditas prævalere non possit. Sed dicimus Molinistas, imo & Catholicos omnes recte cum gratia defendere potestatem reluctandi; etsi per nos ad ponendum actum requiratur auxilium suapte natura efficax, cum quo perstitit potentia ad oppositum: quod Jansenius negans damnatur merito à Theologis omnibus, sive Moliniani sint, sive Thomistæ, sive Augustinenses. Ad 2. respondeo Thomistas non defendere necessitatem gratiæ prædeterminantis ut voluntas constituatur proxime potens *in actu primo*, sive ut compleatur, ut inquiunt, *in linea potentiæ*; sed illam gratiam prædeterminantem requirunt ratione *actus secundi*, hoc est, ut voluntas reapse applicetur ad actum. Constat enim ex supradictis plus requiri ad actum, quam ad potentiam. Nego itaque deesse justis potentiam implendi præcepta, dum illis subtrahitur gratia efficax, per quam eadem præcepta actu adimplent. Ad tertium dico sententiam nostram toto cœlo distare à sententia Jansenii; primo quia in victrici delectatione non constituimus gratiam sufficientem, quæ dat posse, sed gratiam efficacem, quæ inspirat voluntatem magnam & robustam, & facit ut faciamus: gratiam autem illam sufficientem ab operatione sejunctam agnoscimus etiam in voluntate parva & invalida. Deinde negamus cum delectatione victrici non consistere indifferentiam judicii & potentiam ad oppositum, ideoque prement-

10. Reprobatur.

qua-

quacunque cupiditate, sive vigente quacunque sancta delectatione tam bonum quam malum est in nostra libera potestate. Quæ cum in pluribus locis sint demonstrata, habens etiam ex hoc volumine confirmationem, de H. P. cap. VIII. Thesi 4. & cap. XI. ad 1. ob. Item de H. Calv. cap. 2. & 3. & hac etiam differt. cap. 1.

11. Objectio 4ta

Postremo loco non promereri Jansenianum assertum tam acerbam censuram, probant hoc argumento. Discutiunt Theologi, quomodo accipienda sit illa Tridentini definitio, *Deus impossibilia non jubet*, neque omnes conveniunt. Molinistæ ita illam accipiunt, ut velint præcepta possibilia esse quoniam adest singulis gratia sufficiens, quam voluntas pro suo lubitu flectit ad actum. Thomistæ exponunt de illa possibilitate, quæ necessitatem non excludat uberioris auxilii. Sed auctore Bellarmino, Estio, aliisque viris gravissimis Concilium opponitur errori Lutheranorum & Calvinistarum, qui omnibus justis, etiam dum spiritu Dei aguntur, arbitrabantur impossibilia mandata Dei, quod concupiscentiæ labes singula justorum opera inficiat. Id profecto nunquam docuit Jansenius; nam si justis conferatur gratia concupiscentiæ debellatrix, & præcepta observant, & bona illorum opera concupiscentiæ vitio non corrumpuntur. Quomodo ergo propositio Jansenii hac notatione proscribitur, *anathemate damnata?*

12. Refutatur.

Resp. 1. quod etiamsi positio Jansenii non fuisset *anathemate damnata* à Synodo Tridentina; fuisset tamen à Pio V. in articulo 45. Michaelis Baji. Deinde respondeo, utique sensum Jansenii non esse undequaque Calvinianum. Conveniunt tamen in hoc, quod liberum arbitrium sub dominatu concupiscentiæ non possit implere mandata, & motum atque excitatum à gratia non possit dissentiri, si velit. Hinc fluere quinque propositiones Jansenii liquet ex dictis: illa autem duo errorum principia, in quibus utrique conveniunt, damnata esse à Tridentino constat è sess. VI. can. 3. 6. & 18. itaque Tridentina Synodus in Luthero, & Calvino hæresim quoque Jansenianam confixit.

Propositio II. Jansenius etiam asseruit interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti: cum apertissime contrarium tradiderit Augustinus.

Thesis Janseniana.

13. Thesis 2da Jansenii.

Jansenius lib. II. cap. 4. postquam plura disseruit de discrimine inter adjutorium *sine quo*, & adjutorium *quo*: & de illo scripsit, quod si daretur in hoc statu, *vel nihil omnino conferret, vel pro adjumento afferret perniciem*; hæc insuper de adjutorio *quo* scribit: *Secundi generis adjutorium facit influere facultatem suapte efficacia, nec facultas ipsius libero arbitratui subjacet: & Gratia sanæ voluntatis in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam si vellet desereret, aut si vellet uteretur: gratia vero lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deserat, & arripiat si voluerit.* Excludit igitur Jansenius à statu naturæ lapsæ omnem gratiam sufficientem, simulque docet medicinali nullo modo posse arbitrium obsistere. Atque id expressius tradit eodem libro cap. 24. scribens: *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.* Proximo cap. 25. ait, *Nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo caret.* Libro denique IV. cap. 7. *Naturali ordine,* inquit, *ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur.* Ex quibus sequitur directe secunda positio Jansenii. Enimvero adjutorio *quo*, sive gratiæ per se efficaci nunquam resistitur. Atqui per Jansenium in statu naturæ lapsæ nulla datur interior gratia, nisi suapte natura efficax. Igitur per Jansenium interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Antithesis Augustiniana.

14. Cui opponitur mens S. Augustini.

At Augustinus tradita in libro de Corrept. & Grat. cap. XI. celeberrima auxiliorum distinctione, inquit: *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium* (id est, *sine quo*) *jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: & tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit; ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum, ac tale, ut velimus.* In priori parte, (inquit Cardinalis Norisius in Calumnia sublata cap. 3. §. 1.) describi auxilium *sine quo non*, sive pure sufficiens, omnibus est manifestum. Atqui S. P. Augustinus asserit hoc adjutorium aliquibus in hoc statu misericorditer dari, aliquibus denegari in pœnam; ac præterea nunc homines adjuvari per amplius adjutorium, quod facit etiam *ut velimus*, Ergo Augustinus agnoscit in hoc statu non solum adjutorium *quo*, sed etiam adjutorium *sine quo non*, sive pure sufficiens.

ficiens. Præterea voluntas parva & invalida, sive motus inefficacis gratiæ, quibus non movemur tam valide ut exequamur præcepta, proculdubio non sunt adjutorium *quo*, id est, amplior illa & efficax gratia, qua, ut ibidem loquitur Augustinus fit *ut homo velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* At certissime S. Pater in hoc infirmitatis statu admittit hujusmodi voluntatem parvam, & invalidam, ac motus inefficacis gratiæ, quibus non ita movemur, ut ardore charitatis vincamus voluntatem carnis *concupiscentialiter resistentem.* Ergo S. Pater certo agnoscit in hoc statu auxilium aliquod distinctum ab adjutorio *quo*, & à gratia per se efficaci. Minorem vero probo, quoniam S. Pater parvam illam & invalidam voluntatem expertus est initio Conversionis suæ in se ipso, ut evincunt testimonia allata superius de H. P. cap. VIII. thesi III. Agnovit & in Petro de quo cap. 17. de Gratia & lib. arb. ait: *Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Et tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam.* Atque ibidem voluntatem ipsam adhuc invalidam docet adesse singulis, qui volunt observare præcepta, sed nondum magna charitate inflammantur, scribens, *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam.* Sed de his plura memorato capite VIII. sunt præterea in libris Augustini complura, quibus ait nos interiori gratiæ interdum resistere, ut in Psalm. 124. n. 2. *Cor eorum congelascit adversus Deum, & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.* De peccatorum meritis lib. 1. cap. 39. dum de puero baptizato, & de concupiscentia quæ remanet ad agonem, ait: *Si post baptismum vixerit, & ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Et ne plura exscribam, Hom. inter L. duodecima ita peccantem compellat: *Cum per Dei adjutorium in potestate tua sit utrum consentias diabolo; quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas?* Multi ergo adversus gratiæ imbrem durescunt, in vacuum gratiam recipiunt, & cum possint per gratiam servire Deo, Diabolo obediunt: ideoque interiori gratiæ resistunt.

Æquitas Censuræ.

15. Censura Summi Pontificis.

De hac secunda positione Jansenii pronunciavit summus Pontifex Innocentius: *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Et quidem jure optimo. Nam Matth. XI. v. 21. habemus, habitatores Corozaim & Bethsaidæ Christi Domini miraculis & prædicationi non credidisse, & consequenter non obtemperasse vocanti. De quibus Augustinus de dono Persev. cap. 14. scribit *quod poterant credere*, unde non erant interiori gratia penitus destituti; at non credidisse, quia Deus *induratis cor lapideum noluit auferre*, id est, ob cordis obdurationem non habuerunt gratiam per se efficacem. Similiter Stephanus Act. VII. v. 51. obstinationem Judæorum redarguens, inquit: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: quæ verba accipienda esse etiam de interno Spiritus Sancti adjumento definit Concilium Senonense celebratum adversus Luheranos an. 1528. P. 1. cap. 15. A Concilio pariter Tridentino definitum est, non solum quod liberum arbitrium divina gratia motum & excitatum possit dissentire, si velit; verum etiam quod justi possunt divina implere mandata, quæ tamen sæpe transgrediuntur, ut liquet ex præcedenti propositione. Sacris ergo literis, & Conciliorum decretis opponitur Thesis Jansseniana; ideoque juste ac legitime de illa inquit Romanus Pontifex, *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Ad Ea, quæ Objiciunt Jansseniani.

16. Objectio prima adducitur.

Nullam in hoc statu dari gratiam sufficientem, cui liberum resistat arbitrium, studeant evincere adversarii argumentis ab auctoritate divinæ Scripturæ, ab Augustini contra Pelagianos disputationibus, & ab ipsa ratione depromptis. Ex Scripturis objiciunt I. Quod divinæ voluntatis proposito nullus resistit, ut habetur in Psalmo 113. v. 3. *Deus noster in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit*; & in Epist. ad Rom. IX. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Igitur semper Deus per suam gratiam quidquid vult, operatur, eique nemo resistit. II. Ut cap. IX. de H. P. demonstratum est, Sacræ Scripturæ nobis gratiam describunt tantummodo efficacem, ut Ezech. cap. XXXVI. v. 26. ad Rom. IX. 16. in 1. ad Corinth. cap. 4. v. 7. atque in aliis locis, quæ ibidem expendimus.

17. Objectio secunda.

Ex Augustino autem urgent. 1. notissimum discrimen inter gratiam collatam Adamo,

Adamo, & illam qùa indiget homo lapsus in lucta concupiscentiæ. De quarum prima docet S. Pater quod dabat *posse*, de altera quod etiam dat *velle*. Hæc pariter sunt laudato cap. IX. aliisque in locis comprobata ex libro de Corrept. & Grat. ad Valentinum. Igitur per Augustinum in hoc statu locum duntaxat habet adjutorium *quo*, sive gratia efficax, quæ nunquam ab effectu disjungitur. Præterea opponunt, quæ ad probandam gratiam efficacem ex D. Patre memorato cap. delibavimus, veluti cum scribit de Præd. SS. cap. 8. *Anullo duro corde respuitur*. Et de Gratia & lib. arb. cap. 16. *ille facit ut velimus, præbendo vires efficacissimas voluntati*. Similia docent Prosper, Fulgentius, & cæteri Patres, maxime qui floruerunt post exortam hæresim Pelagianam, ut vidimus eodem capite.

18. Objectio 3tia.

Quæ ex ratione depromunt, omnia ad duo capita reducuntur. Primo: Si in hoc statu admittenda sit gratia sufficiens, & talis, cui voluntas resistat, id foret, quoniam hæc gratia dat *posse*. At hoc falsum est; quandoquidem ut voluntas possit exire in actum, necessaria est gratia ab intrinseco efficax. Igitur gratia sufficiens ab efficaci distincta in hoc infirmitatis statu non datur. Deinde alia est notio sufficientis gratiæ apud Molinianos, alia apud Thomistas. Illi propugnant gratiam sufficientem, versatilem & ab arbitrio pendulam, quæ redditur efficax à voluntatis consensu absque uberiori auxilio: & videtur hæc notio sufficientis gratiæ propria & vera; nam quisquis habet quod sufficit, nullo alio indiget adminiculo. Thomistæ defendunt gratiam sufficientem, quæ dat *posse*, sed nunquam exit in actum, nisi accedat efficacis gratiæ adjutorium: atque hæc notio gratiæ sufficientis videtur impropria, quoniam illud non est revera sufficiens, quod non complectitur quidquid requiritur, ut ponatur actus. Quid igitur? Jansenistæ negant gratiam sufficientem Molinistico sensu, nec possunt hac de causa reprehendi, eoquod hanc gratiam negent omnes Thomistæ. Rursus Jansenistæ admittunt gratiam quæ producit parvam & invalidam voluntatem, respectu cujus voluntatis est efficax, & negant illam gratiam sufficere ad observanda præcepta, quia ad hoc necessaria est alia gratia tribuens voluntatem magnam, atque robustam, & consentientes habent Medistas asserentes non esse illud auxilium sufficiens, si aliud necessarium sit ad operis complementum. Nihil ergo peccant Jansenii asseclæ, dum negant gratiam sufficientem: sed cum Medistis docent gratiam sufficientem sensu Thomistico non esse revera sufficientem; & cum Thomistis negant dari gratiam sufficientem juxta notionem Medistarum. De qua argumentatione plura Blasius Paschalis in prioribus Epistolis Provincialibus editis sub ficto nomine Ludovici Montalti.

19. Respondetur ad 1mam & 2dam.

Ad argumenta ex Scripturis, & ex Augustino petita, respondere possumus uno verbo, iis probari gratiam efficacem, sed non excludi sufficientem, aliis cum divinarum literarum, tum Augustini testimoniis evidentissime comprobatam. *Si enim dixisset Jansenius gratiæ interiori efficaci non resisti, nihil à fide, vel à castigatiori Theologia dixisset extraneum: totque haberet suæ assertionis patronos, quot SS. Augustini & Thomæ numerantur Sectatores*, inquit Franciscus Vanrast Tom. 2. *Veritatis in medio positæ* pag. 59. Ad singula specialiter respondent Thomistæ distinguendo in Deo duplicem voluntatem, antecedentem conditionatam omnesque homines respicientem generaliter; & voluntatem consequentem, specialem atque absolutam. Juxta quam distinctionem, dicunt non resisti quidem huic voluntati, resisti tamen priori; & sufficientem esse gratiam, quæ à prima illa voluntate descendit, efficacem vero, quæ confertur voluntate postrema. Explicavimus horum Theologorum Doctrinam cap. 1. lib. v. Placuit nobis duplicem illam voluntatem explicare ratione effectuum, sive connotatorum: & diximus semper voluntatem Dei esse efficacem respectu alicujus effectus, ut Deus voluit efficaciter salutem & Redemptionem omnium, quantum ad impositionem ordinis, sive institutionem status, in quo omnes possent salvari, oblato pro omnibus ac singulis pretio redemptionis, institutis Sacramentis, ac præparatis, collatisque non ponentibus obicem amplissimis gratiarum muneribus. At non semper voluntas Dei est efficax comparate ad effectum ulteriorem, ad quem necessarium est amplius adjutorium ob malitiam & infirmitatem humanam: atque hoc pacto Deum efficaciter nolle reproborum salutem, quantum ad executionem ordinis, id est, quantum ad actualem gloriæ consecutionem. Ex quibus infertur, omnem Dei voluntatem ac similiter omnem gratiam efficacem esse comparate ad aliquem effectum, at talem non esse respectu operationis, quam impedit nostra

ſtra prava voluntas. Neque id negant Thomiſtæ, qui docent omne auxilium ſufficiens comparatione alicujus actus eſſe efficax reſpectu alterius, ut vidimus de H. P. cap. VIII. ad 4. ob. Gratia ergo inſpirans voluntatem parvam & invalidam reſpectu hujus voluntatis eſt efficax, quoniam actu hanc voluntatem inſpirat; reſpectu operationis liberæ, V. G. Converſionis, & adimpletionis præcepti, eſt ſufficiens tantummodo, & redditur efficax dum impetratur à Domino voluntas magna & robuſta. In ſententia quoque Congruiſtarum, aliorumque omnium conſtituentium naturam gratiæ in actu indeliberato intellectus & voluntatis (quem actum non valeo percipere quid ſit, ſi non eſt ſancta illuminatio & ſancta inſpiratio) omnis gratia comparate ad notitiam piamque affectionem illam indeliberatam efficax dicenda eſt; licet ſæpe ſæpius ſit inefficax in ordine ad operationem, reluctante ac reſiſtente libero arbitrio. Jam ſatis, ut arbitror, rem declaravi. Expedita eſt ergo reſponſio, omnem voluntatem Dei, & omnem gratiam eſſe efficacem in ordine ad effectum proximum & immediatum, V. G. ad inſpirationem ſanctæ dilectionis; non in ordine ad effectum, quem, dum inſpiratur ſancta delectatio, liberum arbitrium vult, ſed non vult ſemper ea charitate, & voluntate robuſta, quæ facit, ut faciamus. Atque ita verum eſt quidquid de divina voluntate tradunt Scripturæ; verum quidquid de Gratia aut parva, aut magna, ſcribit Auguſtinus: falſiſſimum autem quod tenet Janſenius affirmans naturali ordine conſequi ex dilectione ſemper operationem aliquam cum libertate, quæ per Janſenium ſufficit ad meritum, conjunctam, & nunquam interiori gratiæ reſiſti.

Exiguus reſtat ſcrupulus circa traditum ab Auguſtino auxiliorum diſcrimen. Jam diximus ſupra cum Noriſio, S. Patrem Auguſtinum admittere quidem in hoc infirmitatis ſtatu amplius adjutorium, ſed non denegare adjutorium *ſine quo non*. Addo adjutorium iſtud collatum Adæ & dari in hoc ſtatu, & non dari. Datur, quia datur gratia ſufficiens non conjuncta cum actu, & adjutorium *ſine quo non* erat gratia ſufficiens cum actu pariter non conjuncta. Non datur, quia non datur gratia ſufficiens ſenſu Moliniano, cujus ope voluntas actu bene agat ſine uberiori auxilio; & adjutorium illud Adami erat ipſa gratia ſufficiens Moliniſtice, penſilis à flexu arbitrii, quemadmodum præmonui de H. P. cap. VIII.

Prima ratio Janſeniſtarum convellitur diſtinguendo minorem. Gratia ſufficiens non dat *poſſe* conjunctum cum actu, & proxime completum & expeditum, concedo. Non dat *poſſe* ab actu ſejunctum & incompletum, nego. Vide quæ dixi ad 1. propoſitionem Janſenii in ſolutione argumentorum 2. claſſis. Addendum unum eſt, ne Thomiſtæ, qui docent per gratiam ſufficientem conſtitui potentiam proxime & complete potentem producere effectum, verborum meorum ſenſum reſpuant, me cum Noriſio cap. 4. Calumniæ ſublatæ & cum Theologis probatiſſimis ibidem enumeratis appellare potentiam proxime expeditam illam, quæ ut ponat actum, gratiam uberiorem non poſtulat: qualem habuit Adam cum adjutorio *ſine quo*, & habet homo infirmus cum adjutorio *quo*, ſive cum gratia efficaci etiam à Sanctis imploranda, juxta canonem X. Synodi Arauſicanæ. Quamobrem etiam renati ac Sancti, cum gratiam & adjutorium petere debeant, *ut in bono poſſint opere perdurare*; etſi gratiam habeant ſufficientem, non habent ſemper proximam perſeverandi potentiam. Atque hoc docet Auguſtinus dicens, *Qui vult facere mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam.* Igitur per Auguſtinum cum ſola gratia ſufficiente non poteſt mandata facere, qui charitatem non habet magnam atque vehementem: id eſt non poteſt proxime, complete, expedite; poterit vero cum impetraverit gratiam uberiorem, congruam, & efficacem. Invaluit in Scholis noſtris illa diſtinctio: potentia alia eſt expedita ab omni impedimento *impotentiæ*, alia eſt expedita ab omni impedimento *nolentiæ*; prima eſt cum gratia ſufficiente, altera cum efficaci. Utere, ſi lubet, hac diſtinctione: non aliud dices barbarizans, quam plane, & latine Noriſius tuus.

20. Reſpondetur ad 3tiam.

Nunc venio ad argumentum Blaſii Paſchalis, qui belle confundit quæſtionem Grammaticalem cum Theologica exhibens in Epiſtola exercitationem quamdam ludicram, & jocularem. Aliud eſt verbo contendere, aliud dogmate. Dogma Janſenii eſt ſub delectatione victrici tale vinculum injectum eſſe voluntati, ut neceſſitate flectatur, nec actus oppoſitus in ejus ſit poteſtate. Ergo per Janſenium ſub gratia parva, premente perverſa cupiditate, non eſt potentia recte operandi; & ſub gratia magna & robuſta non ſtat poteſtas peccandi, & ne-

21. Objectio Blaſii Paſchalis.

necessitate alligati illud tantum facere possumus, quod magis delectat; ita, ut alternantibus delectationibus, nec una alteram superante, necessario inefficacibus desideriis hæreat animus. Agnoscis, Jansseniane, sermonem domesticum. Dicas, te amabo, audis talia proferentem Mediſtam? Is adversum te clamat, liberum arbitrium nunquam deperdere potentiam reluctandi, sed per sufficientem gratiam esse in æquilibrio virium, ut agere possit utrumlibet. Negat tale æquilibrium Thomista, & me quidem judice, optime, quia ad actum gratiam exigit efficacem; in sola autem gratia sufficiente docet consistere veram, & in actu primo expeditam potentiam recte operandi, quemadmodum sub gratia efficaci defendit cum determinatione actus persistere indifferentiam potentiæ. Num in hac sententia dici debeat humana voluntas sine efficaci adjutorio potens completa potentia, an incompleta, verborum lis est: & completam illi dicunt *in actu primo*, & *in linea potentiæ;* incompletam *in linea operationis*, & *in actu secundo*. Mitte logomachiam. Sententiæ Molinianorum ac Thomistarum conveniunt in admittenda gratia, cui voluntas resistit. Talis non est gratia parva Jansenii; quoniam hæc suum habet effectum non solum indeliberatum & necessarium, qualis est in nostra sententia mentis illustratio, & pia voluntatis affectio; sed etiam effectum perfecte liberum, quia in sensu Jansenii, ubi est voluntas, ibi est libertas. Merito ergo exploditur gratia parva Jansenii, & rejicitur illius dogma concordi Catholicorum omnium refutatione.

22. An gratia sufficiens sit talis in Thomistarum sententia.

De quæstione Grammaticali, id est, an Gratia sufficiens Thomistico sensu, sit vere & proprie sufficiens, non opus est definite sententiam dicere. Ego sane mallem appellare *inefficacem*, eoquod non inspiret voluntatem illam robustam, quæ inspiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in consuetudine sermonis vocabulum istud, quam *sufficientis*: quod tamen in sensu Thomistico probo maxime, ut explicavi in cap. 8. de H. P. At num inspecta significatione vocabuli, Gratia illa Thomistarum notione sufficiens vere sit talis, Scholastici non consentiunt. Negant talem esse Mediſtæ omnes, & cum illis Honoratus Tournely P. 2. de Grat. q. VII. art. 4. Concl. 3. quia ea gratia insufficiens censenda est, quæ non complectitur totum id, quod requiritur, ut actus ponatur, vel saltem ut impetretur auxilium ad ponendum actum necessarium. Videtur consentire Norisius, qui, ut dictum est modo, negat dari sine adjutorio efficaci potentiam proxime expeditam ad perseverandum in accepta justitia. Solam gratiam efficacem esse proxime sufficientem defendit Cumel Tom. 3. disp. 5. sect. 1. Cardinalis Brancatus de Laurea Opusc. 3. de Gratia cap. 4. Franc. Macedo in Scrinio cap. VIII. & in Cortina pag. 318. Ex nostris Basilius Poncius I. P. Relect. de Grat. cap. 17. Joannes Schuveitzerus dissert. 3. de Præd. dub. 6. & Petrus Clenaerts de Grat. efficaci cap. 6. §. 3. not. 7. Consentiunt Theologi Lovanienses in Justific. cap. XII. n. 177. Horum, aliorumque sensus est, Gratiam inefficacem non esse revera sufficientem, si gratia sufficiens accipiatur *grammaticaliter*, quatenus cum illa potest poni actus absque gratia validiori. Juxta hanc notionem esset sufficiens illa gratia, quam propugnant Molinistæ, si in præsenti statu daretur, & sufficeret naturæ infirmæ adjutorium collatum Adæ innocenti.

23. Horum objectio solvitur.

Alia ex parte non desunt Thomistis rationes atque exempla ad probandum gratiam inefficacem appellandam esse vere ac proprie sufficientem. Primo docent plura necessaria esse ad actum, quam ad potentiam; quod verissimum est, probatumque à nobis superiori propositione eodem exemplo apud Thomistas frequentissimo oculi, qui potest videre, etiamsi ut actu videat, necessaria sit lux. Verum posse oculum cernere, nisi præbeatur luminis adjutorium, negat Augustinus lib. de Gestis Pelagii cap. 3. De natura & gratia cap. 26. De pecc. meritis cap. 5. libri 2. Epist. 106. nunc 186. Sed Thomistæ reponent, loqui Augustinum de potentia conjuncta cum actu. Dicent insuper, recte appellari sufficiens in uno genere, quamquam alia in alio genere sint necessaria. Quod commonstrabunt facile in omni genere causarum, cum erudito Thomista Francisco Sylvio in 1. 2. q. 3. art. 3. & Aurelio nostro Piette Lovaniensi Tom. 3. cap. 2. q. 2. Afferent exemplum ex Angelico Præceptore 3. p. q. 61. art. 1. ubi pertractans de necessitate Sacramentorum, cum 3. loco objecisset: *Posita causa sufficienti nihil aliud videtur necessarium ad effectum: Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis: Non ergo requiruntur Sacramenta ad salutem humanam;* ita difficultatem solvit; *Ad tertium dicendum, quod passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis: nec propter hoc sequitur, quod Sacramenta non sint necessaria ad huma-*

humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta. Ita sufficiens est gratia quælibet, quantumvis minima, licet requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reapse applicetur. Accedit comparatio naturalium omnium potentiarum, quæ completæ dicuntur singulæ in suo genere, quamquam actu non operentur, nisi prima causa movente. Itaque pro libitu gratiam, quæ opponitur efficaci, dicito aut inefficacem, aut sufficientem; mea enim non refert, utrum horum dixeris: dummodo fatearis contra Jansenium interiorem aliquam gratiam, cui etiam in statu naturæ lapsæ resistitur.

24. Ponitur propositio 3tia Jansenii.

Propositio III. Jansenius protulit & enunciationem illam hæreticam: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* In qua assertione opponitur Augustino.

Thesis Janseniana.

Enunciasse hæc Jansenium probatur I. quia in sola immunitate à coactione contendit sitam esse perfectissimam libertatem, scribens lib. VI. de Grat. Ch. cap. 6. *Duplex necessitas Augustino: coactionis; & simplex, seu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati.* Et lib. 7. cap. 19. *Nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ.* II. Quia libertatem, per quam homines viatores aut sub victrici delectatione merentur, aut sub dominatu concupiscentiæ delinquunt, lib. 6. de Grat. Ch. cap. 7. comparat libertati Dei, *qua peccare, injustus esse, & se ipsum negare non potest*: & cap. proximo æquiparat voluntati Beatorum, qui Deum amant, *sublata omni indifferentia & contrarietatis, & contradictionis.* Affert & 9. cap. exemplum arbitrii Christi, qui promeruit, etsi in eo *indifferentia ad non peccandum non remanserit*: III. Fluit hæc tertia positio sponte sua ex Jansenii principiis. Nam, ut constat ex dictis, *nullum peccatum fit ab hominibus, quin voluntas, quadam delectatione prius titillante, & pruritante provocetur*, ac pariformiter recte non operatur voluntas, *nisi sancta delectatio superet pugnantem concupiscentiam.* Conflictus est inter utramque delectationem, *qui sopiri non potest, nisi altera alteram superaverit*, adeo, ut *urgente delectatione carnali, impossibile sit, ut virtutis & honestatis consideratio prævaleat*: & similiter, *dominante sola suavitate spiritus ardentissime voluntas Deum ita immobiliter diligat, ut peccare non possit.* Hæc Jansenius lib. IV. de Grat. Ch. cap. 9. Ergo per Jansenium quisquis meretur, necessario abripitur à superiori sancta delectatione; qui vero peccat, necessitate succumbit sub premente cupiditate, & tam meritum quam demeritum nulla alia ratione dicitur liberum, nisi quia est voluntarium.

Antithesis Augustiniana.

25. Antithesis Augustiniana.

At magnus Augustinus, quamquam fatetur, *tanto quisque ad quæcunque mala perferenda quemque iniquorum duriorem, quanto in eo major est cupiditas mundi; & quemque justorum tanto esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quanto in eo est major charitas Dei*, De Patient. cap. 17. Quamquam docet in hoc statu, in quo caro concupiscit adversus spiritum, in tali certamine laborantes ac periclitantes indigere gratia, *quæ carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*, de corrept. & grat. cap. XI. Quamquam in voluntate, prout naturali instinctu fertur in finem, agnoscit, *congenitam libertatem immutabilis voluntatis*, lib. VI. Op. Imp. n. 11. nihilo tamen minus liberum arbitrium, cujus proprietas est mediorum electio, negat liberum habere motum, *nisi potestatem habeat motum suum cohibendi*; lib. 3. de lib. arb. cap. 3. negat esse peccatum, *unde non est liberum abstinere*: negat hominem, quamdiu corruptibili corpore rationalis anima detinetur, *non posse resistere gratiæ*; de nat. & grat. cap. 67. Ergo docet Augustinus non posse cum necessitate permanere libertatem arbitrii, non motum culpabilem, non proprie acceptum peccatum, non meritum spectans ad mediorum electionem, non demeritum, non opus aliquod dignum retributione, vel pœna. Sed de his plura cap. 2. & 3. præcedentis differt. de H. Luthero-Calviniana.

Æquitas Censuræ.

26. Censura in propositionem tertiam Jansenii.

Tertia Jansenii propositio eadem cum præcedenti censoria animadversione damnata est. Et quidem merito. Positio enim Jansenii cohæret articulis 39. & 56. Baji, & propositionibus Lutheri & Calvini anathemate damnatis à Tridentino sess. VI. canone 4. & 6. ut constat ex citata dissertatione: in qua etiam Hæreticorum, Novatorumque quælibet argumenta diluimus.

Pro-

27. Propositio quarta Jansenii.

Propositio IV. In hoc etiam absurdum Jansenius prolapsus est, ut scripserit, *Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuisse hæreticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere, vel obtemperare.* Quod est plane falsum, & à doctrina S. P. Augustini alienum.

Thesis Janseniana.

Hanc propositionem esse Jansenii legitimam & genuinam puto nullum Janseniſtarum negaturum, modo legerit quæ habentur lib. VIII. de H. P. cap. 6. ubi Jansenius inquit: *Massilienſium opinionibus, & Augustini doctrina quam diligentissime ponderata, certum & indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ad ipsam etiam fidem, quam humanæ voluntatis ac libertatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur.* En primum quartæ propositionis membrum. Audias alterum: *In hoc ergo proprie Massilienſium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus & abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate.* Et de grat. Chr. cap. 12. lib. 2. appellat Semipelagianos *gratiæ medicinalis destructores, liberi arbitrii præsumptores, meritaque censuræ severitate damnati*; quoniam admittebant libentissime adjutorium Dei, quo possent credere & orare, si vellent, ita ut & adjutorium, & ipsum velle & nolle in eorum libero, quemadmodum hominis primi, relinqueretur arbitrio. Atque hæc scribere, ut singula convenirent, necessum erat novo Dogmatistæ non admittenti gratiam medicinalem, nisi victricem, cui humana voluntas indeclinabili obtemperet necessitate.

Antithesis Augustiniana.

28. Thesis opposita S. Augustini.

Gratia interior, quam adversus Pelagianos propugnavit Augustinus, & profitetur Ecclesia, non est solum liberum arbitrium, sive gratia legis & doctrinæ tantummodo mentem colluſtrantis, sed illuminatio tangens cor hominis, & faciens ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat. Hæc major propositio est Augustini lib. 2. de Peccat. meritis cap. 17. aliisque in locis productis de H. P. cap. VIII. Hanc Gratiam ad initium Fidei Semipelagiani minime necessariam esse putarunt, auctore ipso Augustino de Præd. SS. cap. 3. in Ep. 227. ad Vitalem num. 9. & alibi, prout ostendimus de H. Semip. cap. ultimo. Ergo juxta Augustinum Semipelagiani non admiserunt necessitatem interioris gratiæ ad singulos actus etiam ad initium fidei. Quod vero Massilienſium error situs non fuerit in hoc, quod homo lapsus possit cum adjutorio gratiæ credere, esset tamen in potestate arbitrii non credere, tam falsum est, quam est falsum non pertinere ad liberum arbitrium potestatem agendi vel non agendi, & libertatem *à necessitate.* Istud vero per Augustinum est falsissimum, quomodo vidimus disputantes de libertate in præcedenti velitatione. Igitur per Augustinum falsum est in hoc erraſſe Massilienses, quod vellent initium fidei esse à gratia, cui posset liberum arbitrium vel obsistere, vel obtemperare.

Æquitas censuræ.

29. Thesis Jansenii damnata.

Damnata est hæc propositio tanquam falsa, & hæretica. Falsa est, si Semipelagiani ad fidei initia non admiserunt interiorem Gratiam adjuvantem voluntatem per subministrationem Spiritus Sancti. Hæretica est autem, si reluctandi gratiæ agnoscere potestatem sit dogma fidei, non error Massilienſium. At demonstratum est, Semipelagianos illam interiorem gratiam non admisisse: posse vero liberum arbitrium dissentire gratiæ excitanti ac moventi, non error est, sed definitio fidei expressa IV. Canone Sess. VI. à Synodo Tridentina. Igitur quarta Jansenii positio summa æquitate declarata & damnata est tanquam falsa, & hæretica. Si autem moveris argumentationibus contrariis positis cap. V. de H. Semipelagianorum ad subscribendum illorum opinioni, qui tenent Semipelagianos ad initium fidei non denegasse auxilium indifferens & versatile; stat adhuc æquitas Pontificiæ Censuræ, sive dixeris cum Gonet, inter Semipelagianos fuisse aliquos, qui nullam gratiam, aliquos vero, qui gratiam pediſequam ad primordia fidei faterentur, atque ita propositionem Jansenii universaliter esse falsam: sive potius, complexam hanc esse; & censuræ notam inustam postremæ parti, scilicet, *Et in hoc erant hæretici &c.* nulla notatione illata priori propositionis membro, in quo comprehenditur quæstio facti in utramque sen-

tentiam apud Theologos distracta; & in qua supervacuum foret stylo luxuriem disputationis ostentare.

30. Propositio quinta Jansenii.

Propositio V. Jansseniana est, refutata ab Augustino, debitisque censuris compressa atque illisa insequens enunciatio: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Thesis Janseniana.

Scripsit Jansenius lib. III. de Grat. Chr. cap. 21. *Omnibus illis, pro quibus Christus Sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donari, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint, & faciant id, quod ab iis volendum, & faciendum esse decrevit.* Non ergo, si Jansenio fides habenda est, obtulit Salvator noster Jesus Christus divini sanguinis pretium pro iis, qui efficaci gratia privantur. II. Pergit Novator: *Nullo modo principiis ejus* (id est Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse sentiatur. Ex quo factum est, ut non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit.* At Christus diaboli nullo modo Redemptor est. Igitur nullo modo, juxta enormem Jansenii sensum, erit Redemptor non perseverantium. III Hæc profert eodem capite Yprensis: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum;* & ibidem dogma de generali hominum Redemptione appellat *Machinam à Semipelagianis introductam.* Repudiavit ergo Jasenius Redemptionem pro omnibus tanquam Semipelagianismi purum, putumque commentum.

Antithesis Augustiniana.

31. Cui opponitur S. Augustinus.

Contra Augustinus Christum pro omnibus & singulis pretiosum sanguinem effudisse innumeris locis commonstravit. I. Docet demonstratque verbis Pauli 2. ad Corinth. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt,* contrahi ab omnibus originale peccatum, quemadmodum pro omnibus mortuus est Christus: At originarium peccatum contrahitur ab omnibus ac singulis hominibus, nemine prorsus excepto: Igitur Christus pro omnibus singulisque mortem oppetiit. Est Augustini prima hæc argumentatio lib. XX. de Civ. Dei cap. 6. *De qua morte ait Apostolus, Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est unus; ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Omnes itaque mortui sunt in Peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam ignorando additis: & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus.* Lib. VI. contra Julianum cap. 4. *Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, id est de contagio peccatorum. Qui fieri potest, inquis, ut res arbitrii conditioni seminum misceatur? Si fieri non potest, non esset unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt. Audis Juliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt.* Similiter lib. 2. Op. Imp. n. 175. *Quidquid argumenteris, quidquid Apostolicorum verborum coneris evertere sive pervertere, à morte quæ in peccato est parvulos non ostendis immunes, quia & pro eis Christum mortuum negare non audes.*

32. Confirmatur ulterius oppositum.

Præterea: Si pro solis prædestinatis mortuus est Christus, ergo nec pro parvulis qui ante baptismum emoriuntur, nec pro infidelibus qui veritatis verbum non audiunt, nec pro obduratis qui in scelerum turpitudine persistunt, nec pro justis, qui sanctitatis faciunt jacturam: quippe horum nemo sortis electorum est particeps. At Augustinus affirmat hos omnes pretio Sanguinis Christi fuisse redemptos. Igitur in redemptorum numero non comprehendit tantum electos. Et quidem Christum Redemptorem esse parvulorum demonstratum est nuper. De infidelibus ait S. P. in Psalmum 61. *Expandens manus suas ad populum incredulum in Cruce positus Sitio dixit, quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat, illi acetum dederunt,* & Tract. in Joannem IV. *Populi autem spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei crucifixerunt Salvatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* De peccatoribus obduratis qui resipiscere nolunt, scribit Tract. in Joan. XXXVI. n. 4. *Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare, eos judicare in pœnam, qui salvari noluerunt,* &c. Quid vero de Judæ perditione? Enarrat. in Psalm. 68. inquit: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat: nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.* Et Tract. 55. in Joannem, *Jam talis* (inquit) *venerat ad con-*

convivium explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, proditor Redemptoris. De his demum, qui à justitia decidentes damnantur, sæpe numero repetit illud Apostoli, *Peribit infirmus, propter quem Christus mortuus est.* Vide epist. 15. 137. & 180. nunc. 73. 78. 228. Igitur pro iis qui pereunt, pro Juda cæterisque improbis, pro Judæis & incredulis omnibus, pro infantibus non regeneratis docuit Augustinus intemeratæ Virginis Filium crucis patibulum subiisse: & ingenue Julianum allocutus est sub initium quinti libri: *Sententia nostra Christum Salvatorem prædicat omnium hominum.*

33. Ex eodem. Insuper, qua fronte scribere potuit Jansenius sanctissimum Parentem Augustinum existimasse nullo modo piissimum Salvatorem orasse pro reprobis, quemadmodum non oravit pro diabolo? Legimus Serm. 382. hæc Sancti Doctoris verba: *Quando in Cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, Crucifige; ille clamabat, Pater ignosce.* Et Tract. 1. in Epist. Joan. *Sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille, qui in Cruce pendens ait: Pater ignosce illis . . . . Mortem sempiternam ab illis expellebat prece misericordissima, & potentia præstantissima. Multi ex eis crediderunt, & dimissus est eis fusus Sanguis Christi.* Igitur per Augustinum licet non omnes Dei inimici, id est peccatores remissionem accipiant, nec omnes potentia præstantissima eripiantur à morte æterna, pro omnibus tamen oravit dicens, *Pater ignosce illis*: quod sane pro Diabolo impium aut stultum est credere humani generis Reparatorem præstitisse.

Æquitas Censuræ.

34. Propositio Jansenii damnata ut falsa. Positio quinta Jansenii damnata est tanquam *falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica.* I. Dicitur *falsa*, quia opponitur veritati, sive veritas requiratur in sacris libris, sive in Patrum auctoritate, sive in definitionibus Conciliorum, sive in ipsa ratione, communique sensu Theologorum. Legimus enim in 2. ad Corinthios præcitato capite 5. *Unus pro omnibus mortuus est.* 1. ad Timoth. 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, & cap. 4. v. 10. *Salvator est omnium hominum.* Trident. Synodus Sess. 6. cap. 2. *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed & pro totius mundi,* & initio proximi cap. 3. *Ille pro omnibus mortuus est.* Consentiunt Patres tam Græci, quam Latini. Athanasius de Incarnat. Verbi, *Mortuus est* (inquit) *ad omnium redemptionem,* Ἀπέθανε διὰ τὸ ὑπὲρ πάντων λύτρον. Cyrillus Hierosoly. Catech. 3. *Orbis universi peccata suscipiens mortuus est,* τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας ἀναλαβὼν, ἀπέθανεν. Greg. Nazianz. Orat. 42. *Exiguæ sanguinis guttæ universum orbem instaurarunt,* Ῥανίδες αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλάττεσθαι. Optatus Milevitanus libro contra Parmenianum tertio, *Constat sanguine Christi omnes redemptos.* Ambrosius de Paradiso cap. 8. *Omnes voluit liberare.* S. Prosper ad Ob. 1x. Gallorum, *Rectissime dicitur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus.* Sanctus Leo Serm. 1. de Nat. Dom. *Sicut nullum à reatu liberum invenit, ita pro liberandis omnibus venit.* Mitto brevitatis gratia omnes alios. Convenire in hac sententia Scholasticos, & recentiores scriptores fatetur Jansenius lib. 3. de Grat. Ch. c. 21. nec opus est, ut singulos connumeremus. Theologicæ rationes, quæ Jansenianum scitum profligant, sunt prorsus innumeræ. Una infertur ex originali peccato, cujus chirographum Salvator affixit cruci, & hanc Paulus & Augustinus paulo supra abunde illustrarunt. Altera deducitur ex verbis Apostoli citato loco ad Timoth. ubi nos hortatur ad orandum pro omnibus exemplo Christi, qui pro omnibus se ipsum dedit in redemptionem: & de hac plura diximus lib. v. cap. 1. Alteram suppeditat locus productus ex cap. 4. ejusdem Epistolæ ad Timotheum: eo enim loco Apostolus loquitur de spe; ideoque sicut non est, qui sperare non debeat; ita non est qui non sit à Christo Redemptore salvatus. Petitur alia ratio à potestate tradita Christo judicandi orbem terrarum, quippe non alia ratione Dominus Jesus Christus, in quantum filius hominis est, *totum judicare debet nisi quia pro toto pretium dedit*, ut S. P. docet in Psalmum 95. num. 15. Igitur Janseniana Thesis opponitur veritati, quæ ubique conclamat Christum universi humani generis Reparatorem ac Redemptorem, clamat ore Apostolico, clamat oraculis Conciliorum, clamat omnium Patrum sermone, clamat denique concordissimis Scholasticorum enunciationibus.

Nec

35. Ut temeraria. Nec *falsa* est duntaxat, verum etiam *temeraria*; quoniam Sacrosancta Ecclesia Apostolicis doctrinis, & Majorum suorum institutis edocta natum Salvatorem adorat dicens, *Jesu Redemptor omnium*, & redeuntem in cœlum, *Salutis humanæ Sator, Orbis redempti conditor*: Jansenius autem pusilli Electorum gregis Salvatorem tantummodo appellat, perversaque doctrina impulit audaces, superbos, & mendacissimos filios iniquitatis, ut Breviaria depravantes infantem Jesum carmine mutato compellent, *Jesu redemptor optime*. Audaces, inquam: *Legem enim credendi lex statuit supplicandi*, ut Cœlestinus scribit in Epist. ad Gallos. Præscribere itaque fidelibus publicam orandi formam spectat ad eos, qui proponere possunt firmissimam legem credendi. Hanc vero auctoritatem quo jure arrogant sibi quidam Jansenianí? Dixi & *superbos*; quadrat enim iis quod scribit Augustinus in Psalmum 95. *Multum superbi sunt, qui dicunt illud* (pretium redemptionis) *tam parvum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse pro quibus solis illud sit datum*. Addidi & *mendaces*; quandoquidem est revera Christus Redemptor optimus; sed quia *copiosa est apud eum redemptio*, ut regius cecinit Vates Psalm. 129. v. 7. Non est autem copiosa redemptio, quæ angusto limite coarctatur. *Temeraria* est igitur Thesis Jansseniana talibus verbis sententiisque conflata, ac talem præbens assertoribus suis ansam temeritatis.

36. Ut scandalosa. Est etiam V. illa propositio *scandalosa*, infirmisque occasionem tribuit spiritualis ruinæ. Videtur mihi sternere viam ad dubitandum de fide. Credimus resurrectionem mortuorum, sine qua ait Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 15. v. 14. *inanis est fides nostra*. Probat eodem loco Paulus resurrectionem mortuorum, quia, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, v. 22. ut autem docet Augustinus Serm. 155. num. 15. omnes moriuntur in Adam, quia *Adam peccando damnavit in mortem corpora nostra*; omnesque vivificabuntur in Christo, *quia suum sanguinem dedit pro salute nostra*. Si ergo sunt aliqui, pro quorum salute sanguinem Jesus non fudit, hi non resurgent. Periclitatur in Jansseniano dogmate etiam Christiana spes. Sperandum ab omnibus demonstrat S. Pater præclaro argumento in Psalmum 148. n. 8. scribens, *Promissionis Dei tales arrhas accepimus: tenemus mortem Christi: tenemus sanguinem Christi. Quis mortuus est? Unicus. Pro quibus mortuus est? Utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid? Etenim Christus, aut Apostolus, pro impiis mortuus est: qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non dicat, Non ero.* Fundamentum itaque, cui innititur spes Christiana, est Sanguis Christi: nam animadvertentes illum pro omnibus impiis fusum esse, erigimur spe, quod nobis, quantumvis sceleſtissimis applicabitur, quia non pars, sed universum humanum genus redemptum est. Denique in hæresi Jansseniana labefactatur etiam charitas. Nam scribit Apostolus in 11. ad Corinth. v. 14. *Charitas Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Et ad Rom. cap. VIII. ad charitatem nos vehementer hortatur, quia Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vide & Augustinum lib. de Catechiz. rud. cap. 4. lib. 11. de nupt. cap. 33. & Tract. VII. in Epist. Joannis.

37. Ut impia ac derogans divinæ pietati. Jam vero *impiam* esse prædictam propositionem, *contumeliosam, & derogantem divinæ pietati*, ex dictis manifesta consecutione deducitur; nam derogat divinæ misericordiæ, extenuat pretium Sanguinis Christi, magnum redemptionis opus imminuit, & Salvatoris meritum, cruciatus, obedientiam, orationem, & vulnera parvipendit. Hæc omnia magna sunt & eximia, quia *semel dedit, & pro omnibus dedit*, inquit S. Pater serm. 34. alias 31. ex editis à Sirmondo. Et quidem non esset passio Christi infiniti valoris, nisi melioris testamenti sponsor factus, semel se ipsum offerendo, & oblationem suam per Sacramenta applicando salvare in perpetuum non posset accedentes per semetipsum ad Deum. Pari ergo ratione non esset originalis peccati remedium, non esset mors mortis, neque communis chirographi abolitio, si non esset pro omnibus hominibus applicata. Ut enim intensione virtutis, ita extensione beneficii est una, magna, & copiosa Redemptio. Ubi ergo nimia illa charitas, si vix Deus pusillum electorum gregem dilexit? quomodo superabundans Reparationis gratia, si tam tenax & parca? Tandem *hæretica* servato omnis jure æquitatis declarata est postrema illa thesis Jansenii, utpote contraria divinis literis, repugnans doctrinis Patrum, & adversa Symbolo Constantinopolitano, quod recitamus quotidie dicentes, *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*: Synodo Arelatensi, quæ anathema dixit asserenti

renti *quod Christus non pro omnibus mortuus sit*; & Tridentinæ Oecumenicæ de Christo affirmanti, *Ille pro omnibus mortuus est.* Utinam oblatum pro omnibus pretium nobis proficuum sit etiam divinorum beneficiorum communione, justitiæ præsertim, & finalis perseverantiæ; quod petimus cum auctore Commentariorum Salviani lib. 2. contra Avaritiam,

Participes fac nos meritorum, Christe, tuorum,
Ne careat fructu passio, morsque tua.

CAPUT IV.

Quibusdam prænotationibus positis, diluuntur ea, quæ adversus universorum redemptionem objiciuntur.

SUMMARIUM.

1. An Christus pro aliquibus mortuus sit titulo speciali
2. Cur Christus non pro omnibus eodem modo mortuus sit.
3. Quomodo Redemptio se extendat ad omnes homines.
4. Quid dicendum de sententia Thomistarum.
5. Adducta doctrina demonstratur.
6. Ac declaratur.
7. Usque ad 15. variæ objectiones Solvuntur.

VERSAVI positiones Jansenii, quantum boni temperamenti Theologo sufficere videbatur. Reliquum est, ut diluantur quæ Novatores objectant adversus postremam: de qua, licet pertractantes de voluntate Dei satis plura, unde oppositiones quælibet eliduntur, studuerimus exornare, iterum differendum est, cum ob amplissimam hujus argumenti dignitatem, tum ob doctrinæ capita, quæ hinc juxta cujusque intelligentiam varia ac perplexa dimanant.

1. An Christus pro aliquibus mortuus sit titulo speciali.

Prænotandum est autem, Christum licet pro omnibus mortuus sit, speciali tamen titulo mortuum esse pro aliquibus, quibus fidei, sanctitatis, & maxime finalis perseverantiæ conferuntur beneficia. Quod demonstratur apertissime primo testimoniis sacrarum Scripturarum. In his quippe legimus Joan. XVII. Christum specialiter pro electis orasse, *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi;* in 1. ad Timoth. *Salvator omnium maxime fidelium*: & ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, &c.* Secundo ex Tridentino Concilio, quod sess. VI. cap. 3. ait: *Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt:* cui consonat Catechismus Romanus, qui cap. 4. num. 24. secundæ partis declarat Christum non esse mortuum pro universis, in quantum *salutis fructum delectis solum attulit.* Tertio probatur ex Patribus: nam S.P. Augustinus in Psal. 87. scribit: *Solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus, ejus bona opera profuerunt.* Serm. de Natali S. Vinc. *Quando perit, qui sanguine Christi redemptus est?* & Tract. 45. in Joannem, ait Filium à Patre traditum pro *præscitis, prædestinatis, justificatis, glorificatis.* Divus etiam Prosper ad object. 9. Gallorum ait: *Cum itaque rectissime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus; . . . . potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Demum probatur manifesta ratione, propterea quod non omnes qui vocantur sunt electi, cum tamen electi simus in Christo ante mundi constitutionem. Quare rejicimus sententiam eorum, qui docent Christum æquali affectu pro omnibus mortem oppetiisse, ut singulis eadem gratia conferatur, sive ex præscientia operum naturalium, quæ est sententia Semipelagianorum; sive gratia congrua, & donum perseverantiæ ex præscientia operum, quæ unusquisque facturus esse prænoscitur cum gratia omnibus æqualiter distributa, ut tenent nonnulli Catholici. In quorum opinione peculiaris Christi erga electos benevolentia non tam aperte deprehenditur.

2. Cur Christus non pro omnibus eodem modo mortuus sit.

Si pulset imbecillitatem mentis nostræ gravis quæstio, cur Salvator omnium mortuus pro omnibus & singulis, quibusdam tantum in genere passionis suæ beneficia applicare decreverit, & uni, non alteri impertiri gratiam aut conversionis, aut finalis perseverantiæ; reddent fortasse rationem aliquam Theologi, quos nuper com-

commemoravi: sed ego hebes ingenio, & sententiæ, quam palam feci, pro mea virili defensor, non habeo quid respondeam, nisi cum Augustino de Corrept. & Grat. cap. XI. *Quibus deest, pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Quærenti autem, cur nascentibus omnibus cum demerito originalis peccati, si Christus cumulate pro omnibus satisfecit, non omnibus æqualiter prosint merita Salvatoris; cum Augustino cap. XII. de Dono Persev. *Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjicimus, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Atque ut hæc respondeamus, confortat nos B. Prosper scribens ad VII. ob. Gallorum, *Non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit: sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse, & juste non dedisse quod non dedit.* Igitur firmissime tenemus Redemptionem spectare ad prædestinatos specialissimo quodam titulo communicationis divinarum gratiarum: cujus rei nullam nos possumus causam reddere, nisi inscrutabile Dei judicium, & voluntatis ejus propositum.

3. Quomodo Redemptio se extendat ad omnes homines.

Ad singulos autem, universosque homines quomodo se extendat Redemptio, investigandum modo est accuratius. Docent Molinistæ Christum ita mortuum pro omnibus, ut singulis applicentur auxilia sufficientia, quibus potest unusquisque sine efficaci gratia bene operari, & si bene operaturus prævideatur, etiam congrua, & ad salutem consequendam magis idonea. Hoc sensu Christum pro omnibus esse mortuum defendant illi, prout lubet. Nos probare hanc sententiam non possumus, primo quia gratiam hoc sensu sufficientem in hoc statu nullus Theologorum admittit ex iis, qui nobiscum gratiam per se efficacem propugnant. Præterea dogma Fidei, quale est Christum mortuum esse pro omnibus, non est sustinendum incertis Scholarum opinionibus, sed probatis ab omnibus, & communibus. Et forte Jansenius tam audacter negavit pretium redemptionis oblatum pro omnibus, callide occasionem arripiens à catholicis quidem, sed recentioribus Scholarum opinionibus, quas arbitrabatur à quibusdam non satis valide propugnari. Quod innuit ipse Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 11. scribens: *Illa extensio tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione, fluxit.* In quo tamen labitur Jansenius errore maximo; quoniam extensio Redemptionis ad omnes non profluit ex incerto Molinistarum placito, sed ex purissimo veritatis fonte, ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus. Si ergo ex hoc fonte nos liquido possumus fidem catholicam explicare; cur ad unam Scholasticorum interpretationem confugiemus, relictis aliis Catholicorum Doctorum opinionibus? Insuper hæc illatio, *Deus voluit dare Christum redemptionem pro omnibus, nullo excepto: Ergo omnibus præparavit sufficientia remedia per Christum;* negatur tanquam non dissimilis ab objectis Massilienſium à Theologis Lovanienſibus, & Duacenſibus in Censura ad Assert. VII. Molinistarum, & in illorum Justificat. cap. XII. Constat autem utramque Universitatem loqui de Gratia sufficienti sensu Molinistico. Lovanienses itaque ad illam Assertionem hæc respondent, *Non dissimilis erat olim Massilienſium ratiocinatio, sed cui sic respondendum: Christus Redemptor est omnium, quoad pretii sufficientiam, quia merito Sanguinis ejus omnes à peccato liberari possent, si crederent: non est autem Redemptor omnium secundum efficaciam, quia non omnibus per eum datur ut credant. Ut enim infidelis credat, præter prædicationis beneficium, necessarium est gratiæ specialis donum, quo fiat ut prædicationi consentiat.* Duacenses similiter, *Huic argumento*, inquiunt, *quod idem & Fausti fuit, responsum jam olim à beato Prospero*, allatisque Prosperi verbis, de quibus infra, *Sufficientia ergo, quam postulat generalis redemptio, in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio.* Postremo Christum mortuum esse pro omnibus est dogma fidei: gratiam autem omnibus ac singulis conferri est quæstio adiaphora, quæ negative resolvitur ab Antiquorum plurimis, à nostratibus fere omnibus, &, si justos excipias, ad fidem non pertinere censent omnes, etiam recentiores; Tournely P. 2. de Gratia Quæst. VIII. art. 4. pag. vet. edit. 634. & P. Benitez. De Vera Christi Gratia Disp. 2. dub. 1. pag. 138. n. 3. Non ergo tenemur ex quo Christus pro omnibus mortuus sit, asserere omnibus gratiam esse collatam; neque ex universalitate gratiæ pensare universitatem redemptionis.

Quan-

4. Quid dicendum de sententia Thomistarum,

Quantum spectat ad sententiam Thomistarum, qui destinguentes in Deo duplicem voluntatem, antecedentem, & consequentem alio plane sensu à Medistis, in quorum Schola voluntas consequens supponit præscientiam operum futurorum; fatemur Christum mortuum pro omnibus attenta voluntate antecedenti, & mortuum pro solis prædestinatis voluntate consequente; explicata utraque voluntate, ut diximus P. 1. lib. v. cap. 1. & paulo supra in 2. Propos. Jansenii. Mortuus est itaque Salvator noster pro omnibus voluntate antecedenti, cujus effectus est institutio cujusdam ordinis complectentis causam & remedia, quibus possunt peccata quæque remitti: atque ita D. Thomas 3. p. q. 49. art. 1. ad 3. *Christus sua passione nos à peccatis liberavit causaliter, ideſt, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcunque peccata quandocunque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura. Sicut si Medicus faciat medicinam, ex qua possint quicunque morbi sanari etiam in futurum.* Non est autem mortuus quantum ad voluntatem sequentem, cujus effectus est ordinis executio, sive applicatio remedii; quibus peccatum deletur, cum istud applicetur per fidem, per charitatem, & per Sacramenta; & reproborum pluribus non præparetur voluntas à Domino, ut credant, ut diligant, ut Sacramentis Ecclesiæ sanentur. Quod D. Thomas diserte tradit eodem loco, & sequenti art. 3. ad 1. *Passio Christi sortitur effectum suum in illis, quibus applicatur per fidem, & charitatem, & per fidei Sacramenta. Et ideo damnati in inferno, qui prædicto modo passioni Christi non conjunguntur, effectum ejus percipere non possunt.* Ex qua præclara D. Thomæ doctrina tria consectaria inferuntur. Primum est, quod ad generalem illam voluntatem, secundum quam Christus pro omnibus est crucifixus, sat est quod Christi passio præcesserit ut causa quædam universalis; sive instituerit remedia, quibus, si applicentur, deleri potest qualecunque peccatum; non est autem necesse, ut applicentur reapse; ideoque ex morte Christi pro omnibus non consequitur, aut gratiam, aut fidem, aut charitatem à singulis hominibus actu participari. Alterum est, quod ut aliquis dicatur redemptus debet esse in statu, in quo aut possit conjungi cum Christo, ut sunt Infideles & increduli, aut conjungatur reapse, ut sunt fideles & recti. Tertium quod consequitur est, voluntate sequente, cujus effectus est applicatio fructuum passionis Christi, non omnes fuisse redemptos æqualiter, quia non omnibus indiscriminatim eodem modo passio Christi applicatur, sed aliquibus gratia sufficiens, aliquibus auxilium efficax, aliquibus etiam donum finalis perseverantiæ confertur. Atque hinc est, quod adversus Pelagianos, & Semipelagianos negantes perseverantiam esse donum speciale S. P. Augustinus explicat dictum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, pro generibus singulorum, & aliquando affirmat Christum Dominum orasse tantum pro ovibus suis, & pro prædestinatis sanguinem fudisse; quod iis remedia applicentur, & soli plenissimum Redemptionis fructum percipiant. Consentit autem Augustino beatus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. & in 1. ad Tim. lect. prima.

5. Adducta doctrina demonstratur.

Hanc veram esse cum de voluntate salvandi omnes, tum de omnium Redemptione doctrinam, paucis demonstro. Principio Apostolus ad Rom. 111. v. 25. ait de Christo: *Quem proposuit nobis propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Est igitur Christus propitiatio peccatorum omnibus proposita, & exhibita; sed quæ per fidem, quemadmodum per alia gratiarum munera, applicatur nobis ad percipiendum fructum ipsius, ut recte observat D. Thomas cit. Q. 49. art. 1. ad 5. ideoque non est idem spectare ad numerum redemptorum, & fructus Redemptionis actu participare. Accedit Concilium Tridentinum, cujus cap. 3. Sess. 6. hæc sunt verba: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Et Catechismus Romanus P. 2. cap. 4. num. 24. *Si ejus virtutem inspiciamus pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum fatendum erit: si vero fructum, quem homines ex eo perceperunt, ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus.* Eadem est perpetua S. P. Augustini contra Pelagianos Doctrina. Ubique enim docet Christum esse Redemptorem parvulorum, quoniam etiam in eis est peccatum, quod non *liberat nisi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, non nisi medicus, qui venit non propter sanos, sed propter ægrotos*: ita de Peccat. meritis lib. 1. cap. 23. & in 111. contra Jul. cap. 2. *Cæterum rogo te, quomodo potest intelligi ista redemptio, nisi à malo redimente illo, qui redemit Israel ab omnibus iniquitatibus ejus? Ubi enim redemptio sonat, intelligitur & pre-*

pretium. In tantum ergo per Augustinum parvuli à Christo redempti sunt, in quantum non solum baptismo tinguntur, ut eis addatur nova gratia, & adoptio filiorum Dei, verum etiam ut eruantur de potestate tenebrarum, & remittatur eis originale peccatum per lavacrum regenerationis, in quo mundamur per ejus sanguinem. Quod tamen lavacrum inscrutabili Dei judicio non omnibus parvulis applicatur. Explicat Magistri doctrinam S. Prosper, qui objicientibus Semipelagianis Christum non esse mortuum pro omnibus, nisi omnibus conferatur gratia, per quam consequantur salutem, resp. ad ob. IX. Gallorum, *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino suscepta non fuerit, quamvis ille natus sit in similitudinem carnis peccati, omnis autem homo nascatur in peccato. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus consortes fuissent, vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum Redemptioni crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo. Cum itaque rectissimè dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo hominum omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Addit Prosper: *Qui dicit, quod non pro totius mundi Redemptione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed infidelium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Videatur etiam Resp. ad I. Vincentianam. Tandem ut rationem Theologicam addam à Tridentino Concilio, ab Augustino, & à Prospero iisdem locis productam; hominibus, nisi ex semine Adæ propagati per ipsum concipiantur, non erit proprium originale peccatum; & ideo Adam omnem hominem, universamque naturam infecit, quia omnes ab eo generantur carnali propagatione: Ita hominibus non convenit Redemptionis proprietas, nisi spiritu regenerentur in Christo; à quo cum Sacramentis collata sit virtus non solum delendi originale peccatum, sed etiam omnia actualia ubi abundavit delictum, superabundat gratia; & plus nobis per Christum restitutum est, quam ablatum fuerit per Adam.

6. Ac declaratur.

Hæc cum ita sint, indulgeant mihi viri docti, si cum Novatoribus disputans, non dixero Christum aut oasse, aut sanguinem fudisse pro omnibus inefficater, efficaciter autem pro solis electis; aut mortuum pro reprobis affectu tantum humano, & pro prædestinatis voluntate Patri nolenti sincere universorum salutem, per omnia concordi: quippe opinione, aut sententia nostra omnis oratio Christi pro omnibus ac singulis certissime impensa, spectato saltem aliquo effectu, per quem viatores omnes possunt, si velint, salutem apprehendere, sincera, & efficax fuit; & omnis Dei voluntas impletur quoad effectum suum immediatum ac proprium: voluit etiam & Christus, & Pater redemptionem hominum singulorum, non prædestinatorum duntaxat. Quare missis nunc opinionibus discrepantibus Scholarum, usurpans verba Conciliorum ac Patrum dico universos homines redemptos quatenus proposita est omnibus propitiatio per fidem in Sanguine Christi, quatenus Christus sua passione instituit causam nostræ liberationis, quatenus obtulit pretium vi cujus omnia peccata delentur, quatenus demum humanam turam suscepit propter communem hominum perditionem. Atque hæc est voluntas antecedens, quam dixi connotare ordinis institutionem. Pro generibus autem singulorum, non pro singulis generum Redemptor est crucifixus, in quantum applicatur passio Christi aut per fidem, aut per charitatem, aut per Sacramenta: in quantum non omnes mortis ejus beneficia recipiunt: in quantum ad multos tantum fructus redemptionis pervenit: in quantum denique mortis Christi fructus electi ante mundi constitutionem percipiunt. Hæc vero est voluntas consequens, & connotans instituti remedii applicationem, non Sacramenti virtutem. Quanta vero facilitate hisce præceptionibus diluantur omnia objecta Jansenianorum, nemo non videt.

7. Objectio 1ma.

Objiciunt I. Matthæi XXVI. 29. legitur: *Hic est Sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Joannes XVII. 9. refert hæc Domini verba: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Apostolus ad Hebræos IX. 28. ait: *Christus semel oblatus est ad multorum*

rum exhaurienda peccata, &c. Igitur pro multis tantum, & præsertim pro prædestinatis Christus mortem opetiit.

Resp. Laudatis testimoniis commendari nobis Christi redemptionem, quatenus ad fructum passionis attinet, cujusmodi est remittere & exhaurire peccata, & oves tam solicite custodire, ut nemo de manu Pastoris eas rapiat: quæ responsio & ipsis allatis testimoniis innuitur, & traditur à Catechismo Romano P. 2. cap. 4. num. 24. *Cum igitur* pro vobis *dicitur, vel eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant discipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur significavit. Cum autem addidit* pro multis, *reliquos electos, ex Judæis, aut Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut* pro universis *non diceretur; cum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quæ salutis fructum delectis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli, Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Et quod Dominus apud Joannem inquit, Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Hæc omnia Romanus Catechismus. Possumus etiam *multos* priori ac postremo loco accipere pro *omnibus*, cum Augustino lib. 3. contra Julianum cap. 3. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 33. & de Peccat. meritis lib. 1. cap. 24. eo prorsus modo, quo alibi explicavimus verba Apostoli ad Rom. v. 15. *Unius delicto multi mortui sunt.* In qua acceptione Christus est mortuus pro multis, quantum ad institutionem remedii, ad pretii oblationem, ad Sacramenti virtutem, & in quantum crucifixus est propter communem hominum redemptionem. Hac advertentia facile consimilia loca expediuntur, & cum productis contra Jansenium conciliantur.

9. Objectio secunda.

Arguunt 2. auctoritate Augustini. Qui exponens verba Joannis, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, tract. 1. in Epist. Joannis, nomine totius mundi docet designari *Ecclesiam.* Et tract. 100. in Joan. inquit: *Pro isto mundo non rogat, neque enim, qui sit prædestinatus ignorat.* Item de adulternis Conjugiis cap. 15. *Non omnis*, inquit, *qui homo est, sanguine Christi redemptus est.* Igitur opinatus est Augustinus Christum non esse propitiationem pro peccatis hominum universorum, nec pro singulis orasse, & crucis patibulum subjisse.

10. Rejicitur.

Resp. eodem modo, Christus non est propitiatio omnium peccatorum, quemadmodum nec Mediator, nec Redemptor omnium, quantum ad oblationem pretii, institutionem remedii, & Sacramenti virtutem, nego: quantum ad passionis fructum uberrimum, applicationem remedii, & redemptionis singularem proprietatem, concedo. Liquet responsio ex prænotatis, atque ex antithesi capitis præced. Prop. v.

11. Objectio tertia.

Insurgunt: Si Christus noverat quinam essent prædestinati, & quinam reprobi, quomodo poterat pro omnibus fundere sanguinem & orare? Perspicua sunt verba Sancti Doctoris lib. 21. de Civ. Dei cap. 24. n. 1. *Si de aliquibus* (Ecclesia) *ita certa esset, ut qui sint illi etiam nosset, qui licet in hac vita adhuc sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* Christus ergo, quem reproborum numerus & exitus non latebat, pro illis nequaquam oravit, quemadmodum non oravit pro diabolo.

12. Refutatur.

Variæ à Theologis huic argumento adhibentur responsiones. Complures affirmant Ecclesiam non oraturam pro reprobo, quam talem esse certissime sciret, oratione absoluta & efficaci, sed tantum inefficaci & conditionata: atque hoc pacto Christum rogasse pro iisdem reprobis. Respondent alii Ecclesiam in hypothesi non oraturam, quoniam oratio conjunctam habet spem obtinendi: tunc vero non remaneret spes salutis reproborum, cum spes non versetur circa objectum *possibile*, sed probabiliter futurum. Dicunt alii non exoraturam, ne videretur velle mentiri Deum, & falsum esse quod ab illo est certissime manifestatum. Sunt qui reponunt per illam revelationem Ecclesiam moneri, ut à communibus orationum suffragiis reprobos manifestos excludat; quemadmodum tenetur pro singulis deprecari, eo quod nullius in particulari futuram noverit damnationem. Illud quoque solet à nonnullis responderi, Ecclesiam deprecaturam quidem esse pro illis reprobis humano affectu, sed statim sese divinæ voluntati abdicturam; atque ratione consimili Christum humana voluntate se pro omnibus obtulisse, sed divinæ se accomodando ex universali erga omnes particularem erga prædestinatos effeciisse: eo ferme pacto, quo in horto oravit dicens, *Transeat à me calix iste*, sed addidit, *Verumtamen fiat voluntas tua.* Ut ut hæc omnia probabiliter dicta sint.

13. Variis responsionibus.

Ego argumentum diluo eadem responsione. Christus & oravit & mortuus est, quantum ad communem causam pertinet, ut institueret remedia, quibus omnium hominum possint deleri peccata, pretium Sanguinis sui pro omnibus offerens. Quomodo enim esset omnium Redemptor, Salvator, Animarum Medicus, & Mediator Dei & hominum; nisi pro omnibus pretium obtulisset, preces fudisset, remedia instituisset, nec non etiam inimicis, reprobis, obduratitissimis parasset, atque exhibuisset? In hac præparatione atque exhibitione remedii omnes viatores aut habent, aut possunt habere partem, quia vel sunt uniri; liceet aliqui viatores possint sola potentia quæ non reducetur ad actum: excluduntur omnino ab istiusmodi remediis dæmones & damnati, quia nec Christo uniuntur, nec sunt in potentia ut Christo uniantur. Ita docet iisdem fere verbis S. Thomas 3. p. q. 8. art. 4. Vides, cur Jesus omnes & orando, & moriendo redemerit; etiam si nosceret plures esse prædestinatos ad mortem. *Ergo* (ait Augustinus Tract. XII. in Joan.) *quantum in Medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult.* Ecclesia nunquid orat, ut exhibeatur Redemptionis pretium, & remedia instituantur salutis? Minime. Orat ut applicentur; ut qui stant, non cadant, ut iniqui revertantur ad Dominum, ut à corde infidelium auferatur velamen, ut peccatoribus remittatur quodcunque scelus, ut æternam salutem quilibet consequatur. Hæc speciatim, igne & absolute deprecari iis, qui à Domino sunt judicandi ut sempiterno cum diabolo puniantur, & habent cor impœnitens, & prævidentur certissime futuri in termino, ut pœnitere non possint amplius, neque ex inimicis converti in filios, de quibus disputat Augustinus: id quidem superfluum est, nec faceret Ecclesia si nosceret, nec fecit Salvator, qui novit.

14. Objectio quarta repellitur.

Quod si quæras, quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ scripsimus in postrema Antithesi, pro omnibus crucifixoribus orasse Dominum, clamando, *Sitio*, & dicendo, *Pater ignosce illis*? Respondeo optime cohærere omnia. Salvator enim offerens in ara crucis semetipsum hostiam & Redemptionem pro omnibus, in ea universali & misericordissima prece singulari affectu complexus est quos ex inimicis amicos, & ex crucifixoribus prævidebat futuros esse discipulos: atque ita cum oraret pro singulis solvens pretium, & instituens nostræ liberationis remedia, quantum ad horum applicationem oravit non pro omnibus Crucifixoribus, sed pro illis solum, qui erant prædestinati: atque his specialiter profuit sanguis Christi, & mors ipsius profuit; quemadmodum declarat iisdem locis S. Pater, Prosper ad ob. Gallorum, & S. Thomas 3. p. q. XXI. art. ad 2. ubi etiam demonstrat omnem orationem Christi fuisse exauditam, omnemque voluntatem ipsius cum ratione conjunctam fuisse adimpletam.

15. Objectio quinta tollitur.

Tandem objiciunt. Eatenus Christus pro omnibus mortuus est, quatenus voluntate rationis voluit una cum Patre omnes homines salvos fieri. At hæc voluntas non spicit omnes, ac singulos homines. Primo quoniam in Schola Augustini Apostolica sententia, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, accipienda est de generibus singulorum. Deinde quia hæc voluntas juxta Antiquorum placitum est in Deo duntaxat metaphorice. Rursus quia non conferuntur omnibus auxilia sufficientia ad salutem, quamquam id communiter docent illius voluntatis antecedentis propugnatores. Ulterius quoniam nequit intelligi quomodo Christus sit universorum Redemptor nisi vel quantum ad sufficientiam pretii, vel quantum ad applicationem. Primum non negat Jansenius, alterum vero juxta dicta hactenus, videtur a veritate alienum. Aut ergo subscribendum Jansenio: aut repudianda Augustiniana dogmata probando placita Molinistarum de Redemptione æquali affectu pro hominibus universus peracta.

Resp. hæc omnia priori, eodemque responso dispelli. Ad primum fateor eamdem esse de voluntate antecedenti, & de morte Christi rationem; sed voluntas illa antecedens connotat sententia nostra institutionem remedii, pretii oblationem, redemptionis virtutem; non distributionem & applicationem beneficiorum, & passionis Christi effecta, atque munera, quæ sint etiam extraneis communia. Verissimum est ergo Apostolicam sententiam accipiendam esse cum Augustino pro generibus singulorum, non pro singulis generum, si loquamur de largitione gratiarum, & præsertim de dono finalis perseverantiæ, quod Semipelagiani omnibus asserebant esse commune. At hæc largitio non spectat ad universalem Redemptionem, sed ad illius, ut inquit ad 1. Ob. Vincentianam beatus Prosper, *proprietatem*. Similis est ad id, quod sequitur, responsio: nam voluntas antecedens est in Deo metaphorice, si comparetur ad actualem con-

consecutionem salutis, & Redemptionis proprietatem : sincera est autem & vera, & etiam effectum suum consecuta ut refertur ad unam causam humani generis à Domino in veritate susceptam, ad effusionem Sanguinis, ad institutionem Ecclesiæ, ad virtutem pretii, ad præparationem remedii, ad vocationem Gentium, & ad efficaciam Sacramentorum. Proximum eandem habet solutionem : siquidem conferre gratiam, aliaque Passionis Christi beneficia non spectat ad rationem universalem Redemptionis, quæ sita est in valore pretii, & institutione remedii, ideoque nec ad voluntatem Dei antecedentem : sed spectat ad applicationem, per quam qui Christo uniuntur poculo immortalitatis sanantur, aut alia à Capite spiritualis vitæ initia, vel incrementa recipiunt; in quo locum habet consequens Dei voluntas. Ad ultimum eandem responsionem adhibeto. Christum pro omnibus mortuum quantum ad sufficientiam pretii, verissimum est, & constat hoc passim affirmari à Patribus, & Theologis: necesse est autem, ut præter sufficientiam pretii ad universalem Redemptionem admittatur hujus pretii exhibitio, & institutio causæ liberationis, qua possint peccata omnia remitti, & à qua sunt penitus alieni quicunque Christo non uniuntur, nec possunt uniri; quales sunt dæmones & damnati : ut supra diximus cum D. Thoma 3. p. q. 8. art. 3. Si enim ad redemptionem sufficeret sola pretii sufficientia, proculdubio etiam damnati & dæmones forent redempti. Eapropter non est eadem causa reproborum viatorum, & diaboli, ut temere, impie, & inscite scripsit Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 21. Illius ergo propositiones, absque præsidio Scholæ Molinistarum, imo & absque subsidio earum reliquarum opinionum, quæ licet probabiles, non sunt tamen ab omnibus communiter receptæ, ita à me refelluntur & profligantur.

CAPUT V.

Demonstratur Romani Pontificis circa Facta Dogmatica definitionem esse firmissimam.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis exponitur.
2. Quid per facta intelligatur.
3. Quid dicendum de factis personalibus.
4. Conclusio Probatur ex Scriptura.
5. Et 6. Confirmatur ex eadem.
7. An à sententia S. Pontificis possit appellari ad Concilia.
8. An id locum habeat in causa Jansenii.
9. Usque ad 18 Probatur Conclusio diversimodè.

1. Status quæstionis exponitur.

EVERTENDA nunc est postrema Jansenistarum, circa Romani Pontificis in definiendis Factis Dogmaticis infallibilitatem, machinatio. Pontificem ipsum, eique tanquam supremo Pastori & Capiti conjunctam Ecclesiam proferre certissimum circa dogmata aut credenda aut rejicienda judicium, negare verbotenus non audent. Est autem Dogma, ut hoc loco accipitur, doctrina vera, vel falsa, fideique Catholicæ conformis sive repugnans, V. G. Est in Deo cum unitate substantiæ Trinitas Personarum, Verbum Patri consubstantiale est, & consimilia, quæ credere ac profiteri tenemur : sive, In Deo est una duntaxat persona, Filius est creatura, & alia hæreticorum asserta, à Catholicis singulis eliminanda & damnanda. Quæstiones autem circa istiusmodi dogmata appellari solent quæstiones juris : atque in his finiendis errare aut Pontificem aut Ecclesiam, nemo unus, nisi Ecclesiæ refractarius, affirmat.

2. Quid per facta intelligatur.

Versatur itaque controversia circa solas quæstiones Facti. Quæstiones hujusmodi sunt, quæ non doctrinam in se, sed ut prolatam ab homine, vel scriptis expressam, attingunt. V. G. an Sabellius negaverit in Deo plures esse personas, an in Scriptis Arii Verbi consubstantialitas impugnetur. Facta istiusmodi alia personalia dicuntur, alia dogmatica. Prioris generis sunt, quæ personam solummodo spectant, nulla facta dogmatis complexione; ut si quæratur, num Sabellius revera blasphemiam illam protulerit, an Arius ipse scripta ediderit adversus Verbi divinitatem. Facta dogmatica appellantur, quæ simul cum dogmate sunt conjuncta : Sit in exemplo, Verbum non est Patri Omousion in sensu verborum Sabelli, Filius non est Patri substantia similis juxta sensum Arianorum, aut Semiarianorum. Itaque in Causa Janseniana possent tres excitari quæstiones. Una, an quinque Propositiones hæresim contineant, & merito damna-

damnatæ sint: Altera, num Jansenius illarum sit auctor, & liber qui inscribitur *Augustinus* sit ab illo conscriptus. Tertia sintne hæ propositiones juremerito proscriptæ in sensu, quem præseferunt in ipso libro Jansenii. Prima est quæstio juris, sive de puro dogmate: altera quæstio facti personalis: postrema quæstio facti dogmatici.

3. Quid dicendum de factis personalibus.

Diximus circa primam quæstionem inter nos convenire. De secunda non agitur, nec Theologi consentire videntur. Complures in quæstionibus facti personalis censent Pontificem posse errare, quoniam hujusmodi quæstiones solent resolvi ex incertis principiis, rumore vulgi, hominum testimonio, & opinione Scriptorum. Hæc mea opinione non satis castigate dicuntur. De hujusmodi enim Factis prudentissimus Ecclesiæ Rector definitive pronunciare non solet. Non enim quidquam Ecclesiæ interest, an libri, cui titulus est *Augustinus*, sit vere Auctor Jansenius, an Sancyranus, an alius quispiam. Sunt facta plura etiam personalia, quæ certissimis argumentis possunt definiri, V. G. *Quinque propositiones excerptas esse ex libro Jansenii.* Id enim non definitur sola hominum relatione, sed examine libri ante omnium oculos positi, & non ignoto, sed notissimo charactere procusi. Sunt ergo facta etiam personalia, in quibus Ecclesiæ judicium est penitus irrefragabile; ut quando damnat hæreticum coram ac palam falsa dogmata profitentem, aut prohibet librum non sanæ, aut pernicioſæ doctrinæ. Et si aliquando animadvertit in aliquem ob indicia non adeo certa; id facit causa prudentissime œconomiæ. Quod si dixeris nullam aliam esse infallibilis judicii regulam, nisi Scripturam & Traditionem, quæ duo in facto personali atque individuo minime intersunt; respondeo: etiam Philosophum certam habere scientiam per ideas rerum & universalia principia, quæ singularia objecta non repræsentant; attamen dum hæc vivido sensu præsentia sunt, mens rationalis ideis illis, vel principiis instructa, absque erroris periculo judicat hunc esse hominem, illum lapidem. Ita Ecclesia universalibus fidei regulis percipit solius dogmatis veritatem; & nihilominus dum audit hæreticum, aut librum legit, vi indefectibilis luminis judicat illum esse damnandum, hunc prohibendum; nec tamen fallitur. Hæc est mea de *personalibus factis* sententia, brevi quidem expositа, sed non obscura, ut arbitror, comparatione. Ad facta dogmatica quod attinet; demonstrandum est, posse Romanum Pontificem absque periculo erroris de iis pronunciare, & definire non solum librum Jansenii continere quinque propositiones hæreticas, sed etiam illas hæreticas esse in sensu Jansenii, scilicet juxta doctrinam ab eo traditam in libro, qui inscribitur *Augustinus*. Et quod dixero de Jansenio, idem omnino tenendum est de Propositionibus Baji, & Quenellii.

4. Conclusio probatur ex Scriptura.

Propositio. Judicium Romani Pontificis de Factis dogmaticis nuper expositis est omnino infallibile.

Demonstratur 1. Ex Scripturis. Petro, ejusque successori Romano Pontifici Jo. xxi. 17. à Christo dictum est, *Pasce oves meas.* Quoniam Pastori cura ovium commissa est; non tantum Pastor debet salutiferas à veneficis herbis secernere, verum etiam arcere gregem à pascuis, ubi germina veneno imbuta nascuntur. Ex quo Romanus Pontifex sit Pastor Ecclesiæ, consensu Jansenistarum, sine erroris periculo distinguit *inter herbam & herbam*, id est, inter dogma Catholicum & dogma hæreticum, ne oves fallaci, & venefica doctrina pascantur. Ergo debet certissimo judicio distinguere inter *pratum & pratum*, ubi herbæ nascuntur, id est, inter libros & libros, in quibus dogmata continentur, & dignoscere ubi salubria inveniantur, ubi autem venenata ac pestifera. Itaque non tantum definiri potest propositionem aliquam in se esse hæreticam, verum etiam esse hæreticam, ut traditur in hoc libro. Imo quemadmodum magis dignoscitur herbarum salubritas & venenum, si advertitur, quibus in pascuis, sylvisque nascuntur: ita melius patescit falsitas aut veritas dogmatis, si attenditur doctrina libri, unde scatet, & germinat.

5. Confirmatur.

Similiter Petro, & Successoribus ejus dictum est Mat. xvi. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, scilicet nec per falsa dogmata hæreticorum, nec per Tyrannorum persecutionem. Ex quo portæ inferi non possint adversus Ecclesiam prævalere falsis dogmatibus, consequens est hujus Ecclesiæ Pastorem in definitione dogmatum falli non posse. Igitur cum prævalere non valeat contra sensum & doctrinam universalis Ecclesiæ doctrina ac sensus privati Scriptoris, sequitur summum Ecclesiæ Rectorem in pronunciando de sensu ejusdem Scriptoris decipi atque errare non posse.

Rur-

6. Ex eadem.

Rursus: Quod olim præscriptum est Israëlitis Deut. XVII. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Illud inquam, præceptum nunc etiam viget: nam, ut perfectum sit Ecclesiæ regimen, debet esse Judex unus, atque supremus. Fuit inter nos olim ambiguum judicium de quinque Jansenii Propositionibus. Disputatum in Galliis, in Belgio, & ubique terrarum, & audivimus *inter portas verba Judicum variari.* Ventum est ad Apostolicam Sedem, & *ad locum, quem elegit Dominus, ad Judicem, qui fuit illo tempore*, ad Innocentium X. neque ad hunc tantum, etiam ad Alexandrum VII. Innoc. XII. & Clementem XI. Hi autem quinque Propositiones damnarunt, & damnatas esse in sensu Jansenii declaraverunt. Igitur *indicarunt judicii veritatem.*

7. An à sententia S. Pontificis possit appellari ad concilia.

Non est quid huic argumento respondeant, nisi Judicem ad hanc controversiam dirimendam esse, non Romanum Pontificem, sed universam Ecclesiam: ideoque non defuere qui in causa Jansenii & Quenellii à sententia Pontificis appellarunt ad futurum Generale Concilium. Sed audacter nimium. Primo enim quorundam sententia de appellatione à sententia Pontificum ad Concilia, & de infallibilitate Romanæ & Apostolicæ Sedis dependenter ab aliorum Episcoporum approbatione, licet tanta animositate tantoque argumentorum apparatu à nonnullis propugnetur, falsissima est, ut alio in loco probabitur. Nam in præsentia sufficit asserere cum Augustino cap. ult. librorum ad Bonifacium, rarissimas extitisse hæreses, propter quas damnandas opus fuerit *congregatione Synodi*: quod confirmatur perantiqua Ecclesiæ consuetudine, cum damnaverint Pelagianam hæresim Innocentius & Zosimus, errores Berengarii Leo IX. Gilbertum Porretanum Eugenius III. atque, ut alios mittam, articulos Baji Pius V. & Urbanus VIII.

8. An id locum habeat in causa Jansenii.

Præterea dato, nunquam tamen concesso, licitam esse istiusmodi appellationem, ea locum non habet in causa Jansenii, aut Quenellii. Quando enim major Ecclesiasticorum pars subscribit decretis Pontificum, etiamsi nonnulli repugnent, etiam juxta recentiorum Gallorum doctrinam nobis, quod ad hanc materiam attinet, adversantem, locus non est hujusmodi appellationibus. Alias nullius hæresis causa finita esset, cum nulli hæresi defuerint patroni & pervicacissimi defensores: quorum tamen non obstante repugnantia, quis non dixerit aut Arianorum, aut Donatistarum, aut Pelagianorum, aut aliorum hæreticorum dogmata fuisse proscripta concordissima Ecclesiæ Catholicæ auctoritate? Atqui judicium Romani Pontificis de Baji, Jansenii, & Quenellii assertionibus, si paucos refractarios excipias, ab universa Ecclesia receptum est, ut diximus primo capite hujus Dissertationis. Ergo dato etiam, & non concesso, quod fas esset à definitione Pontificis appellare ad Concilium, id nequaquam licitum est Jansenistis: atque, ut Augustinus scribit loco nuper laudato, audacter *istorum superbia . . . . hanc gloriam captare intelligitur, ut propter illas Orientis & Occidentis Synodus congregetur.*

9. Probatur conclusio à praxi.

Ut modo ad propositionem nostram revertatur oratio, Pontificem, nec non Concilia ab ipso approbata, in definiendis Factis dogmaticis nunquam falli, demonstratur secundo ex praxi vetustissima, qua in damnatione hæresum simul damnati sunt illarum auctores, nunquam quæstione facti à quæstione juris distincta. Etenim in Concilio Ephesino Sess. 1. art. 4. legimus, *Anathematizamus omnes hæreses Arii, Eunomii, & Nestorii, & eorum qui dicunt carnem Christi fuisse è Cælo.* Concilium Constantinopolitanum primum præcepit Theodoreto non solum ut doctrinam Nestorii, verum etiam ut Nestorium ipsum damnaret, feriens eodem anathemate ejusdem Nestorii dogmata, epistolas, & personam. Martinus V. in Synodo Constantiensi sess. ultima præcepit, ut omnes non tantum profiteantur jure, ac rite damnatas fuisse hæreses Joannis Us, Wicleffi, & Hieronymi de Praga, sed horum quoque personas, libros, & documenta. Sunt autem in Historia Ecclesiastica exempla id genus innumera. Igitur Ecclesia non solum propositiones, & dogmata, sed etiam personas, libros-que condemnat.

10. Probatur id à simili.

Insuper probatur thesis nostra factis Dogmaticis Janseniano, & Quenelliano simillimis. 1. An *in tribus Capitulis*, id est in scriptis Theodori Mopsuesteni, Theodoreti adversus Anathematismos Cyril-

Cyrilli, & in Epistolæ Ibæ ad Marim Persam contineatur Nestoriana hæresis, quæstio facti Dogmatici est, & tanta contentione agitata, ut non solum adversarios haberet Episcopos plurimos, verum etiam diu Vigilius Papa sententiam dicere detrectaverit, veritus ne fraude Origenistarum elevaretur Synodi Chalcedonensis auctoritas; & nihilominus tria illa Capitula damnata sunt à V. Synodo can. 12. 13. & 14. ab ipso Vigilio in *Judicato* anni 548. & in Epistola ad Eutychium Archiepiscopum Constantinopoleos, in qua etiam quintam Synodum approbavit, atque à Pelagio successore Vigilii, & Joanne III. ut in Dissert. de V. Synodo demonstrat Eruditissimus Cardinalis Norisius. Neque trium Capitulorum damnatio personas auctorum directe spectat, (excipe Theodorum Mopsuestenum) sed textum, doctrinamque eorundem, uti colligitur ex verbis prædictorum canonum, probatque in suo Documento Pastorali P. 4. cap. x. Illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis. Potest ergo ratione consimili tam Pontifex, quam Generale Concilium pronuntiare certum firmissimumque judicium de propositionibus Jansenianis, etiam ut in textu scriptorum Jansenii verbis aut expressis, aut æquivalentibus comprehenduntur.

11. Probatur ulteriùs à simili.

Secundo, ut ex multis alterum producam exemplum; in Synodo Lateranensi celebrata anno 649. damnati sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, aliique Monothelitæ, *ex temerariis ipsorum scriptis juxta Apostolicam sententiam, Ex ore tuo te judico, &, Ex verbis tuis Justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* quemadmodum Maximus Aquilejensis exoraverat summum Pontificem Martinum I. Ibique canone XVIII. anathemate percussi sunt nefandissimi hæretici, *cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem.* Et si plura exempla desideras, vide citatum Documentum Ducis, & Præsulis Cameracensis, Honoratum Tournely de Ecclesia q. v. art. 3. atque ut domesticum Scriptorem aliquem proponam, eximium virum Joannem Laurentium Czepanski in Controversiis de Ecclesiæ Regimine.

12. Probatur ratione Primò.

Ulterius demonstratur propositio rationibus Theologicis. Quarum sit I. Romanus Pontifex infallibilis est in Canonizatione Sanctorum. At sicuti quæstio Dogmatica est, propositionem aliquam esse hæreticam; factum vero dogmaticum, hæresim hujus propositionis contineri in hoc libro; ita dogma est viros eximiæ virtutis post mortem cultu & veneratione dignos esse, factum autem, eximiam virtutem in hoc uno splendescere. Si ergo in Canonizatione Sanctorum Pontificem credis esse infallibilem, quare titibuas, eundem falli in definiendâ doctrina hujus libri? Quod si dixeris, nec in Sanctorum Canonizatione Pontificem infallibilem esse; aliorum, nostraque confutatione alibi revinceris. Si autem reponas in Sanctorum Apotheosi haberi testimonium miraculorum, quæ cum patrari non valeant nisi divina virtute, certissimum exhibent veritatis argumentum; valet adhuc nostra ratiocinatio. Nam si dogma est, opus divina virtute patratum esse veræ fidei, & virtutibus conjunctum etiam sanctitatis confirmationem: quod hoc individuum opus sit factum suprema virtute, spectat ad *Factum.* At in Canonizatione Sanctorum Pontifex definit hoc individuum opus patratum esse sola virtute Dei. Ergo definit quod spectat ad *Factum.*

13. Secundò.

Sit ratiocinatio altera. Texus, qui continetur in Canone aliquo, E. G. in quarto sessionis sextæ Tridentini Concilii, est Dogmaticus, quoniam proponit doctrinam de Gratia & libertate. Igitur textus libri Jansenii pertractantis de libertate & de gratia erit consimili ratione Dogmaticus. Atqui impium, horrendumque est asserere posse Ecclesiam falli in consecranda doctrina quæ continetur textu illius Canonis: Ergo execrabilis pariter error est affirmare, quod Ecclesia possit errare in condemnanda doctrina, quam textus hujus libri complectitur. Futilis autem, & prorsus inepta est responsio Jansenianorum, quod ille textus sit brevior, iste longior & implexus. Nam primò hic quoque textus fusus ac perdifficilis de gratia & libertate pertractat: est ergo dogmaticus. Deinde librorum Augustini contra Pelagianos textus nonne est longior Jansemiano, & tamen Jansenistæ fatentur illum fuisse ab Ecclesia jure, & rite probatum? Præterea sensus Jansenianioperis sine ulla ambiguitate percipitur ex paucis verbis librorum de Grat. Christi, ubi statuit systema victricis delectationis tollentis libertatem, ut demonstravi cap. 1. Scripsisset itaque Jansenius longe ampliora volumina; non possent quinque propositiones millenis aliis operiri.

14. Tertiò.

Accedit tertia ratio. Ideo Jansenianinolunt fateri propositiones recte fuisse damnatas in sensu Auctoris, quoniam contendunt talem esse sensum Augustini, ideoque Constitutiones editas contra

tra Janſenium & Quenellum contrarias eſſe definitionibus Pontificum, qui probarunt S. P. Auguſtini de Gratia doctrinam. Si revera contrariæ forent, quod vidimus eſſe à veritate alienum, verſarentur circa eandem materiam, alioqui nulla eſſet hujusmodi contradictio. In rebus igitur ad eandem materiam ſpectantibus Janſeniſtæ volunt Eccleſiam fallibilem, atque infallibilem. Infallibilem in approbatione doctrinæ Auguſtini: fallibilem in condemnatione doctrinæ Janſenii. Quorſum hæc monſtra, & pugnantium animorum levitas, atque inconſtantia? Plura hujus generis argumenta vide apud noſtrum Paludanum prima parte Apologiæ cap. x. & ſequentibus.

15. Quartò. Quarta ratio eſt hujusmodi. Librum à Spiritu Sancto veritatem inſpirante dictatum eſſe divinæ auctoritatis, & recipiendum in Canone, eſt dogma fidei; hunc librum, E. G. Judith, aut Sapientiæ, aut alium ſimilem afflante Spiritu Sancto fuiſſe conſcriptum, eſt quæſtio Facti dogmatici. Si in hujusmodi definienda quæſtione Chriſti Eccleſia errori quandoque ſubjicitur; quomodo Gelaſius Papa in Cap. *Sancta Romana*, quomodo Tridentini PP. Seſſ. IV. præfatos libros decernunt eſſe Canonicos, neque de hujusmodi definitione muſſitat ullus Catholicorum? Reſpondebunt Janſeniſtæ decreta iſtiusmodi firmari Veterum Patrum traditione. Bene habet. Veteres autem unde hos libros acceperunt eſſe divinos? Profecto ab Apoſtolis. Hi vero unde? Certe Spiritu Sancti aſſiſtentia donati & libros veteris Teſtamenti à Synagoga receptos, & aliquos qui non ſunt in canone Hebræorum, & plures novi Teſtamenti tunc temporis editos, & hos quidem ſine majorum traditione, tanquam divinæ auctoritatis receperunt. Inſuper nego non eſſe Traditionem in Eccleſia, qua poſſit judicari de ſenſu libri Janſenii. Eſt perantiqua traditio, & divinarum quoque Scripturarum auctoritas, dari liberum arbitrium: hujusque traditionis intelligentiam certiſſimam habet Rector univerſalis Eccleſiæ. Vi autem hujus intelligentiæ, oblato ſibi libro Janſenii, poteſt irrefragabili judicio pronunciare ſparſam in ipſo libro doctrinam eſſe libero arbitrio contrariam.

16. Quintò. Sequitur quinta ratio. Eccleſia damnare poteſt aliquam propoſitionem eoquod ex verbis ipſius poteſt judicium ferre an obvius illius propoſitionis ſenſus ſit falſus. Sed etiam judicare poteſt de doctrina alicujus libri ex verbis, ac textu ipſius. Igitur poteſt Eccleſia damnare etiam alicujus libri doctrinam.

Poſtrema ratio moralis eſt hujusmodi. Eſt neceſſaria diſciplinæ, & regimini Eccleſiæ divini Spiritus aſſiſtentia tam in damnando novo aliquo dogmate, quam in expendendo, & qualificando ſcripto, ex quo illud derivamus. Nam occaſio ſubverſionis & ſcandali, quæ præberetur fidelibus, ſi Eccleſia propoſitionem falſam definiret ut veram, exhiberetur etiam, ſi hæreticum librum tanquam catholicum approbaret. Itaque ſi Janſeniani fatentur irrefragabile eſſe pronunciatum Eccleſiæ circa aliquam propoſitionem veram aut falſam; & illud fateantur, neceſſe eſt, non decipi Magiſterium Eccleſiæ circa doctrinam librorum, ex quibus propoſitum dogma deducitur.

17. Probatur ratione extrinſeca. His argumentationibus ex Scripturis, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ex ratione depromptis duas alias extrinſecas ſuperaddo, unam ex doctrina Cleri Gallicani, & alteram ex ſcriptis ipſorum Janſeniſtarum. Obortis enim in Sorbona circa Propoſitiones Janſenii diſſidiis, Synodus Pariſienſis anno 1650. Epiſtolam ad Innoc. X. ſubſcriptam ab Epiſcopis LXXXV. dedit, in qua hæc leguntur: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retinere pro jure ſuo poſtulat.* Infra: *Experta eſt nuper Beatitudo tua, quantum Apoſtolicæ Sedis in Gemini Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt.* Item: *Flagitamus Beatiſſime Pater, ut clara firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, caliginem omnem diſcutias, animos fluctantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas.* Hæc eſt Cleri Gallicani ante damnationem propoſitionum Janſenii erga Apoſtolicam Sedem obſervantia.

Damnatis per Innocentium quinque Propoſitionibus, quanto plauſu ſummi Pontificis conſtitutio in Galliis fuerit recepta, commonſtrat Epiſtola XXX. Epiſcoporum ad eundem Innoc. data die 15. Junii an. 1653. In qua gratulantur accidiſſe, *ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppo-*

oppositam Innocentius X. auctoritate sua proscripserit.

Hactenus videri potest quæstionem in solo dogmate versari. Veruntamen ubi post Innocentii decretum Jansenistæ spargere cœperunt quinque propositiones in sensu Auctoris non fuisse proscriptas; Clerus Gallicanus die 28. Martii anno 1654. iterum hæc ad Pontificem conscripsit: *Nos in hac Urbe Parisiensi congregati censuimus, & per Epistolam Encyclicam his literis adjunctam declaravimus, Propositiones illas & opiniones esse Cornelii Jansenii à Sanctitate vestra damnatas disertis & manifestis verbis. Quam enim auctor ille usurpatione privata novam doctrinam sub specie veteris inducebat, necessum fuit ut Apostolica Sedes judicio lato ex publica & antiqua traditione refelleret.* Rursus tentantibus Jansenistis Innocentii Rescriptum eludere facta distinctione quæstionis juris & facti, Galliarum Antistites Synodali Epistola Alexandrum VII. Successorem Innocentii anno 1656. certiorem reddiderunt, declarantes se firmissime credere, *Doctrinam Jansenii, quam opere suo ille explicavit in propositionum confixarum materia, Pontificia Constitutione fuisse damnatam.* Id vero postquam Alexander absque ulla ambiguitate Kalendis Novembris ejusdem anni definivit, quanta reverentia Galliarum Præsules Pontificiam Constitutionem susceperint, constat ex iteratis Epistolis ad eundem Pontificem, atque ex Synodalibus Comitiis anni 1661. & 1675. Quæ omnia, cum legi possint eruditis notationibus illustrata in Controv. 17. memorati P. Joannis Laurentii Czepanski, nec non postrema Parte Documenti Pastoralis Archiepiscopi Cameracensis, nos brevissima narratione complectebamur.

18. Probatur ex confessione propria.

Tandem confessione suorum Jansenini revincuntur. Ipse Jansenius extremis Tabulis de Opere suo hæc protulit: *Si Romana Sedes aliquid mutare voluerit, sum obediens filius*; atque cap. 29. libri Proemialis scripserat: *Mihi constitutum erat, eandem quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducem sequi Romanam Ecclesiam, & beatissimi Petri in Romana Sede Successorem. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque cum illo non colligit, spargit, apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab ista Petri cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.* Sequantur ergo Jansenistæ Romanam Ecclesiam non solum dogmatum, sed etiam sensuum suorum judicium proferentem: atque ne dispergant, dum volunt colligere, quidquid ipsa improbat, improbent, & anathemate damnent quidquid damnat.

Antonius Arnaldus fatetur quædam esse *Facta, quæ spectant ad Traditionem, nullo pacto conjuncta cum illo pronunciato Theologorum, qui volunt Ecclesiam non esse in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo.* Idem scribit Vallonius, & Defensor *Silentii obsequiosi*, aliique sectæ homines, apud Ill. Archiepiscopum Cameracensem P. 1. & 3. Verum est, quod negant id de Facto Jansenio valere. At è suismet positionibus refutantur. Docent enim facta quædam absque erroris periculo dijudicari, quoniam *dici plane & omnino non potest hujusmodi facta non esse revelata*, cum habent cum perpetua Traditione vinculum connexionis. Sed, ut paulo ante dicebam, est in Ecclesia derivata à Patribus traditio circa libertatem & gratiam, à qua Traditione num deflectat sensus Jansenii optime debet percipere Magistra veritatis Ecclesia. Igitur in dijudicando Facto Jansenio erit ab omni periculo Apostolica Sedes immunis.

CAPUT VI.

Ad ea, quæ objiciunt Jansenistæ, responsio.

SUMMARIUM.

1. Usque ad 9. solvuntur variæ objectiones. 10. Stabilitur prior conclusio.

1. Objectio prima solvitur.

STRUUNT nunc aciem, ut evertant superius dogma, Sectarii. Ac primo texunt catalogum Scriptorum, qui affirmarunt judicium Pontificis in dirimendis quæstionibus facti esse obnoxium periculo erroris. Quod tradunt Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 46. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice

fice cap. 12. Petavius lib. 1. de Pœnitentia publica cap. 1. & alii Scriptores innumeri. Verum respondendum est, opinionem istorum veram tantummodo esse in quæstionibus facti personalis; neque in omnibus, sed in iis duntaxat, in quibus crimen aut error alicui personæ tribuitur ex sola hominum relatione, quemadmodum in damnando latrone è sola depositione testium posset errare Judex. At plura sunt facta, etiam personalia, quæ cum certis indiciis dignoscantur, non solum infallibilitatem fidei habere possunt, sed etiam naturalem evidentiam, ut dum attente perlegens librum aliquem, in eo video propositionem expresse conscriptam, quemadmodum habet judex evidentiam de homicidio latronis, si viderit perspicue illum infligere vulnera, & hominem interficere. Ita neque in hac quæstione facti, *An quinque propositiones sint in Jansenio*, dici potest Ecclesiam errasse, cum librum viderit, legerit, assiduoque examine cribraverit. Quamquam huic definitioni, *Propositiones istæ in sensu, quem habent, damnato, excerptæ sunt è libro Jansenii*, non assentimur assensu naturali, sed fidei, ob hæreticum sensum singulis hærentem; quem talem esse definit Ecclesia non ex verbis expressis, aut æquivalentibus, sed ex dogmate in talium verborum significatione contento: id est, quia ex libro illo derivatæ creduntur, non tantum quoad verba, sed etiam, & præcipue quoad sensum verbis singularum propositionum expressum. Ad summum ergo posset errare Ecclesia in facto tantum historico: quale foret, hunc librum E. G. revera fuisse à Cornelio Jansenio conscriptum; id vero prudentissime supponit ex nomine quod præfert Auctoris, ex hominum consensu, ex Jansenistarum ipsorum confessione.

2. Objicitur 2. Rejicitur.

Reponunt Jansenistæ. At Innocentius X. & Alexander VII. quinque propositiones damnarunt ex sola relatione quorundam Episcoporum Galliæ. Est ergo hæc quæstio facti, in qua potuit Ecclesia in errore versari. = Respondemus splendidissime Jansenianos mentiri; nam post consultationem Episcoporum Galliæ, adhibitam Romæ diligentiam, qua major desiderari non poterat, librosque Jansenii maturo examine fuisse lustratos, manifestum est ipsorum Romanorum Pontificum testimonio, & rerum gestarum narratione in priori capite hujus disputationis præmissa.

3. Objectio 3. Refutatur.

Inquiunt, longiorem esse librorum Jansenii textum, nec videri verisimile Pontifices hujus Scriptoris mentem penitus fuisse scrutatos. Verum hæc sunt triplici responsione jam confracta & illisa. I. quia non plura scripsit Jansenius magno Protoparente Augustino, cujus de gratia doctrinam Romana tenet Ecclesia. II. quia sensus Jansenii sua sponte ex iis, quæ docet de superiori delectatione injiciente vinculum libertati, evidentissime erumpit. III. quia per biennium selecti Theologi universum Jansenii Opus accurate versarunt: neque ad omnia illius Auctoris placita directe spectat animadversio Censuræ, sed ad quinque positiones obvias, certisque capitibus coarctatas.

4. Objectio 4. Repellitur.

Contendunt insuper Jansenii gregales illius sensum non aliunde disquirendum, nisi ex rigidissimis regulis ac præceptionibus artis criticæ. Respondemus autem bellam hanc esse lusionem. Ars enim Critica tradit quasdam regulas ad dijudicandum germanitatem, ætatemque Scriptorum, quæ disciplinarum sunt instrumenta; & nihil valet ad pronunciandum de Scriptorum illorum veritate, doctrina, & orthodoxia. Sic regulis Criticis, nempe ponderatione styli, notarum chronologicarum, contextuum, formæ disputationis, Synchronorum Auctorum, inquiro num Pœmander sit genuinum opus Mercurii, an prodierit primis Christianis sæculis, an Dionysio Areopagitæ libri de Divinis Nominibus sint accensendi, num Augustinus aut Gennadius scripserit Opus de Ecclesiasticis Dogmatibus, an Inscriptio hujus Numismatis, aut lapidis his aut illis Consulibus quadret, & consimilia plurima. Id vero quid, ut judicium feras an in Opere Mercurii sit Catholica de Trinitate Doctrina, sive in libris Dionysii tradatur Verbi Divinitas, sive in eo, qui inscribitur de Theologicis Dogmatibus extent vestigia Pelagianismi, sive in hoc ære vel marmore sint aureæ latinitatis vocabula? Hoc te non Critica docet, sed vel dogmatum scientia, vel ars disputandi, vel grammatica, vel alia demum facultas, ad quam inquisitio illa pertinet. Ergo ex præceptionibus Criticis, v. g. ex collatione *Martis Gallici*, disquires num Jansenius scripserit librum, *Augustinus*: ex Epistolis agnosces an Bajonæ editus, an limatus Ypri. Doctrinam ab eruditione Theologorum, & Orthodoxiam à judicio Apostolicæ Sedis perquiras, necessum est.

5. Objectio 5ta reprimitur.

Persistunt objectare Janseniani distinctionem duplicis Facti, quorum unum dicatur Personale, aliud Dogmaticum commentationem esse recentiorum Scholasticorum, atque antiquioribus Theologis incompertam. Respondemus ex adverso, primum hanc distinctionem non esse adeo novam, ut jactitant, cum in terminis tradatur etiam à Clero Gallicano in libro, cui titulus *Relationes des Deliberations du Clerge de France*, ante plures annos conscripto. Dicimus præterea, quod etsi hæc distinctio sub iis verbis non inveniatur in Antiquorum lucubrationibus, frequentissima est tamen, si rei significatio attendatur, eo-quod non tantum dogmata, sed etiam hæreticorum libri, librorumque doctrina quovis Ecclesiæ sæculo proscripta fuerint. Addimus, omnes hæreses quasdam intulisse quæstiones, quibus diligentius Catholica Fides defenditur; ac talem esse quæstionem de Factis dogmaticis.

6. Objectio 6ta tollitur.

Affirmant Jansenistæ, Factum, de quo controvertitur esse factum quoddam decimi septimi sæculi, nullatenus dirimendum per vetusta Ecclesiasticorum dogmatum traditione. = In promptu autem responsio est, novum quidem esse factum istud, si spectetur scriptio libri, & propositionum enunciatio, quo sensu nova fuit quælibet hæresis cum primum cœpit vulgari. Non est autem novum comparate ad doctrinam Fidei, cum repugnet dogmatibus perpetuo in Ecclesia explicite, aut saltem implicite creditis.

7. Objectio 7. refellitur.

Producunt exemplum Vigilii Papæ, qui olim tria *Capitula* decretorio judicio probavit, quæ postea damnavit quinta Synodus: ideoque aut judicium Vigilii, aut Judicium quintæ Synodi circa Factum Dogmaticum falsum erit. = At istud argumentum contra Jansenistas retorquetur. Enimvero, ut diximus, judicium à V. Synodo, & à Romano Pontifice de tribus *Capitulis* prolatum est omnino irrefragabile & firmissimum, & tamen versatur circa Factum Dogmaticum. Igitur neque Synodus Oecumenica approbata à Pontifice, neque ipse Pontifex errori unquam subjicitur in dirimendis Factis Dogmaticis. Jam vero quod asserunt Vigilium Papam tria *Capitula* approbasse, falsum est penitus. Concilium Chalcedonense in suas Sedes restituerat Theodoretum atque Ibam, posteaquam impium Nestorium damnaverant; neque in ea Synodo dogmatice tria *Capitula* discussa sunt. Cum ergo de trium *Capitulorum* damnatione ageretur, Vigilius Papa veritus ne contra definitionem Chalcedonensis Concilii è suis Sedibus Theodoretus exturbaretur, haud ignorans inimicorum ejus machinamenta, prudentissime obstitit: & cum anno 548. scripsit *Judicatum*, & tria *Capitula* damnavit, adjecit clausulam, *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis.* Ob eandem causam die 14. Maji anno 553. damnatis à V. Synodo Tribus *Capitulis*, timens aliquid fuisse innovatum in Causa Theodoreti, & Ibæ, quos Synodus Chalcedonensis pristina decoraverat dignitate, edidit adversus Quintam Synodum *Constitutum.* Cæterum ubi Vigilio compertum est, nullum à Synodo V. anathema pronunciatum contra Personas Theodoreti & Ibæ, sed tantum adversus istorum scripta; solus enim Theodorus Mopsuestenus duodecimo Synodi anathematismo cum suis scriptis damnatur: Vigilius Synodum, simulque trium *Capitulorum* condemnationem firmavit. Animadvertas hoc loco, magna fraude Apologistas Jansenii scribere eandem causam fuisse Theodori, & duorum aliorum Episcoporum, ut inferant Theodoretum & Ibam à Synodo Chalcedonensi absolutos, & à V. Synodo fuisse damnatos. Est enim una, eademque Causa in quantum spectat ad doctrinam trium *Capitulorum*, non quantum attinet ad trium Episcoporum personas.

8. Objectio 8va declaratur.

Rursus opponunt Jansenistæ factum Honorii, quod potest hac, vel consimili argumentationis forma proponi. Habemus judicium Ecclesiæ in quæstione Facti Dogmatici Jansenio similimi fallax & erroneum in Causa Honorii, quem Sexta Synodus tanquam Monothelitam damnavit, non ex aliquorum relatione, sed ex Epistolis ejusdem Honorii ad Sergium. Etenim quemadmodum olim instituta fuit quæstio, an hæresis asserentium unam in Christo voluntatem contineretur in Epistolis Honorii; ita nunc controvertitur an sensus hæreticus quinque propositionum contineatur in libro Jansenii. At in priori quæstione falsum judicium protulit Synodus Oecumenica. Potuit ergo similiter falli in hac de facto Jansenio quæstione Romanus Pontifex.

Respondeo quæstionem de anathemate dicto adversus Honorium perplexam esse, nullatenus tamen suffragari Jansenii Apologistis. Onuphrius Panvinius, Baronius, Severinus Binius, & alii permulti arbitrantur Acta Sextæ Synodi fuisse falsata, nec levi ducti ratione, sed argu-

argumentationibus plurimis in libris de Incarnatione proponendis. Dilabitur, juxta horum ſententiam, prædicta argumentatio: neque enim verum eſt Sextam Synodum dixiſſe anathema Honorio, quod narrare nequaquam prætermiſiſſent Theophanes & Gregorius Monachus Græcus, qui ex autographis voluminibus geſta in hac Synodo literis conſignantes Honorii damnationis non meminerunt. Cenſent alii damnatum à Sexta Synodo Honorium, non quod hæreſim Monothelitarum in Epiſtolis ad Sergium docuerit, ſed quod hæreſi illi quodammodo indulſerit, non ſatis prudens in fovenda familiaritate cum Sergio, neque in oppugnanda hæreſi nimis ſolicitus. Atque in hac pariter ſententia argumentatio illa exareſcit. Poteſt enim probari igenua fides Honorii, tametſi non probetur Oeconomia. Nonnulli cum Turrecremata lib. 2. de Eccl. cap. 93. putant Concilium revera erraſſe in quæſtione facti: ſed neque hæc reſponſio juvat Janſeniſtas; quoniam eo loco Turrecremata ſcribit, ideo Patres fuiſſe deceptos, quoniam de Honorio judicarunt, non ex ejus Epiſtolis (in quarum una de duplici in Chriſto voluntate altum habetur ſilentium, in altera Honorius Sergium tantummdo hortatur, ut devitet vocabuli novitatem; & conſequenter neque una, neque altera Epiſtola poterat ſenſum Honorii demonſtrare) ſed pronunciarunt judicium *ex falſa informatione, & ex falſis rumoribus.* Unde ad ſummum ſequitur potuiſſe Eccleſiam errare in definienda Facti Janſenii quæſtione, ſi rigidiori Cenſura judicium pronunciaſſet ex ſola quorundam Epiſcoporum relatione; quo in caſu Factum diceretur hiſtoricum, non Dogmaticum. Petititdier ſcribit quæſtionem Honorii ad hanc minime pertinere, quoniam Honorii Epiſtolæ non continent judicium Pontificis definientis ex Cathedra, & docentis univerſalem Eccleſiam; ſed commonentis tantum Conſtantinopolitanos præſules. Judicium vero de propoſitionibus Janſenianis, definitivum eſſe, publicum, univerſale, & Apoſtolicis Cenſuris communitum, nullus ignorat. Noſter demum Deſirant in *Honorio Vindicato* probat judicium Sextæ Synodi ferire Epiſtolas Honorii male in Græcam linguam translatas, non latinum exemplar; ſed de Honorio alibi.

9. Objectio 9. declaratur. Adhuc Janſeniſtæ argumentantur. Hæc enunciatio: *Quinque propoſitiones hæreſim continentes damnatæ ſunt in ſenſu Janſenii*, æquivalet his duabus, *Quinque propoſitiones hæreſim continent*, &, *Quinque propoſitiones ſunt in libro Janſenii*: quarum prima eſt purum dogma, altera purum factum. Igitur judicium de hac poſtrema ambiguum & incertum eſt, etiam prout primæ conjungitur; quidquid enim de ſe eſt dubium, ubicunque ponitur, dubium incertumque eſt. = Reſp. nego conſequentiam; primo quia etiam de puro facto, quod non pendet à ſola hominum conſultatione & relatione, quale eſt in hoc libro, quem omnes videre ac legere poſſunt, contineri hæreticam aliquam propoſitionem, ex meâ ſententiâ Pontificis judicium irrefragabile & invictum, præſertim ſi Fidelibus proponatur credendum, & juramento confirmandum. Deinde licet hæc propſitio, *Quinque illi articuli extant in libro Janſenii*, ſolitarie & diviſim accepta non eſſet objectum certæ & invariabilis definitionis; eſt tamen, ſi cum priori, id eſt, cum dogmate conjungitur. Nam ſi dixero, E. G. *Chriſtus non eſt Deus & homo juxta ſenſum Neſtorii*, hæc ſane enunciatio æquivalet duabus, *Chriſtus non eſt Deus & homo*, & *Chriſtum eſſe Deum & hominem docuit Neſtorius.* At quoniam prima Propoſitio eſt dogma fidei ſecundum impiam doctrinam Neſtorii, non debet utraque accipi ſolitarie, ſed conjunctim; atque hoc pacto accepta redolet dogma firmiſſime Apoſtolica auctoritate damnatum. Atque ex dictis reliqua omnia Janſenianorum objecta in nihilum recidunt.

Conclusio.

10. Stabilitur prior Concluſio. Poſtrema hac diſſertatione univerſa Janſenianæ Hæreſeos machina evertitur. Prolatas à Janſenio quinque Propoſitiones, prædamnatas ab Auguſtino, digna Cenſura proſcriptas, ac ſuprema auctoritate anathematizatas, quantum patiebatur ingenium, otiumque noſtrum, demonſtrare curavimus. Neque eſt, cur moremur ſtudentium juvenum progreſſionem refellendo etiam defenſores *obſequioſi ſilentii*; eos ſcilicet, qui *Formulario* ſubſcribunt ſimulatione & hypocriſi, interiori animo à Janſenii ſenſu non alieni. Hi quippe errorem obtendunt ſola fallaci opinione, quod Eccleſia in quæſtione Facti Janſeniani dirimenda potuerit errare. Id verum non eſſe hactenus commonſtravimus. Sed, etiamſi hac in re Apoſtolica Sedes obnoxia eſſet errori, quod ab omnium mente avertat Spiritus veritatis, non eſt quomodo homines iſti excuſare ſe valeant. In *Formulario* exhibentur quinque propoſitiones, ut excerptæ ex libro, cui titulus

Augu-

Augustinus, & damnatæ in sensu ab Auctore intento, absque ulla ambiguitate verborum; ita ut mendacissime profiteatur obedientiam Ecclesiæ quisquis hoc idem jurejurando confirmare detrectat. Sed & se ipsos obstringunt gravissimo perjurii crimine: quoniam Alexander VII. veram, ac totalem obedientiam se velle declaravit, nec aliquam tam in gravi negotio exceptionem seu restrictionem unquam admissurum: uti testatur in Bulla *Vinea Domini* data anno 1705. Clemens XI. Si autem hunc in exponenda Prædecessoris sui mente, vel in damnanda hac nova jurandi methodo, similiter errasse autumabunt; videant se Pastori universalis Ecclesiæ hoc etiam denegare, quod definire valeat quale sit licitum, & quale illicitum Juramentum. Si autem hoc non audeant asserere; abstineant prorsus à Juramento, quod Pontifex perniciosum, & impium esse declarat. Nec Pontifex tantum, sed & Theologi prorsus omnes; necnon è Secta Janseniana quamplurimi, qui cæteris perjurii crimen objiciunt. Nescio tamen, an istorum pervicacia illorum superet impietatem. Meminerint scriptum in lege Domini, Exodi xx. 7. *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*: quod & Gentes tanquam Deorum Oraculum apud Herodotum servaverunt:

Ἀλλ' ὅρκε πῶς ἐσιν ἀνώνυμος, ἀδ ἔπι χεῖρες,
Οὐδέ ποδες. κραπνῶς δὲ μετέρχεται εἰσόκε πασαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν, ἠ οἶκον ἅπαντα.

Id est,

At Juramento quædam est sine nomine proles,
Trunca manus, & trunca pedes; tamen impete magno
Advenit, atque omnem vastat stirpemque, domumque.

Legant & Zachariæ Prophetiam cap. v. vers. 3. & 4. Ego namque ut librum ad extrema perducam, & novissima conferam primis, hæc, aliaque scripta omnia Romanæ Ecclesiæ Pastori & Capiti omnino subjiciens Pelagianam, Semipelagianam, Lutheranam, Calvinianam, & Jansenianam hæresim, cæterasque omnes damno atque anathematizo, non *obsequioso* Jansenistarum silentio, sed manifesta confessione, sincero corde, ac simplicissimo, apertissimo, purissimoque jurejurando.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DECIMUS OCTAVUS

Complectens Scholastica Commentaria in quædam Epigrammata divi Prosperi circa divinorum Auxiliorum ad singula bona Opera necessitatem.

Ratio Ordinis.

HÆRESIBUS adversus Christi Gratiam, & humani arbitrii libertatem, quantum institutui nostri ratio postulabat, hactenus refutatis, progredimur ad illas quæstiones resolvendas, quibus exerceri solent disputantium Scholasticorum ingenia, & quæ præsertim spectant ad ejusdem Gratiæ necessitatem. Occurrunt quippe in his quæstionibus difficilia quædam, & scitu summopere necessaria, circa officia moralium virtutum, infidelium opera, observationem præceptorum, & tentationum victoriam: quæ ita à nobis sunt propugnanda, ut continuo insectemur recensitos errores, neque ab Augustiniana doctrina ullatenus divellamur. Fuerunt enim Scriptores permulti, qui de his differentes tradiderunt liberum arbitrium posse absque Christi gratia facere quod non potest, aut ex adverso nequaquam posse quod potest: atque hoc in libro, quantum illi recesserint à veritate, curabimus demonstrare. Disputatio præterea instituenda est de magno dono finalis perseverantiæ, necnon de sufficienti Gratia omnibus quidem à Deo Optimo, Maximo misericorditer exhibita, ac Præparata; sed quam nonnulli pervicaces impiique temere pessundant & respuunt. Atque his explicandis præmittimus Epigrammata Prosperi, qui tam metricâ, quam solutâ oratione doctrinam S.P. Augustini egregie illustravit.

CAPUT I.

Inquiritur an ad habendam notitiam legis necessaria sit Christi Gratia.

SUMMARIUM.

1. An veritas naturalis possit cognosci sine gratia.
2. Quid sit veritas naturalis.
3. Probatur Conclusio primo.
4. An possit etiam cognoscere veritatem practicam.
5. Declaratur Conclusio secundò.
6. Ac confirmatur.
7. Conclusio secunda ponitur, ac probatur.
8. & 9. Solvuntur Objectiones.

EPIGRAMMA.

Scrutari legem possunt utcunque quieti,
Si mundi à strepitu libera corda vacent.
Ut mens ergo piis studiis intenta juvetur,
Prælia divinis carnea vincat Amor.
Nam Templum Domini per sacra silentia crescit,
Et tacite struitur non ruitura Domus.

1. An veritas naturalis possit cognosci sine gratia.

Propositio I. Potest utcunque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem, non solum speculativam, sed etiam practicam absque supernaturali gratia scrutari, dummodo libera mente ab obstrepentibus sensuum fallaciis sese ad intimam rationis claritatem convertat.

2. Quid sit veritas naturalis.

Veritates naturales sunt, quæ humanis disciplinis traduntur, & nativam intellectus facultatem non superexcedunt, ut quæ assequimur per Phisices, aut Mathematices rudimenta. Quarum veritatum aliæ sunt speculativæ, aliæ practicæ. Illæ in veritatis contemplatione, istæ autem in praxi, sive operatione versantur. Atque si hæc operatio spectat ad officia virtutum; illius cognitio appellatur *moraliter practica.* Utrum virtus moralis sistens in ipso operis officio vera sit virtus nullo vitio permixta, nolumus hoc priori capite definire. Tantummodo asserimus posse unumquemque hominem veritatem naturalem etiam practicam, cujusmodi est pronunciatum illud naturalis legis, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris,* assequi per lumen rationis cuique inditum. Id vero duplici apposita conditione, 1. ut mens retrahat se à strepitu sensibilium illecebrarum ad ideas ingenitas, & ad indefectibile lumen. 2. ut suæ infirmitatis conscia non audeat sperare, se posse ad omnia perfecte cognoscenda absque speciali dono pertingere. Hæc continentur priori distico Epigrammatis.

3. Probatur Conclusio primo.

Quod aliquam veritatem naturalem absque gratia Salvatoris percipere valeamus; probatur I. Nulla est enim in serie veritatum naturalium sublimior, quam unum esse Deum Conditorem rerum universarum, deinde spiritum hominis nulla materiei dissolutione interire. Id vero rerum visibilium contemplatione, atque intima conscientia, idearumque libramento animal ratione præditum attingere, argumentationibus plurimis demonstravimus. II. Certissimum est, & confirmatum auctorirate Augustini lib. 1. ad Simplic. Q. 2. *non solum bonum ingenium, sed & honestas, & utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem.* III. Christus mortuus est ut justificaremur, quemadmodum S. P. demonstrat in celebri Epist. ad Sixtum, non autem ut Philosophi, & Mathematici efficeremur. Igitur ad Philosophicas, & Mathematicas disciplinas capessendas necessarium non est supernaturale Gratiæ adjutorium. IV. Dæmones nulla supernaturali gratia exornati sunt, & nihilominus quanta pollent naturalium scientiarum notitia! Ex miraculis Christi superna virtute patratis illius quoque divinitatem agnoverunt clamantes apud Matth. cap. VIII. 29. *Quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei?* & Lucæ IV. 41. *Tu es filius Dei.* V. Peccato Adami etsi homo ignorantiæ & difficultatis vulnus contraxit, unde nascimur tardioris & hebetioris ingenii, non tamen rationis lumen penitus extinctum est. Potest ergo nativa facultate eniti, ut exercitatione & labore rerum naturalium cognitionem adipiscatur.

4. An possit etiam cognoscere veritatem practicam.

Deinde quod possit percipere etiam veritatem moralem practicam, id est, proponentem officia virtutum, missa interim quæstione illa, an opus in solo officio consistens bonum sit undequaque; probatur auctoritate, ratione, & experimento. Enimvero S. P. Augustinus in 1. de Trinit. cap. 13. scribit: *Quidquid prudenter, fortiter, temperanter, & justè agimus, non ad sapientiam, sed ad eam pertinet scientiam sive disciplinam, qua in evitandis malis, bonisque appetendis actio nostra versatur, & quidquid propter exempla vel cavenda, vel imitanda, & propter quarumcunque rerum, quæ nostris accomodatæ sunt usibus necessaria documenta, historica cognitione collegimus.* Et Venerab. Beda in cap. 2. ad Rom. *Anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquod in ratiocinando sentiat. Manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Accedat Theologica ratio; quoniam istud nuper commemoratum, aliaque universalia legis naturæ principia nequeunt invincibiliter ignorari, ut alio in loco demonstrabitur. Præterea quanta naturali legi conformia, atque ad humanam regendam Rempublicam perutilia tradiderunt Cato, Cicero, Seneca, Aristoteles, Plato, Licurgus?

5. Declaratur Conclusio secundo.

At dixi ad Lumen rationis, inditamque veritatis imaginem, non ad sensuum fluctuantes illecebras esse attendendum: quod non eget demonstratione. Vidimus quippe Atheos sensuum fallaciis abreptos negare divini Numinis existentiam, Epicureos animorum immortalitatem; & Politicos omnia ad temporale commodum referentes etiam proximorum internecionem exitiumque curare. Recte ergo monet Prosper, quod ad naturalem legem scrutandam debent à rerum mundanarum strepitu libera corda vacare.

Præ-

6. Ac confirmatur.

Præterea dixi, naturalem hominis lapsi facultatem non posse singulas naturales veritates *collective* acceptas attingere. Sequitur ex dictis. Si etenim homo per peccatum contraxit vulnus ignorantiæ, luctamque experitur inter intellectum, & sensum, nequit disciplinis etiam naturalibus tam enixe navare operam, ut potuisset originali pace fruens, nutibusque rationis regens sensuum officium ac ministerium. Hinc Augustinus in 1. Retract. cap. 9. scribit: *Ad miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ*: quod repetit de Nat. & grat. cap. 22. lib. XXII. de Civ. Dei cap. 22. atque in aliis locis compluribus. Confirmant sententiam nostram verba Eccles. cap. VIII. v. ult. *Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* In quem locum præclare Olympiodorus in Catena GG. PP. *Nullus itaque sapiens, sive sæcularis, sive in vera Sapientia initiatus perfecte potest Universi cognitionem assequi.*

7. Ponitur Conclusio secunda ac Probatur.

Propositio II. Ut mens piis studiis intenta juvetur ad æternam vitam capessendam, requiritur Gratia, sive inspiratio sanctæ dilectionis vincens carnales cupiditates, ut docet Prosper in altera parte Epigrammatis.

Conveniunt in hac thesi Catholici omnes, eamque comprobant sequentia momenta. Primo quia quælibet scientia cum amore veritatis conjuncta, animumque excitans ad salutariter operandum, repromissa est per merita Mediatoris, atque de illa viri pii Deo gratias rependunt cum Apostolo scribente ad Corinth. 1. cap. 1. v. 4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia.* Deinde auctore eodem Apostolo 2. ad Corinth. cap. III. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis:* quæ verba Concilia & Patres acceperunt de sancta cogitatione cor nostrum ad recte operandum alliciente. Rursus oratio fidelium est divinæ gratiæ apertissimum testimonium, ut diximus de H. P. cap. VIII. Fidelis autem Deum orat cum regio Vate Psalmo CXVIII. v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Præterea vidimus de H. P. cap. 2. damnatam esse assertionem Pelagii, quod *Dei gratia ad singulos actus non detur.* Atque id accipiendum esse de Gratia actuali constat ex disputatis in eadem differt. prop. 2. cap. VI. spectare autem ad omnia opera salutaria, demonstratum est cap. XI. & de H. Semip. cap. IV. Similiter Milevitanum Conc. can. 4. *Donum Dei est scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Et Arausic. 2. can. 9. *Divini est muneris cum recte cogitamus.* Augustinus denique lib. VI. contra Jul. cap. 26. *Ignorantia minuitur veritate magis, magisque lucente, concupiscentia minuitur charitate magis, magisque fervente: nihil boni horum duorum est à nobis, non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt.* An vero hæc omnia probent etiam gratiæ necessitatem ad cognoscendum, perficiendumque bonum opus morale, videbimus proximo capite III.

Argumenta, quæ facere videntur adversus primam propositionem, confirmant secundam, & econtra quæ secundam comprobant, videntur priorem labefactare, sed omnia ad concordiam revocantur, si dixeris nullam Christi gratiam requiri ad cognitionem veri speculativam, bene tamen ad practicam, & suscitantem operum salutarium sive parvam, sive robustam cupiditatem.

8. Objectiones variæ.

Itaque adversus priorem thesim opponunt. I. Si aliquis nativa intellectus facultate posset veritatem aliquam percipere, homines scientia præditi possent adversus rudes & imperitos gloriari, contra monitum Apostoli in 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? &c.* II. Falsum esset pariter quod idem Apostolus scribit, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* III. Supervacaneum pariter esset cum Psalmista notitiam veri orationibus postulare. IV. Falsa insuper esset prælaudata Augustini sententia, vulnus ignorantiæ nonnisi medicinali gratia sanari. V. Item nec recte diceretur hominem ob Adæ prævaricationem nasci cæcum, quomodo affirmat Magnus Gregorius Hom. XI. in Evangelia; nam ut corporali lumine captus nihil potest videre, ita affectus cæcitate mentis nihil potest percipere. VI. Si ad aliquam veritatem comparandam non est necessaria gratia Salvatoris, neque necessaria erit ad cognoscendas omnes eundem naturæ ordinem non excedentes.

9. Solvuntur.

Resp. ad 1. loqui Apostolum de Fide, & aliis gratiæ donis, in quibus nemo discernitur per dona naturalia bonis malisque communia, ideoque recte hoc loco con-

tra humanam superbiam demonstrari gratiæ necessitatem, ut vidimus de H. P. cap. 1x. De scientiis autem speculativis ideo gloriari non possumus, quoniam sine gratia inflant, nec discernunt inter bonum, & malum; ac præterea non comparantur nisi naturalibus potentiis, & causis præordinatis à Deo, & naturali illustratione, atque lumine ipso divino singulis affulgente. Solvitur eadem ratione quod sequitur. Etenim sanctam cogitationem nos ad veras virtutes allicientem ac trahentem habere non possumus absque auxilio supernaturali; speculativam vero sine naturali mentis collustratione. Apostolus autem cap. 3. Epist. 2. ad Corinth. loquitur de sancta cogitatione, quæ fideles attrahit, ipsumque reddidit idoneum novi testamenti ministrum: & consequenter demonstrat necessitatem auxilii supernaturalis ad fidei initium, ut dixi de H. Semip. cap. 4. Sane orando non postulamus à Deo cognitionem sterilem & inflantem, sed quæ ad mandata divina facienda deserviat, & sit lucerna pedibus, & lumen semitis. Ab Augustino & Gregorio dicitur homo cæcus, in quantum sola cognitione naturali nequit ad veritatem Christianæ fidei pertingere; & humanis scientiis incumbens nequit sine gratia in viam salutis dirigere gressus suos: sed cum Jerichuntino Lucæ xviii. 35. *sedet secus viam mendicans.* Postremi argumenti consecutio non minus inepta est, quam si dixeris, Potest infirmus deambulare, Ergo & cursum currere; aut lippiens oculis cernit propinquiora, igitur & corpora quæque longinqua. Nam quod nequeat homo rerum omnium sibi scientiam comparare, facit illius finitudo, virium imbecillitas, fastidium laboris, crassities corporis, rerumque amplitudo. Quare laudabilis est quisquis spartam, quæ sibi contigit, ornat, juxta vetus adagium,

Σπάρταν ἔλαχες; ταύταν κόσμει.

CAPUT II.

Quæritur quid asserendum sit de operibus eorum, qui gratia Fidei sunt destituti.

SUMMARIUM.

1. An bona opera Infidelium sint peccata.
2. 3. 4. 5 & 6. Probatur Conclusio.
7. An opera bona Infidelium sint meritoria.
8. & 9. Probatur Authoritate, ac ratione.
10. Quid adhuc desit operibus Infidelium.
11. Qualis gratia sit necessaria Infidelibus ad non peccandum.
12. Probatur ulteriùs.
13. 14. 15. & 16. Solvuntur objectiones.

EPIGRAMMA.

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons desit fidei subdita corda rigans;
Cunctarum frugum marcescit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita virtus,
Quæ vera ad summum provehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad cœlestia mentem,
Obstructam vanis, occiduisque gravem.
Perque omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ sine luce gerit.

1. An bona opera Infidelium sint peccata.

PROPOSITIO I. Multa fiunt etiam ab Infidelibus, & impiis, quæ si operum honestatem inspicias & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata.

2. Probatur 1.

Hæc positio pertinet ad dogma Fidei. Et prob. 1. can. 7. Sess. vi. Conc. Trid. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, &c.* Item Constantiens. sess. 15. ubi damnatur assertum Witclefi, *Omnia peccatoris opera sunt peccata.* Similiter damnatus est xxv. art. Baji, *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Est tamen discrimen aliquod inter errores damnatos à Synodo Constant. ac Tridentina, & inter errorem Baji. Witclefus enim & Calvinus affirmarunt peccatum esse quidquid fit absque gratia habituali, & etiam quodlibet opus justorum ob concupiscentiæ labem omnia vitiantem; & Bajus asseruit quidem art. 35. *omne quod agit peccator esse peccatum*, sed justos recte operari non denegavit.

Secun

3. Probatur secundò.

Secundo probatur sententiis Patrum. S. Basilius Hom. in 1. Prov. scribit: *Sunt & apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsa animæ, non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest.* Greg. Nazianz. orat. 31. *Alii naturæ indole ad virtutem tendunt.* S. Pater Augustinus de Spir. & lit. cap. 27. *Etiam impiorum, neque Deum verum veraciter pieque colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur.* Et proximo cap. *Sine aliquibus bonis operibus difficile vita cujuslibet pessimi invenitur.* Cujus rei S. Pater optimam ibidem profert rationem, *Quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Divus etiam Prosper contra Collatorem cap. 22. *Quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex naturæ à Deo conditæ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura.* Et Auctor Hypognosticon non longe à principio lib. 3. *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut peragere: sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico quæ de bonis naturæ oriuntur, id est velle quidquid boni ad præsentem pertinet vitam.*

4. Probatur 3iò.

Tertio probatur depromptis ex Augustino rationibus: quarum prima est. Gentilis, aut quilibet impius nullam veram & Christianam virtutem exercens, sed moralem duntaxat, honesto tamen fine, non improbo ac perverso, post hanc vitam non punietur propter morales virtutes, sed potius minori afficietur supplicio pœnas pendens tantum infidelitatis, vitiorumque suorum. *Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deviando*, inquit S. Pater lib. IV. contra Jul. cap. 3. At opus, quod exercentes minus deviamus à veris Christianisque virtutibus, mulctamque vitamus acerbiorem, nequit esse peccatum. Peccata ergo non sunt opera moralium virtutum, quæ interdum ab impiis, & à Gentilibus exercentur. Insuper quæ habent retributionem sempiternam, sunt virtutes, quatenus virtus ad hanc retributionem refertur, id est virtutes veræ, undequaque bonæ, & christianæ. Quæ ergo habent in præsenti vita mercedem, virtutes erunt, prout virtus ad præsentem vitam spectat, nimirum virtutes humanæ, se ipsis à naturali ordine non deflectentes, ac bonæ moraliter. Sed Gentilium virtutes quandoque temporalem mercedem obtinuerunt, & si ad veram pietatem, verumque Dei cultum fuissent relatæ, fuisset iis æternum quoque præmium retributum. Igitur virtutes erant humanæ, bonæ moraliter, ac se ipsis à naturalis ordinis institutione non deflectentes. Probatur minor ex his, quæ S. Pater narrat lib. v. de Civ. Dei cap. 12. de Virtutibus Romanorum, quibus voluit Deus regnum impertiri, *quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine, & magnitudine illustrius: idque talibus hominibus potissimum concessit ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causa honoris laudis & gloriæ consulerent patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus saluti suæ præponere non dubitarent, pro uno isto vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.* Gesta itaque à Romanis pro incolumitate patriæ, secundum se bona erant, utpote publicum bonum illis sibimet præferentibus, ideoque meruerunt grandiorem, amplioremque rempublicam: quamquam & opera ista bona superbo fine vitiarunt, omnia gerentes ob laudis cupiditatem, ut ibidem explicat S. Pater. Verum hoc non operis vitium fuit, sed ipsorum ambitio: cujus etiam ambitionis pravitatem poterant lumine naturali deprehendere, id enim nec fugit Horatium, qui ad reprimendam dominandi libidinem, ut Augustinus animadvertit proximo cap. 13. scripsit in Carmine Lyrico lib. 2. ad Salust.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

5. Probatur ex S. Augustino.

Præclara pariter sunt, quæ de iisdem Romanis scribit S. Pater Epist. v. ad Marcellinum prope finem: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus: etsi non habentes veram pie-*

tatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo, & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. Huc spectant exempla è sacris literis petita. Obstetrices enim Ægypti Exodi 1. v. 20. laudantur, & mercedem consecutæ sunt, quoniam Hebræorum masculos non præfocarunt. Et Nabuchodonosor cap. 29. Ezech. accepit boni operis mercedem, possessionem terræ Ægypti. In quem locum affirmat Hieronymus, *etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio reperiri.* Quod & repetit in cap. vicesimum secundum Matthæi.

6. Ac confirmatur ex eodem.

Postrema ratio est, quoniam S. Pater in IV. contra Julianum cap. 3. admittit virtutis definitionem traditam ab Ethnicis Philosophis, *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus:* quamquam S. Pater ibidem commonet, quod ii ignari supernaturalium bonorum, & originariæ infectionis, *verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt.* Igitur honorare parentes, erogare stipem pauperi, & alia quæ propter honestatem operum etiam à Gentibus gratia destitutis perficiuntur, tametsi ad liberandam & beatificandam naturam mortalium non valeant, naturæ modoæ, & rect rationi sunt consentanea; & virtutes, non quidem Christianæ, & ad veram pietatem pertinentes, sed moraliter bonæ, non vitia, aut peccata, sunt appellanda.

7. An opera bona Infidelium sint meritoria.

Propositio II. Virtutes infidelium, ut plurimum, sunt germen inutile & marcescens, quemadmodum scribit Prosper, nimirum, cum sit in illorum corde radix cupiditatis, solent bona opera aut ad inanem gloriam, aut ad voluptatem referri. In eo autem casu nullus negat hujusmodi virtutes vitio aut philautiæ, aut inhonestatis labefactari.

Demonstratur primo ex sacris literis. Matth. VI. 23. habetur: *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quæ verba explicans S. Pater lib. 4. contra Jul. cap. 3. num. 33. ait: *Hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit.* Intentio autem infidelium, & impiorum, ut plurimum, vitiosa est, ergo etiam omnia opera erunt ut plurimum germina inutilia & infecta. Probatur minor, nam infidelium intentio, ut mox demonstrabo, vel ad cultum inanium Deorum, vel ad superbiæ typhum protendit, omnesque improbi solent intentionem dirigere ad commutabile illud bonum, cujus cupiditate detinentur. Præterea Evangelista proximo cap. VII. v. 18. *Non potest* (inquit) *arbor mala bonos fructus facere.* Est autem homo infidelis, aut impius arbor mala, non quatenus homo est, sed quatenus in se malam voluntatem habet, à qua peccata veluti à radice nascuntur. Idque appositè explicat S. P. eodem loco num. 30. dicens: *Non itaque in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest.* Vigente ergo voluntate mala, cui obtemperare solent increduli & *habitualiter* improbi, necesse est, ut marcescant germina virtutum inde erumpentia. Rursus impii *fornicantur* à Domino, ut legimus Ps. 72. v. 23. & Jerem. V. 7. scilicet errant in *adinventionibus* suis, atque oblectantur illicitis. In animo itaque fornicante ac turpia oblectamenta appetente, pudicitia & virtus quælibet in sola mente habitans, etiamsi corpore exerceatur, permanere non potest.

Deinde probatur thesis experimento simulque auctoritate Augustini. Nam Romanos, qui amore laudis vehementissime tangebantur, *pro isto uno vitio pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes,* nunquam vera virtute claruisse demonstrat S. P. citato cap. 12. lib. V. de Civ. Dei, propterea quod non sit vera virtus, *nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.* Quod si aliqui gloriæ contemptores fuerunt, ut exemplis commonstrat S. P. cap. 19. ejusdem libri, ob dominationis cupiditatem bestias superarunt, *sive crudelitate vitæ, sive fluxu luxuriæ.* Eapropter Julianum deprædicantem Romanorum virtutes, ut everteret gratiæ necessitatem S. Doctor lib. 4. cap. 3. num 26. his verbis alloquitur: *An forte & istis, qui exhibuerunt terrenæ Patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non vera, sed verisimili, dæmonibus, vel humanæ gloriæ servierunt, Fabriciis, videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus & Camillis, cæterisque talibus, sicut infantibus, qui sine baptismate moriun-*

8. Probatur auctoritate.

riuntur, provisuri estis aliquem locum, inter damnationem, regnumque cælorum?

9. Ac ratione.

Ultimo probatur ratione, quam affert ibidem Augustinus num. 19. Ad cognoscendum utrum virtus aliqua vera sit, non solum intueri debemus quod agitur, sed etiam causa quærenda est, cur agatur. Non enim officiis, sed finibus virtutes discernuntur à vitiis. Alioqui veras virtutes dicendum erit esse in avaris, *cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirenda pecunia sæva, atque aspera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates quibus sumptuose vivitur temperanter sobrieque castigant, cum abstinent ab alieno, & de suo sæpe amisso contemnunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis & judiciis plura consumant.* Hæ quidem virtutes tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ & veræ censendæ sunt. Consimili ergo ratione quidquid à Gentilibus agitur voluntate infideli, atque elata, appellari germana virtus non debet.

10. Quid adhuc desit operibus Infidelium.

Propositio III. Alio quoque ex capite, quæ sine Christi gratia ab infidelibus peraguntur nequeunt inter virtutes connumerari, scilicet, quia nihil conferunt ad veram & Christianam pietatem: sive, ut inquit Prosper in altera parte Epigrammatis, hujusmodi virtutibus mens ad cœlestem beatitudinem non enititur.

Hæc propositio demonstratur omnibus argumentis, quibus de H. Pelag. cap. ultimo probatum est, morales virtutes nullatenus *positive* disponere ad gratiam. Probat autem S. Pater contra Pelagianos hanc veritatem argumentis innumeris. Memorato lib. IV. contra Jul. cap. 3. oppugnans data opera hæreticum negantem Dei donum esse virtutem, eamque tribuentem naturali hominum voluntati; num. 15. evincit Dei gratiam necessariam esse non solum ad capessendam perfectionem, sed etiam ut talis gratiæ opitulationem mereamur; alias si homo posset sine gratia *ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari*, posset gloriari in libero arbitrio, *ac sic priorem dare, ut retribuatur illi, eoque modo gratia jam non sit gratia, quia non est gratuita.* Appellat prox. num. 16. *acerbissimos gratiæ inimicos*, qui dicunt *alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum.* Pergit num. 17. demonstrare non esse in infidelibus veram justitiam, nec veram sapientiam, tum quia inde superbia recedunt quo appropinquant intelligentia; tum etiam quia si per naturam voluntatemque vera haberetur justitia, Christus gratis mortuus esset, nec non per naturam compararetur Dei regnum, cum ipsum justitia sit, & retribuatur justitiæ. Demonstrat num. 18. eos qui in agone decertant, & ab omnibus sunt continentes, contendere ut corruptibilem coronam accipiant, ideoque cum ab hujus cupiditate non se contineant, veram continentiam nequaquam habent. Numero 18. definit virtutem per ordinem ad salutem, veramque felicitatem, ideoque quidquid sine gratia peragitur, nonnisi virtutem Stoicam & à recto fine deviantem appellat. Urget in sequentibus Apostolicam sententiam, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, accipiens *fidei* nomen, non ut quidam exponunt pro solo naturalis conscientiæ dictamine; id enim ad refellendum Julianum fuisset prorsus ineptum, sed pro superna inspiratione illius gratiæ, quam hæreticus evacuare nitebatur. Tandem post longam disputationem, *Scito* (inquit num. 33.) *nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per Unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Indubitatum est igitur virtutes infidelium veras non esse, in quantum virtus ad capessendam beatitudinem viam sternit.

11. Qualis gratia sit necessaria infidelibus ad non peccandum.

Propositio IV. Cum erret sapientia mundi per omnes calles, ut postrema parte Epigrammatis docet Prosper, quidquid boni infideles patraverunt, dicendi sunt non sine superna illustratione ut plurimum patrasse: non tamen eis necessaria fuit, aut est, ad non peccandum Fides *habitualis*, nec gratia remissionis peccatorum.

Prima propositionis pars est Augustini; altera & Augustini, & omnium Catholicorum. Prima ergo pars demonstratur iis argumentis, quibus proximo capite comprobabitur necessitas divinæ gratiæ ad opus morale bonum undequaque. Deinde probatur testimonio Augustini, qui eodem cap. 3. contra Julianum num. 32. ait: *Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis.* Epist. etiam 130. nunc 144. laudata Polemonis continentia, per quam liberatus fuit à dominatu luxuriæ, inquit, *Tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribue-*

tribuerim, sed divino. Neque hoc loco, ut quidam putant, donum continentiæ tribuitur ab Augustino divino operi naturali; nam licet ibidem commemoret formam, vires, salutem, & alia bona corporis, quæ non sunt nisi à Deo Creatore, & perfectore naturæ: ea nihilominus memorat, ut argumentum faciat à fortiori; nam ait: *Quanto magis animi bona donare nullus alius potest?* Et mox sensum suum aperiens addit: *Polemo ergo si ex luxurioso continens factus ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus Gentium pie coleret, non solum continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem, verum & ad futuræ immortalitatem valeret.* Ubi ex verbis Sap. VIII. *Nemo esse potest continens, nisi Deus det,* probat Augustinus continentiam Polemonis fuisse ex Gratia, quod facit etiam eodem textu, eodemque argumento lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 18. ubi certissime de Gratia supernaturali instituit disputationem. Neque naturale donum est, quod addita Fidei sapientia ad immortalem vitam perducit. Quamobrem haud recte exponitur de Gratia ordinis naturalis quod scribit S. Doctor de castitate Polemonis.

12. Probatur ulterius.

Altera propositionis pars demonstratur I. ex Scripturis commendantibus Lucæ XVIII. Publicani humilitatem, & Act. X. eleemosynas Cornelii Centurionis; ubique autem peccatores ad conversionem & pœnitentiam hortantibus. II. Ex definitionibus Conciliorum, Romanorumque Pontificum allatis priori probatione primæ Propositionis. III. Ex Augustino, qui de Præd. SS. cap. 7. ait memoratum Cornelium bene fuisse operatum, *antequam in Christum crederet:* De Sp. & lit. cap. 28. affirmat sine aliquibus bonis operibus *difficillime vitam cujuslibet pessimi hominis inveniri:* in Epist. ad Sixtum docet *Fidem impetrare remissionem peccatorum.* Tractatu 44. in Joannem scribit, peccatores *confessione mereri justificationem, quomodo cæcus illuminationem.* IV. Tandem demonstratur ratione: nam quisquis nititur redire ad gratiam, Deum orat, & confitetur peccata; recte operatur, quærit salutem animæ, & Deo obtemperat: & tamen contingit sæpenumero ut nondum adeptus sit peccatorum suorum remissionem. Fiunt ergo sine gratia *habituali,* sive nondum remisso peccato, bona opera plurima, quibus ad justificationem obtinendam disponimur.

Ad Objecta in contrarium responsio.

Dispositа præcedenti ordine disputatione de Operibus Infidelium, nihil penitus negotii facessunt argumenta hæreticorum. 13. Solvitur 1ma objectio.

Qui primo loco objiciunt: Apostolus ad Rom. XIV. versu ultimo ait, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Infideles fide destituti sunt. Ergo quidquid infideles operantur, peccatum est. = Resp. dist. & explico Apostolicam sententiam, *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* scilicet, opera quæ eliciuntur ab homine veri Dei cognitione privato, infideli voluntate ad cupiditatem & jactantiam referuntur, & philautiæ vitio ut plurimum corrumpuntur, concedo majorem: & hujus propositionis veritas thesi 2. demonstrata est. *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* ita ut nullus Gentilium antequam Christo se devoveat, & *habituali* fide exornetur, possit recta voluntate operari, sive per gratiam actualem, sive, ut aliis Theologis placet, per lumen honestatis ingenitum, nego: & veritas hujus propositionis liquet ex thesi quarta. Distinguo etiam minorem. Infideles destituti sunt fide *habituali,* & cum gratia sanctificante conjuncta, quam solam veram gratiam esse Bajus & Quenellus existimarunt, concedo. Destituti sunt, dum recte & cum divina acceptatione operantur, omni gratia fidei *actualis,* & ingenito rationis lumine, in quo idea honestatis veritatisque refulget, nego minorem. Etenim in infidelibus imaginem Dei non esse omnino detritam vidimus in 1. Propos. Adesse etiam illis quandoque cognitionem aliquam veri Dei gratia quoque inspiratam, ostendimus De H. Semipelagiana cap. IV. præclaro testimonio Augustini scribentis de Cornelio cap. 7. de Prædest. SS. *Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat.* Resp. 2. eo sensu omne quod non est ex fide peccatum esse, quatenus sine fide impossibile est placere Deo, neque operibus sine gratia factis, qualia fuerunt antiquorum Romanorum, potest inesse vera ratio virtutis, per quam ad æternum Dei regnum perduci possimus. Quod in tertia propositione fuit explicatum.

Objiciunt 2. Matth. VII. v. 18. habetur, *Non potest arbor mala fructus bonos facere:* Quilibet infidelis est arbor mala: Ergo non potest fructus bonos face- 14. Solvitur 2da objectio.

facere. = Resp. Dist. minorem : Quilibet infidelis est *arbor mala*, in quantum habet in se malam voluntatem, quæ est radix malorum operum, & qua de bono opere in se non in Domino gloriatur, concedo. Est *arbor mala*, dum malam voluntatem honesta cognitione, & Dei gratia repellit, nego. Vide quæ diximus 2. propositione. Solvitur eadem ratione quod opponunt ex cap. VI. v. 23. *Si oculus tuus fuerit nequam, &c.* Exponitur enim nomine oculi animorum intentio.

15. Solvitur 3. Objectio.

Arguunt 3. in Epist. ad Titum cap. 1. v. 15. legitur, *Omnia munda mundis, immundis autem nihil est mundum.* = Resp. eodem pacto, non esse immundam voluntatem, quæ honesta cogitatione dirigitur; nec, opitulante gratia, agit ob illecebras prementis cupiditatis. Retorquentur etiam istiusmodi argutationes. Enimvero justus, qui est *arbor bona*, & ob gratiam sanctificantem cordis habet munditiam, fideique *oculum* lucidum ac supernis flammulis irradiatum, non omnia agit inculpate & ex motivo sanctæ dilectionis, cum frequenter in peccata venialia prolabatur, atque ad instar fructiferæ arboris, bona adhuc persistente radice, aut sterilis sit, aut fructus proferat immaturos. Ita infidelis & impius, cui inest radix culpæ, ac pravæ cupiditatis, interdum inspiratione divina virtuose operatur; quemadmodum arbor sterilis ac sylvestris flores ac frondes emittit, atque si ramusculus aliquis inseratur, nonnullos etiam salubres fructus producit.

16. Solvitur 4. Objectio.

Objiciunt 4. Quidquid sine charitate fit, juxta Augustinum perversum & inordinatum est: Quidquid agunt infideles & impii, fit absque charitate: Ergo perversum, & inordinatum est. Ma. prob. nam S. Pater de Grat. & lib. arb. cap. 18. ait: *Præcepta charitatis tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere, si fiat sine charitate: nullo modo fiat bene.* Et lib. de Grat. Ch. cap. 26. *Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte opus bonum vocatur.*

Resp. dist. ma. Quidquid fit absque charitate *habituali*, id est sine illa gratia, cujus primus effectus est remissio peccatorum, qualem gratiam tantummodo Bajus & Quenellus propugnarunt, non recte opus bonum vocatur, nego majorem. Quidquid fit absque charitate *actuali*, & gratia quæ justificationem præcedit, non est opus rectum ac bonum undequaque, & ad ultimum finem, æternamque vitam perducens, concedo. Item concedo non esse bonum honestum, si corrumpatur vitio philautiæ, atque ad creaturam ultimo referatur. An vero ut honestum sit omnique vitio careat, necessaria sit gratia supernaturalis, quæstio est scholastica nullo modo pertinens ad dogma nunc propugnatum; & de hac quæstione mox dicam. Porro Augustinus præter gratiam *habitualem* agnoscit *actualem*, eamque in Epistola ad Sixtum distinguit à remissione peccatorum, & in locis plurimis appellat inchoatam justitiam. Eandem fatetur præcessisse in Centurione, reperiri in Catechumenis, & non semel in infidelibus: atque disputans adversus Pelagianos ubicunque gratiam commendat, loquitur de omni serie auxiliorum, quibus ad vitam æternam proxime, aut remote disponimur. Quare sententia Augustini everrit opinationem Novatorum illorum, à quibus nulla gratia admittitur præter *habitualem*, neque opus aliquod in peccatore, nisi perversum atque damnabile.

CAPUT III.

Disputatur an ad peragendum opus moraliter bonum, quod nec in se, neque in intentione operantis vitiosum sit, requiratur divinæ gratiæ adjutorium.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Opinio Doctorum.
3. Quid dicendum de sententia Vasquez.
4. Opinio aliarum Scholarum.
5. Mens Authoris.
6. Quid sit vitium.
7. Usque 13. Probatur Conclusio, ac refutantur responsiones Adversariorum.
14. Usque 19. Solvuntur Objectiones.
20. Declaratur Ulteriùs propositio.
21. Præcipuè in Ordine ad praxin.

EPIGRAMMA.

UT quædam tenues maculæ in splendore piorum,
Major virtutum quas vacuat numerus,
Æternæ donis nequeunt obsistere vitæ,
Nec Merita obscurat grandia culpa levis;
Si aliquid plerumque boni pars impia gestat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
Nec prodest quiddam recte sapuisse malignis,
Si verum & summum non coluere Deum.
Una Fides igitur, Spes una est, atque amor unus,
Quo fiat justus, sitque beatus homo;
Nam bona, quæ pravis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

PRÆNOTATIO.

1. Status quæstionis.

In quæstione, quam nunc propono, celeberrima est omnium fere Nostratium sententia, posse quidem hominem absque speciali gratia bonum agere *ex objecto*, sive spectato virtutis officio, ut prima parte Cap. præcedentis demonstratum est; at si inspiciatur finis, negant hujusmodi opus bonum esse, cum in summum bonum minime referatur. Hanc enim conditionem operi, quod nulla ex parte vitiatum sit, necessariam esse propugnant. Ita ex nostris defendunt Caspar Casalius de Quadripartita Justitia lib. 1. cap. 32. Gregorius Ariminensis in 2. dist. 26. Cardinalis Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 4. & cap. 4. §. 5. Petrus Manso in Opere de Virt. Infidel. & in Vindiciis Norisianis, Leonardus Vanroy de Act. Humanis cap. 1. Q. 2. Antonius Guerrero Theologiæ moralis Tract. v. §. 2. aliique communiter. His sub scribunt Franciscus Macedo in libro, cui titulus *Mens vera Augustini* pag. 211. & sequentibus, & in Cortina Thesi 61. & 63. Atque de relatione Operum omnium in Deum idem tenent Cardinalis Bona de Vita Christiana 1. P. §. 29. Natalis Alexander Tom. 2. Th. Moralis lib. 3. Reg. 57. Ubigant Tract. 3. q. 4. Exam. 3. Lacroix lib. v. de Peccatis dub. 1. q. 34. atque Doctores alii bene multi.

2. Opinio Doctorum.

Præscindendo ab hac quæstione de necessitate referendi omnia opera nostra in Deum saltem *virtualiter*, necessitatem gratiæ ad omne opus bonum morale & honestum & nullo infectum vitio superbiæ defendunt Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 190. Ripalda disp. 20. sect 6. num. 25. & noster Basilius Poncius Relect. de necessit. Grat. cap. 5. 7. & 15. Itaque hæc sententia imperite à nonnullis tanquam accedens ad errores Quenelli, & Baji refellitur, non solum ob viros eximios nuper commemoratos; verum & ob maximam hos inter, ac Novatores, sententiarum discrepantiam. Primo enim Nostratium singuli absque ullo vitio esse fatentur in unoquoque, quantumvis improbo homine appetitum beatitudinis, quem *natura in malis suis non potuit amittere*: deinde negant motus indeliberatos ad damnationem imputari, contra impiam Novatorum istorum doctrinam. Admittunt insuper actualem gratiam sine remissione peccatorum cum Catholicis omnibus, cum illam denegent Theologicorum Dogmatum inversores. Ac præterea concedunt à paganis, ac sceleristissimis aliquid boni interdum fieri per gratiæ adjutorium, adversus Bajum, ejusque gregarios. Non ergo uno tantum, sed titulis pluribus nostri Ordinis Theologi à Sectariis discriminantur.

3. Quid dicendum de sententia Vasquez.

Ad Vasquesium quod attinet; docet is ad opera bona moralia speciale gratiæ auxilium requiri; sed gratiam hanc naturalem esse contendit, indebitam tamen, & ex meritis Christi provenientem. Qua in re Vasquesium reprehendunt cum Francisco Suarez docti viri complures. Si enim, inquiunt, gratia naturalis dici possit, & sancta cogitatio congrua excitans voluntatem ad opera honesta ad ordinem naturæ pertineat, & tamen ex meritis Christi conferatur; defendi poterit hæresis Pelagiana gratiam in ipsa natura constituens. Addunt non sufficere ad gratiam, quod indebitum donum sit, & possit à Deo sine ulla injuria denegari; cum etiam majus ingenium, melior complexio, atque optima educatio non omnibus concedantur, & nihilominus *Gratia Salvatoris* appellari non valeant. Verum, etsi in explicanda Gratiæ congruæ natura ego plurimum à Vasquesio dissideo, quoniam ille congruam vocationem putat, quæ in tali temporis, vel loci circumstantia Deo largitore subministratur; in hac tamen parte arbitror immerito fuisse reprehensum. Dum enim honestam cogitationem inspirari ob Christi merita tam diserte pronunciat

nunciat; profecto quantum ad gratiæ ſubſtantiam pertinet, ſupernaturalem fatetur, & à Pelagio diſcordat. Naturalem itaque appellat, in quantum cogitatio congrua præveniens opera moraliter bona, V. G. honorem Parentibus exhibendum, aut eleemoſynam dandam pauperi, non proponit objectum ſupernaturale, ſed intra naturæ ordinem, amandum, aut fugiendum honeſto fine, qui ab homine concupiſcentia jactato nequit haberi absque gratia. Hoc ſenſu celebriores Scholaſticos propugnaſſe veram Chriſti Gratiam ordinis naturalis commonſtrat eximius Theologus Baſilius Poncius citato cap. v. Diſſolvit etiam præmiſſum Suareſii argumentum; primo quia ingenium & complexio non ſunt per Suareſium effectus prædeſtinationis divinæ, quemadmodum eſt bonus uſus ingenii, & complexionis, & bonum opus virtutis factum ex honeſta cogitatione: quod Suarez docet lib. 1. de Grat. cap. 15. num. 4. & 6. Cum itaque prædeſtinatio ſit præparatio gratiæ; ipſi gratiæ deputandus eſt bonus uſus ingenii, non ingenium ipſum, membrorumque complexio. Deinde hæc duo, ingenium, & complexio originem habent ex cauſis ſecundis naturaliter operantibus: at non ita honeſta illa cogitatio. Quamquam enim naturale ſit, quod mihi objectum occurrat, V. G. pauper petens eleemoſynam, animumque meum ad pietatem commoveat; tamen cum is vehementius trahatur amore ſui, quam exterioris objecti, & magis corpore quam ſpiritu, niſi gratia frenetur: nequit ea motio eſſe efficax & congrua, niſi ſuperet contrariam animi affectionem, ac dominantem cupiditatem; quod divini muneris eſt, non vis nativa objecti. At de ſententia Vasqueſii tantum.

4. Opinio aliarum Scholarum.

Eſt enim altera in Scholis communior, honeſtam cogitationem moralem excitantem quoque voluntatem ad opus faciendum non alium exigere Dei operantis concurſum, præter illum, qui naturali communique lege providentiæ preſto eſt unicuique. Ita cenſent Soto, Bellarminus, Suareſius, & alii plurimi laudati à Franciſco Macedo pag. 210. & hanc eſſe communem ſententiam Thomiſtarum liquet ex Goneto Q. 1. de neceſſitate Gratiæ art. 3. §. v. Tenent enim hi Theologi & vigere adhuc poteſtatem naturalis arbitrii ad peragenda opera moralium virtutum, & hæc ſe ipſis in Deum ultimum finem referri per relationem ſibi intrinſecam, atque, ut verba ipſa Goneti uſurpentur, *in ipſa entitate actus imbibitam.* Quare ut ſint bona neceſſe non eſt, ut referantur voluntate operantis, & gratia dirigente. Perpauci tamen hujus ſententiæ Aſſertores largiuntur arbitrio poteſtatem omnia opera moralia etiam ardua adimplendi; ad hæc enim multi gratiam neceſſariam eſſe propugnant: quæ videtur eſſe ſententia D. Thomæ in 2. 2. q. 109. art. 2. & defenditur ab Eruditiſſimo Viro Iſaaco Haberto lib. 1. cap. x. num. 4.

5. Mens Auctoris.

In tanta opinionum diſcrepantia, quoniam pugnare cum omnibus fere Theologis temeritatis nota eſt, deſerere autem ſigna Majorum rebellionis, atque dedecoris, utriusque partis argumentationes producam, meam opinationem, ut ſpero, lectoribus non injucundam infimo loco ſubjiciens. Quod prius quam facio; oportet, ut ad phyſiologiam ſublimiorem Ariſtotelica, quam prædicti omnes Auctores ſecuti ſunt, animum revocemus, & nonnulla de vitiorum origine præmittamus. Demonſtravi in prima librorum meorum parte legem incommutabilis veritatis, qua unusquisque judicat de objectis menti obverſantibus, non eſſe ſpeciem aliquam creatam hauſtam à ſenſibus, ſed Deum ipſum, ut docet S. Pater de Vera Religione cap. xxx. ſcribens, *Hæc lex, cum ſit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati poſſit erroris, ſatis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum eſt, incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem animam ſit, Deum eſſe.* Vitioſum ergo eſt omne opus, quod ab illa incommutabili lege veritatis proponentis quid honeſtum ſit, quid inhoneſtum, deflectit; unde S. Pater eodem libro cap. 20. ita vitium definit: *Eſt autem vitium animæ rationalis voluntas ea faciendi, quæ vetat ſumma & intima veritas.* Sane ſi rationalis anima hanc veritatem in ſe, & absque ullo velamine conſpiceret, quomodo contingit in patria, nunquam fieret vitioſa, quoniam nulla apparenti mutabilium bonorum deciperetur imagine. *Malum non erit* (inquit ibidem S. Doctor) *cum oculi fuerint recreati, & lucem ſuam congruenter aſpexerint.*

6. Quid ſit vitium.

Eſt itaque juxta Auguſtini principia vitium, quando rationalis anima diligens bonum, quod infra illam ordinatum eſt, defluit à bono æterno ad bonum temporale, à bono intelligibili ad bonum ſenſibile, à bono ſummo ad bonum infimum; &, dum ordinem ſuum peragit mutabilitas temporum, *putat eſſe primam ſpeciem, quæ omnium infima eſt natura, quam per lubricos ſenſus caro*

male docta nunciaverat: & etiam dum arbitrans se tenere divinæ providentiæ disciplinam usque ad invisibilium rerum imagines pervenit, sed nesciens oculorum concupiscentiam se trahere, falsa cogitatione distenditur. Id vero in statu corruptæ naturæ quam facile eveniat, explicat proximo capite 21. Augustinus hæc scribens: *Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diverberavit, & mutabili varietate multiplicavit ejus affectum. Ita facta est abundantia laboriosa, & si dici potest copiosa egestas, dum aliud & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet*; paucisque interjectis, *Nunc vero corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, quia rapitur in ordine successionis extrema corporum pulchritudo.* Habes explicatam à magno Augustino originem vitiorum. Erit ergo ex oppositio virtus, cum humanum opus intimæ ac summæ veritati erit consentaneum, non rationi quæ inferius trahatur à multiformi temporalium specierum imagine. Nam in Augustiniana Schola *non est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est*, inquit S. Pater de Civit. Dei lib. v. cap. 12. Et revera, si virtus in eo non appareat, qui ab alio deprimitur ac superatur; neque in animo virtus erit, dum ab æquali vel inferiori flectitur ac dejicitur. Hæc sententiam meam proponendam, cum aliis primum honorem dedero, facile expedient.

7. Ponitur Conclusio.

Propositio. Plerumque, ut loquitur Prosper, impii aliquid boni gerunt, quod facile majori vitio obruitur, & dehonestatur. Sine cultu veri Dei hoc non prodesse ad salutem, & sine gratia ad beatitudinem non conferre, sententia Prosperi est superius comprobata. An vero bonum illud opus sine gratia patratum vitio careat, disputant, in utramque partem Scholastici.

Et priores quidem hujus thesis partes cap. præcedenti sunt demonstratæ. Nunc præcipua Theologorum momenta discutiam. Itaque Augustinenses nostri necessitatem gratiæ ad omne opus morale etiam ordinis naturalis, quod sit bonum undequaque, hisce argumentis propugnant. Primo Joannis 15. habetur: *Sine me nihil potestis facere.* Concilium Arausicanum II. can. 22. ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Quidquid igitur boni facit homo, est à Deo.

8. Responsio adversariorum.

Respondent Adversarii sensum Scripturarum, & Conciliorum esse, quod nemo potest aliquid facere spectans ad veram pietatem & justitiam, nisi per gratiæ adjutorium. Id enim insinuat S. P. Augustinus de Grat. Ch. cap. 26. scribens: *Gratiam Dei sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* PP. Conc. Carthagin. in Epist. ad Zosimum pariter affirmant, *sine gratia nihil fieri veræ sanctæque pietatis.* Concilium etiam Arausicanum II. can. 7. explicat verba Joan. 15. *Sine me &c. quod per naturæ vigorem nihil fieri potest, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ.* Idem docet S. Prosper ad Capitula Gallorum cap. VIII. Eodem sensu inquiunt definiri ab Augustino & à Synodo Arausicana, quod nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum, quoniam liberum arbitrium ob originariam noxam attenuatum magnam habet ad peccandum pronitatem, & nihil boni ad justitiam veram spectantis elicere potest sine Dei munere. Tandem nec bona opera moralia sine Deo peraguntur, cum requiratur ad ea concursus supremæ Causæ in ordine tamen naturalis providentiæ.

His non acquiescunt primæ sententiæ Auctores. Enim vero inter veram justitiam, & vitium, nullum per Augustinum datur medium, quomodo medium non est aliquod inter æternum, & incommutabile bonum, in quod ultimo tendit virtus, & inter bonum commutabile ac temperale, in quod vitiosum opus refertur; Quam esse sententiam Augustini constat ex lib. IV. contra Jul. cap. 3. & V. de Civit. Dei cap. 12. Si ergo concedas non posse hominem sine gratia facere aliquid pertinens ad veram pietatem, atque justitiam; etiam fateaeris oportet, non posse peragere aliquod bonum, quod tale sit undequaque, neque ab intima virtutis lege deflectat. Deinde Augustinus, & Concilium Milevitanum & Arausicanum, docent hominem non habere de suo nisi mendacium & peccatum. At opus moraliter bonum nequit esse peccatum, aut mendacium; igitur à solo homine tale opus prodire absque gratia non potest. Insuper laudatus canon. 22. Arausicanus desumptus est ex Augustino Tract. V. in Joannem. Ubi S. Pater ait: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac Eremo, ut ex quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione interim consolati,*

9. Solvitur.

lati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem, ſatietatemque poſſimus. Si ergo qui loquitur mendacium de ſuo loquitur; qui loquitur veritatem de Deo loquitur. Accipit ergo Auguſtinus mendacium prout opponitur veritati, & peccatum prout adverſatur juſtitiæ. At quod veritati ac juſtitiæ opponitur, morale bonum à nullo hominum appellabibitur. Nemo igitur habet de ſuo bonum aliquod etiam morale, id eſt, à veritatis regula non deflectens. Poſtremo quod reſponſum eſt de concurſu naturali, facile retunditur; quoniam Concilia & PP. urgent ea verba, *Sine me nihil poteſtis facere* adverſus Pelagianos negantes ſupernaturalis gratiæ adjutorium; eosque etiam perſtringit Synodus Arauſicana. Ac præterea concurſus ordinis naturalis non deeſt homini mentienti & peccanti; nec tamen recte dicitur hominem ſine Deo peccare, & mentiri non poſſe; ſed cum eodem Evangeliſta dicendum eſt, *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur:* & cum Auguſtino, *Liberum arbitrium ad malum ſe ipſo ſufficit.* Idcirco his verbis, *Sine me nihil poteſtis facere*, demonſtratur concurſus ſupernaturalis ordinis.

10. Probatur Prpoſitio 2dò.

Secundo loco probant primi Auctores ſententiam ſuam teſtimoniis Auguſtini propemodum innumeris. Perpauca eligamus: cætera invenies apud Gregorium de Arimino diſt. 26. 2. lib. ſent. quæſt. 1. & 2. Primo in Epiſt. ad Hilarium Syracuſanum 89. nunc 53. hæc habet S. Pater: *Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera, ſi divinitus adjuvetur: deſertum vero divino adjutorio, quantalibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem.* Similiter Serm. 12. de Verbis Apoſt. *Prorſus ſi adjutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate; ſed male adhuc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi, ſine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico.*

11. Reſponſio adverſariorum declaratur.

Occurrunt eadem reſponſione Adverſarii, dicendo S. Patrem aſſerere liberum arbitrium ſine gratia nihil poſſe in ordine ad juſtificationem & vitam æternam. At hæc interpretatio videtur Noſtratibus violenta. Nam primo tam diſerte Auguſtinus ad omne opus bonum gratiam requirit, ut nihil boni ſine gratia dari abſolute pronuntiet. Deinde quodcunque opus ſine gratia patratum non ſolum per Auguſtinum nullo modo habet ſoliditatem juſtitiæ, ſed etiam habet inflationem ſuperbiæ, exitioſumque tumorem. Quis autem opus inflatum ac tumidum dixerit undequaque bonum, nullaque ex parte vitiatum? Tandem ſi poſſumus absque gratia bonum ordinis naturalis inculpate peragere; poſſumus pariter & ſervare legem naturæ, & Deum diligere, atque ita conſequi vitam æternam; cum in Evangelio ſcriptum ſit Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Id vero ſi dicatur, neceſſum erit ſtatuere vitam æternam diverſam à regno cœlorum, ut idem Auguſtinus demonſtrat contra Julianum, ut vidimus lib. XIII. cap. 1.

12. Probatur tertiò.

Tertio probant Noſtrates poſitionem ſuam Theologica ratione. Non eſt enim opus undequaque bonum, quod in Deum tanquam in ultimum finem non refertur. Referri autem hoc pacto nequit ſine gratiæ adjutorio, quoniam ad hujusmodi relationem requiritur, ut diligatur Deus amore benevolo & efficaci ſuper omnia. Tunc enim objectum ſuper omnia amatur, cum ad illud actus ſinguli referuntur. Deum vero non poſſe tali amore naturaliter diligi & Auguſtiniani omnes defendunt, & plures etiam ex Adverſariis. Opus ergo morale ſine gratia factum non erit bonum undequaque. Majorem vero facile demonſtrant. I. Nam Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 25. inquit: *Licet à quibusdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, & ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt.* II. Juliano objicienti virtutes Romanorum, ut Chriſti gratiam evacuaret, negat S. Pater has veras fuiſſe virtutes, argumentis à nobis ſupra productis prop. 2. & 3. ex quo nimirum fuerint à fide & charitate disjunctæ, & vitio philautiæ corruptæ. III. Ut ibidem demonſtratum eſt, virtutes à vitiis non officio diſcernuntur, ſed fine. Finis vero creaturæ rationalis nullus alius conſtitui poteſt præter Deum, quoniam ſolus Deus ipſa creatura rationali melior eſt.

13. Reſponſio adverſariorum declaratur.

His reſpondent ad opus bonum morale ſatis eſſe, ſi referatur in ultimum finem *negative*, id eſt, non tendat ad finem inhoneſtum; cum ipſa moralis virtus intrinſeca ſui bonitate in Deum ultimum finem referatur. Quæ doctrina poteſt admitti, inquit Noriſius, *quia S. Doctor inde virtutes Gentilium vitiavi docuit, quod iidem de illis vel apud ſe, vel apud alios gloriam quærerent.* Ve-

rum admitti quidem potest: at non esse doctrinam Augustini Theologi nostri non sine magna probabilitate demonstrant. Principio enim virtus, si referatur ad se ipsam, & non propter aliud expetatur, dicitur ab Augustino inflata, & superba. Quo ergo jure appellabitur bona undequaque? Insuper S. Pater lib. v. de Civit. Dei cap. 20. non solum redarguit Epicureos, qui finem constituunt in voluptate, cui virtutes tanquam ancillas subjiciunt; verum etiam philosophos illos, qui *ad ingerendum pudorem iis, qui virtutem quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, illam propter se ipsam putant appetendam.* Præterea virtus se ipsa, quatenus opus est creaturæ, non est humana mente nobilior; ideoque nec vera virtus, juxta virtutis ideam à nobis superius traditam. Ulterius non satis est ad opus bonum morale, si referatur in finem ultimum per rectitudinem sibi intrinsecam. 1. Quoniam hæc bonitas physica & naturalis est, non moralis; morale enim dicitur opus, in quantum fit deliberatione ac libertate. 2. Quia etiam opus bonum ex officio, perversum autem ex fine, quale foret sublevatio pauperum ob gloriam inanem, habet illam bonitatem operis & officii, nec tamen appelari potest bonum opus morale; quoniam *bonum*, ut est in proloquio, *ex integra causa*, & in opere illo invenitur perversitas intentionis. 3. Quia virtus quælibet, etiamsi externo opere & per corporis ministerium exerceatur, habitat tamen in animo; ideoque ex animo, non ex opere suam potissimum contrahit bonitatem. Inquiunt in hoc differre actus naturales ab actibus moralium virtutum, quod illi boni nequaquam sunt, nisi in finem ultimum referantur, ut sunt comedere, ambulare, ædificare domum, plantare vineas; actus vero morales, ut eleemosyna, honor parentum, castitas, & alia hujusmodi dicuntur boni se ipsis. Verum facile est respondere actus istos morales bonos utique esse comparate ad objectum officiumque virtutis, non autem ratione finis, ad quem sunt referendi: sive ut loquitur Magister Gavardi Q. 2. de Grat. art. 4. bonos secundum rationem inferiorem, non secundum rationem superiorem, ita, ut nisi referantur in Deum, secundum substantiam sint recti, sed attenta finis circumstantia sint male facti. Atque his prior sententia magna probabilitate defenditur.

14. Objectio 1ma. Non desunt tamen oppositæ argumentorum præsidia; eaque ordine eodem ad tria capita revocabo. Sunt eadem plane quæ Prop. 1. cap. præcedentis prolata sunt ad probandum omnia infidelium opera non esse peccata. Itaque 1. afferunt Scripturarum sanctarum, & definitionum Ecclesiæ venerabilem auctoritatem. Etenim Apost. ad Rom. 2. ait, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Damnata est etiam 22. propositio Baji, *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apost. ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, &c. intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Similiter damnata est prop. 27. *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet:* & 25. *Omnia Infidelium opera sunt peccata.*

15. Solvitur. Respondent Assertores primæ sententiæ, testimonium Apostoli fuisse olim objectum à Juliano, ut inde evinceret virtutes Romanorum fuisse moraliter bonas. At Augustinus lib. IV. cap. 3. nec non de Spir. & lit. cap. 27. respondet Juliano Apostolum loqui de Gentibus ad fidem conversis; ita ut τὸ *naturaliter* accipiendum sit per oppositionem ad legem Mosaicam, non per oppositionem ad Gratiam. Quam responsionem nos quidem reprobare non possumus. At de ea rursus cap. proximo. Ad Bajum quod attinet, dictum supra ab eo nullam admissam fuisse gratiam nisi *habitualem*, & nullum in peccatore, vel infideli opus, quod peccati macula intrinsece non vitietur: quam impiam, hæreticamque doctrinam Catholici omnes repudiant. Persistunt tamen alii in sententia, propterea quod S. Pater citato cap. 7. de Sp. & lit. Et Prosper contra Collatorem cap. 22. aliique PP. commemorati cap. præcedenti admittunt hanc quoque interpretationem, quod Gentes naturaliter plura faciunt secundum justitiæ regulam laudabilia, quia detrita in eis omnino non est Dei imago, neque rationis lumen extinctum. Articulus autem Baji 27. simplex est, ideoque neque damnatus est propter censuræ acerbitatem, ut forte vicesimus secundus: nec relative ad alios errores Baji, sed propter falsitatem obviumque sensum verborum; & consequenter possumus nativa arbitrii facultate plura efficere, quæ nulla peccati labe inquinentur. Hæc illi.

16. Objectio 2da. Secundo loco probant posse hominem lapsum elicere aliquod opus bonum morale auctoritate Patrum. Origenes lib. 2. in Epist. ad Rom. cap.

cap. 2. Chryſoſtomus Hom. 67. ad Populum Antiochenum, Hieronymus in Epiſt. ad Demetriadem, & Gregorius hom. 25. in Evang. docent Gentiles, philoſophos, omnesque homines poſſe ex viribus naturæ eſſe caſtos, liberales, & cognatorum amatores. S. Pater Auguſtinus, præter ea, quæ habet cap. 27. & 28. de Spir. & lit. ſerm. 385. alias 38. inter Hom. 50. primo explicat amorem perfectum ad æternam ſalutem adducentem, deinde perverſum ac deteſtabilem divina humanaque lege damnatum, cujusmodi eſt immundus amor adulterorum, poſtremo enumerat honeſtos amores licitos, & naturæ conſentaneos, qui à conjuge ad filios, à filiis ad propinquos à propinquis ad extraneos, ab extraneis ad inimicos perveniunt. Itaque datur per Auguſtinum honeſtus amor, qui nec flagitioſus eſt, nec perfectus. Denique S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. docet poſſe hominem *etiam in ſtatu naturæ corruptæ aliquod bonum particulare agere.*

17. Rejicitur.

Hæc omnia facile diluunt prioris ſententiæ Propugnatores, reponentes fieri plura ſine gratia, quæ bona ſunt quantum *ad ſubſtantiam*, non quantum *ad modum*, ſcilicet in ordine ad finem ultimum. Atque hanc mentem eſſe Auguſtini liquet ex dictis. In ipſo quoque Serm. 385. quem pro communiori ſententia erudite verſat Cajetanus Benitez Diſſert. 3. dub. 2. n. 21. Auguſtinus diſtinguit in honeſtis amoribus amicitiam conſuetudinis, & rationis. Et illa quidem, quæ coaleſcit inter homines per conſuetudinem cohabitandi, & colloquendi, moralis dicenda non eſt, cum habeant illam & pecora: ut exemplo duorum equorum ſimul manducantium comprobat S. Pater. Amicitia autem rationis eſt cum diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam. At quemadmodum maritum, uxorem, filios, & amicos, quos hac ratione diligimus, volumus eſſe incolumes; ita qui intelligit quænam ſit vera ſalus, debet illam amare in ſe, & ipſam amare in amico. Enimvero ſi hanc veram ſalutem deſeramus, amando creaturam fieri adulteros ibid. num. 6. probat ſingulari ratiocinio Auguſtinus. Igitur non video, quomodo in hoc ſermone vulgaris ſententia tradatur.

S. Thomas loco citato expreſſe docet non poſſe hominem lapſum agere *totum bonum ſibi connaturale, ita ut in nullo deficiat;* quod perinde eſt, ac ſi diceret poſſe etiam ſervare præcepta & bene moraliter operari *quoad ſubſtantiam*, non *quoad modum*; ut loquitur de Verit. q. 24. art. 14. ad 1. & 2. Ex hoc loco opponit Fortunatus Venerius Q. 3. de Grat. art. 4. n. 60. Angelicum Doctorem aſſerere poſſe hominem lapſum per liberum arbitrium complere opus bonum quod eſt humanæ naturæ proportionatum, eoquod proferat exemplum eleemoſynæ ſpectantis ad opus bonum morale. At eodem in loco diſtinguit S. Thomas *ſubſtantiam* operis à *modo* agendi, negatque actum eleemoſynæ eſſe homini connaturalem, *in quantum inducitur ex charitate, quæ mentem hominis Deo unit.* Qui ergo hanc unitionem ad bonum opus, quod tale ſit undequaque, & ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum, exiſtimant neceſſariam; affirmabunt ſe beato Thomæ penitus conſentire. Accedit quod S. Doctor eodem articulo affirmat, ſe de gratia *habituali*, non de actuali inſtituere diſputationem hoc inſigni teſtimonio haud ignave ponderando: *Omnes exteriores motus à divina providentia moderantur, ſecundum quod ipſa judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his, vel illis actionibus: unde ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed miſericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poterit facere ſine gratia Dei. Sed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante.* His omnibus occurrent Thomiſtæ dicendo D. Thomam exigere gratiam actualem ad bonum opus ordinatum ad ſalutem hominum. Ita eſt. At opus ad ſalutem non ordinatum bonum eſſe undequaque negant adverſarii, reditque diſputatio ab extremis ad capita.

18. Objectio 3tia.

Veniunt tertio jam loco momenta rationum. Prima eſt, quod Deus obſtetricibus Ægyptiis, Cyro, Nabuchodonoſori, Romanisque idololatris ob morales virtutes mercedem reddidit temporalem, ut ſupra vidimus. Altera, quod ſpecialis gratia non requiritur ex parte intellectus, cum adhuc vigeat lumen rationis; neque ex parte voluntatis, quia liberum arbitrium extinctum non eſt, nec valet tantum ad malum, ut commentus eſt Bajus. Tertia, quia Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium nobis ad exemplum proponit Gentilium parſimoniam atque ſobrietatem: ad easque virtutes omnes homines exhortamur; quod profecto non fieret ſi bona non eſſent. Quarta: Nec gratia ad ope-

ra

ra moralium virtutum necessaria est ob luctam inter rationem ac sensum; tum quia sensus non semper rationi adversatur, ut dum nobis exhibet parentes, filios, pauperes honorandos, sublevandos, educandos: tum etiam, quia opus honestum aliquando est sensui simul & rationi conforme, ut amicum redamare, & debitum reddere uxori. Postrema: Ad opus morale bonum non requiritur ut referatur in Deum, & sat est si non referatur in finem pravum. At quidquid agitur motivo honestatis, non refertur in finem pravum. Ergo est bonum morale.

19. Refutatur. Respondent ad primum, bona opera quibus Deus mercedem rependit aut non fuisse facta absque gratia, quod præsertim de Obstetricibus Ægyptiis, de Cyro, & Nabuchodonosore aliquando inter Judæos versatis dici potest: vel idcirco mercedem illam fuisse temporalem, quod essent bona ex objecto & officio. Etenim si bona opera fuissent undequaque, Deus justus iisdem reddidisset mercedem etiam æternam; quoniam illud bonum est in Augustiniana Theologia, quo homo ad æternum Dei donum dirigitur. Secundum dissolvunt dicendo utrumque ad gratiam pertinere, & honestam cogitationem, & pium voluntatis affectum, ut vidimus cap. 1. prop. 2. ideoque viget adhuc lumen rationis ut speculative veritatem apprehendat, non ut piis studiis inhæreat; & validum est sine gratia liberum arbitrium quantum ad officia virtutum, non quantum ad finem, in quem sunt dirigendæ, ne habeant inflationem superbiæ, & exitiosum tumorem. Tertium eadem facilitate expeditur; nam parsimonia & sobrietas Gentilium nobis in exemplum proponitur, considerato duntaxat virtutum officio, non fine: alioqui fas esset operari ob fastum inanem humanæ gloriæ, quomodo gentiles operabantur; quod in eadem Epistola 99. ad Evodium S. P. jure meritoque refellit. Hortamur vero ad morales virtutes bene ac sapienter, cum non sint intrinsece & secundum substantiam malæ, licet non sint defectu intentionis omnino bonæ: eamque intentionis deficientiam nemo prudens hortatorio sermone suadet. Ad quartum eadem est adhibenda responsio; nam sensus quandoque consentaneus est rationi inferiori, & comparate ad objectum operum honestorum, at non rationi superiori, & relate ad finem hujusmodi operum sensibilia, imo & creata omnia excedentem. Quippe multa cogitantem deprimit terrena inhabitatio, ut habetur Sap. IX. v. 15. id est, aggravat ne sursum mens ascendat terrenis cupiditatibus implicata. Illud, quod postremo loco positum est, probat opus non ordinatum ad pravum finem non esse intrinsece, positive, & quantum ad substantiam attinet vitiatum, & à radice malæ cupiditatis erumpens, ut falso opinatus est Bajus. Cæterum non probat esse bonum undequaque, etiam extrinsece, & considerata omissione finis debiti. Atque ex his constat quibus argumentis utraque sententia communita est.

20. Declaratur ulteriùs propositio. Versatur inter utramque opinio nostra. Adhæremus priori, quatenus nullam virtutem veram propriamque agnoscit, quæ sistat in re creata, quoniam virtus tendit in bonum melius; ut docet Augustinus, & idea virtutis commonstrat: nulla autem creatura melior est, quam sit mens rationalis. Negamus tamen hominem, qui operatur ob intimam, naturalem, & ingenitam ideam honestatis, non agere bonum moraliter, sed opus vitio labefactatum: quoniam vitium non est, nisi à voluntate faciendi quod vetat summa illa & incommutabilis lex veritatis. Dicimus hanc veritatis ideam, & legem incommutabilem non esse in homine lapso penitus detritam, ideoque interdum exhibere hominum menti opus peragendum licitum atque honestum, neque ad hoc necessariam esse gratiam Fidei, sive quod Deus se manifestet tanquam auctorem supernaturalium donorum. Concedimus virtutes esse superbas & inflatas, si referantur ad seipsas, scilicet, si appetantur, ut conferatur animo decor continentiæ ac probitatis, quoniam tunc humanæ gloriæ deserviunt, & multum habent inanitatis: sed nego referri ad se ipsas, si fiant propter ingenitam rationem honestatis; quoniam hæc ratio, cum sit una, summa, & immutabilis, ipse Deus est, intime nobis præsens, non quidem ut speciale objectum, sed ut universalis regula veritatis. Dico opera hujusmodi regulæ consentanea, etsi in Deum non referantur explicite, quod necessarium est ut ad æternam vitam perducant, referri implicite; non quod intrinseca bonitas honestorum operum se ipsa referatur in summum bonum, id enim necessarium & naturale est, non liberum, & morale; sed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honestatis, quæ implicite est ipse Deus. Atque hoc

hoc arbitror sufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis; quia ne sit vitii labes, sufficit uniformitas legis naturaliter nobis inditæ.

21. In Ordine ad praxin præcipuè.

Hæc tamen cum speculative vera sint, præmissisque Augustinianæ doctrinæ præceptionibus perspicua satis: *practice* loquendo affirmo nunquam hominem lapsum agere convertendo se ad illam intimam legem absque cupiditate & philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ex speciali gratia. Quod probat S. Pater Augustinus lib. IV. contra Julianum cap. 3. scribens: *Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum rationali mente præstantius. Unde fit consequens ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quam quælibet alia creatura. Quam vero periculose, imo pernicioſe sibi placeat, cum per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur quamdiu non videt, sicut videbit in fine summum illud & immutabile bonum, in cujus comparatione se spernat, sibique illius charitate vilescat, &c.* Igitur ut in praxi opus aliquod honestum sit, non debet à summa, & intima lege deflecti. At homo lapsus magis se delectat seipso, quam summo bono, si non ei sancta delectatio inspiretur; quoniam sine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiscentia: cujus desideriis non obedire, ut S. D. cap. 62. de Nat. & Gratia, & ubique commonet, absque gratia Salvatoris non possumus. Igitur inhærere legi honesta præcipienti ita, ut amore sui animus non tumescat, Gratiæ beneficium est, per quam motus concupiscentiæ reprimitur. Eodem pacto de turpi delectatione excitata à multiformi temporalium specierum imagine est differendum. Habitans enim lex in corpore nostro mortali, & mutabilis varietas hominem lapsum per carnales sensus diverberans, nisi succurrat gratia medicinalis, rapit voluntatem ac deprimit. Est ergo virtus animi *habitus* naturæ modo, atque rationi consentaneus. Ratio non est per peccatum extincta, & voluntas etiam velle & agere potest, quæ ad præsentem pertinent vitam. Veruntamen quod vis affectuum insit naturaliter rationabili animo, & pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia dirigantur, est sententia Juliani, quem ita S. Pater alloquitur: *Hæc ubi didiceris, nescio.* Speculative itaque postrema sententia probabilis est, *practice* verissima est altera; quamquam nec ista videtur tanto rigore tenenda, ut vitiosum sit opus, quod non refertur explicite in Deum. Quæ si minus placeant, consulto præposui & exornavi Doctorum scita, ut illud hac mea lucubratione facem præferente tuearis, quod rationi magis videbitur consentaneum.

CAPUT IV.

Ostendit Gratiæ actualis necessitatem ad observanda præcepta Decalogi.

SUMMARIUM.

1. Ad observanda præcepta cogimur quærere auxilium.
2. Falsa opinio aliquorum refutatur.
3. Rejicitur alia quoque responsio.
4. Non possumus sine gratia Deum diligere super omnia.
5. Probatur propositio.
6. Ac confirmatur ulteriùs.
7. & 8. Objectio adversariorum solvitur.
9. & 10. Objectio ulterior declaratur.
11. Quid dicendum de sententia recentiorum.
12. Etiam amor Dei inchoatus ex Deo est.
13. Quid sentiendum de homine in statu naturæ puræ.
14. Usque ad 25. solvuntur variæ objectiones.

EPIGRAMMA.

Non servit jussis Legis prudentia carnis,
Peccati stimulos nec superare potest.
Sed qua mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere divinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, ut poscatur gratia Christi,
Ardua qua Legis jussa queant fieri;
Nec jam non valeant carnales vincere sensus,
Quos justæ legis Conditor ipse juvat.

1. Ad observanda præcepta cogimur quærere auxilium.

PROPOSITIO I. Ad observanda divina præcepta, ut oportet, ob anceps judicium mentis, animique corpore gravati ægritudinem, cogimur divinum quærere auxilium.

Dixi, *ut oportet*, id est sine ullo pravo aut inanis gloriæ, aut voluptatis fine, sive, ut est in usu sermonis, *quoad modum*. Quod enim præcepta saltem faciliora, & nulla gravi tentatione pulsante, quale est honorare parentes, impleri queant sine gratia, quantum attinet ad substantiam & officium ipsorum, producta Romanorum exempla & præcedens disputatio commonstrant. Hæc autem propositio pariter ex dictis infertur. Nam servare quodlibet mandatum, *ut oportet*, debet esse sine transgressione legis præcipientis, ut opus rectæ rationi sit consentaneum, nec virtus sit ancilla voluptatis, aut deserviat exitioso tumori. At istud sine auxilio gratiæ haberi, saltem in praxi, non potest. Igitur absque gratia legis præcepta, ut oportet, impleri non possunt.

Probatur 1. auctoritate Conciliorum & PP. Milevitana Synodus can. 4. ait: *Quisquis dixerit, eandem gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam etiam præstari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit.* PP. Concilii Carthaginensis in Epist. ad Innocentium inter Augustin. 90. nunc 175. perstringunt Pelagianos, quoniam persuadebant hominibus animalibus non percipientibus quæ sunt spiritus Dei, *ad operandam, perficiendamque justitiam, & Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam, non attendentes quod scriptum est, Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Idque paucis interjectis comprobant argumento satis in Schola nostra trito & communi, petito ex orationibus, quibus intellectum & charitatem postulamus ad legem scrutandam, & faciendam. Quod repetitur, & magis inculcatur proxima Epistola 95. nunc 177. S. P. Augustinus de Grat. Ch. cap. 26. postquam ostendit dilectionem, qua divina mandata complemus, donum esse Dei miserantis, qui prior dilexit nos, antequam illum nos dilexerimus, inquit: *Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando, non à diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide peccatum est*, scilicet cupiditatis vitio, aut inanis gloriæ tumore corruptum, ut supra explicavi. Hujus autem generis si omnia vellem proferre, infinitus forem, ac verba profunderem.

2. Falsa opinio aliquorum refutatur.

Falsum est autem quod aliqui reponunt Conc. Milevitanum, & Carthaginense, Innocentium Romanum Pontificem, Augustinum, & alios Pelagianæ hæresis impugnatores gratiam asseruisse necessariam, non ad *simpliciter*, sed *ad facilius* præcepta implenda Decalogi, aut saltem ad ea servanda in ordine ad vitam æternam, unde & PP. & Concilia apposite adhibuerint ea verba, *ut oportet*. Prior enim responsio quomodo ab errore Pelagii differat, ego quidem non video: quoniam & ille in altero sui erroris statu gratiam *ad facilius* implenda mandata increpatus à fratribus non denegavit. Exploditur etiam ea responsio sequenti Canone v. Milevitano: *Item placuit, ut quicunque dixerit gratiam dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.* Sive ergo *facilius*, sive *simpliciter* Dei mandata nequeunt sine gratia adimpleri.

3. Rejicitur alia quoque responsio.

Altera autem responsio inprimis refutatur ex dictis; quippe non observantur inculpate mandata, nisi cupiditas & inanis gloria procul abscedant; quod diximus munus esse gratiæ medicinalis. Deinde memorati PP. Carthaginenses citata Epistola probant non posse institutam hominis naturam per propriam voluntatem sine gratia implere Dei legem, sive naturalem in corde conscriptam, sive in literis datam, eoquod condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, & vincere legem sitam in membris, & captivantem in lege peccati munus est gratiæ; de qua ad Rom. VIII. ait Apostolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Atque hoc pariter argumentum est in Augustino frequentissimum. Igitur Spiritus nos adjuvare debet non solum ut in vitam æternam nitamur, verum etiam ne opus legis pravo fine inquinetur, & lex membrorum interiori legi prævaleat. Nec illud insuper percipere possumus, quomodo æternam vitam minime consequeretur quisquis absque ullo vitio obtemperaret divinæ legi; cum in Evangelio Matthæi cap. XIX. v. 17. legatur.

Si

Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata; & apud Auguſtinum de Nat. & Grat. cap. 2. *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt vita æterna; etiam ſi in aliqua gente, aut in aliquo ſuperiore tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti.* Præterea ſi fatentur Adverſarii neceſſitatem gratiæ ad implenda præcepta, *ut oportet*, neceſſum eſt, ut fateantur hoc idem de obſervantia præceptorum, quæ nulla intentione vitietur. Fit enim *ut oportet*; quod fit ut præcipitur, fruendo Deo, non creaturis, & bono incommutabili, non occiduis hærendo: id vero, quemadmodum dictum eſt capite præcedenti, & propoſitione, quam nunc ſubjicio, dilucide planeque explanabitur, poſtulat divini muneris largitatem.

4. Non poſſumus ſine gratia Deum diligere ſuper omnia.

PROPOSITIO II. Non poſſumus absque Gratia carnales vincere ſenſus, atque ſuper omnem creaturam diligere Deum; quod eſt in lege maximum, & primum mandatum.

Explicatur ac ſimul probatur hæc propoſitio. Dum quærimus an poſſimus ſine ſpeciali gratia ſervare primum legis mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, non inſtituitur diſputatio de Amore Dei, ut comprehenditur ſub communi ratione boni, ſive ut animus noſter fertur naturali inſtinctu in beatitudinem, quæ nulla eſſe poteſt præter ipſum Deum; ipſe enim ſolus rationali creatura melior eſt, eamque poteſt ſatiare, atque perficere. Talis quippe amor inditus eſt, neceſſarius, naturalis, neque eſt materia præcepti. Similiter non diſputatur, num ſine gratia amare poſſimus Deum, ut auctor eſt ſupernaturalium donorum, fidei, juſtificationis, beatitudinis credentibus ac diligentibus repromiſſæ, atque ut eſt in ſe Trinus in Perſonis; quæ omnia extra dubitationem eſt longe antecellere viribus mentis, ac voluntatis noſtræ nativis. Non eſt pariter quæſtio an homo Auctorem ſuum diligere poſſit absque gratia amore concupiſcentiæ, non propter ſe ipſum, ſed unice propter proprium commodum atque utilitatem: quo pacto ſi ametur, eo utimur, & delectamur nobis ipſis, conſtituentes ultimum finem in creatura. Inquiritur, utrum Deus amari poſſit ſuper omnia, ita ut impleatur primum naturalis legis præceptum quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad modum, ſcilicet ametur Deus amore benevolo ac propter ſe ipſum, nec ſit amoris medium, ſed finis. Enimvero ſi Deus diligatur propter aliud, nullo modo diligitur ſuper omnia; quoniam, ut inquit D. Bernardus de Diligendo Deo, *Quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis protendit, non per quod tendit.* At non poſſumus Deum amare gratis, & propter ſe absque dono gratiæ ipſius. Igitur ſine gratia implere non poſſumus primum legis naturalis præceptum.

5. Probatur poſitio.

Minorem probo SS. Doctorum auctoritate, & ratione. S. P. Auguſtinus in IV. contra Julianum cap. 3. *Amor Dei*, inquit, *quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu ſancto. Per hunc amorem Creatoris benè quisquis utitur etiam creaturis: ſine hoc amore creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis.* Et de Grat. & lib. arb. cap. 18. *Lex autem ſine gratia litera eſt occidens, in gratia vero Spiritus vivificans: unde eſt nobis charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* D. Bernardus in libro nuper laudato, *Difficile, imo impoſſibile eſt ſuis quempiam, liberive arbitrii viribus ſemel accepta à Deo libertate ad Deum ex toto convertere voluntatem, & non magis ad propoſitum retorquere, ſicut ſcriptum eſt, Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* D. Anſelmus de Concordia libert. cap. antepenultimo docet, *voluntatem poſt deſertam juſtitiam factam ancillam ſuæ affectionis, quæ ad commodum eſt.* Et S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. ait: *Unde homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius referebat ad amorem Dei ſicut ad finem, & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum: & ita Deum diligebat plusquam ſe ipſum, & ſuper omnia. Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ per corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei.* Ratio autem ex dictis eſt manifeſta. Deus enim tunc diligitur propter ſemetipſum, quando recte utimur creaturis, & omnia ad ipſum, non ad privata bona referuntur: ut modo dicebamus cum D. Thoma, & dicimus ab Auguſtino diſputante contra Julianum, & lib. 1. de Doctr. Chriſtiana cap. 4. & 22. Atqui ſine gratia recte non utimur creaturis, quemadmodum conſtat ex dictis. Non ergo ſine gratia Deum propter ſemetipſum diligimus.

6. Ac confirmatur ulteriùs.

Eadem positio argumentationibus aliis apud Nostrates communibus corroboratur. Veniunt primo loco divinæ literæ, quæ charitatem inter præcipua dona Spiritus sancti commemorant. Ad Rom. v. 5. scribit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et prima Joannis cap. IV. *Charitas ex Deo est*: unde gratiam inspirantem dilectionem frequentissime probat S. Pater. Legito de H. P. cap. 5. & 6. Accedunt Canones Conciliorum. Milevitani can. 4. *Utrumque Dei donum est, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Arausi. 2. can. 25. *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* Et Trident. Sess. VI. can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, & diligere, sicut oportet, anathema sit.* Præclara est sententia S. P. Augustini in Epist. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Quam sententiam ita esse accipiendam, ut propter originale peccatum homo contraxerit vulnus concupiscentiæ, atque opus habeat gratia Liberatoris, demonstravi de H. Calviniana cap. 3. Postremo suffragatur sententiæ nostræ ipsamet ratio. Etenim rationalis creatura diligens Deum ut auctorem naturæ super omnia, habet bonam voluntatem, qua illi caste adhæret, & melior fit, quam non habens bonam voluntatem. Atqui sine charitate, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, non potest rationalis creatura habere bonam illam voluntatem, ut disertissime demonstrat S. Pater in Duodecimo de Civit. Dei cap. 9. Igitur sine charitate, quæ in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffunditur, Deum auctorem naturæ diligere non possumus super omnia.

7. Objectio adversariorum.

Sunt hoc loco breviter elidenda responsa Adversariorum: qui ad omnia hactenus producta respondent: his probari duntaxat non posse hominem lapsum diligere Deum auctorem supernaturalium donorum viribus propriis, posse tamen illum diligere ut Auctorem naturæ. Atque de ipso Deo Auctore supernaturali accipienda esse verba Augustini, Conciliorum, divinæque Scripturæ inde conjiciunt, quod Augustinus funem disputationis duxerit cum Pelagianis supernaturalium gratiarum oppugnatoribus; Concilia vero loquantur de illa charitate, quæ ad justificationem viam sternit. Ac propterea inquiunt consulto addidisse verba illa, *Ut oportet.*

8. Solvitur.

Haud difficile est hanc responsionem pluribus titulis falsam convellere. Principio nullum in Augustino offendes vestigium, unde suadere possis, institui ab illo disputationem de Amore Dei, ut supernaturalium donorum Auctor est. Imo superat intelligentiam nostram, quod Pelagiani non plane rudes, sed acutissimi Dialectici gratiam negaverint necessariam ut animus in Auctorem supernaturalem trahatur: sed uti rationalem creaturam naturaliter rectam nullaque originaria labe inquinatam, & legem vel singulorum insculptam cordibus, vel prædicatione manifestatam putabant; ita cohærenter loquendo ad servandam legem naturalem sufficere autumabant possibilitatem naturæ, ad amplectendam servandamque legem Evangelicam donum supernæ illustrationis, quod non deesset ipsam naturalem legem servantibus. Atque hæc esse dogmata Pelagiana nemo unus in historia hujus hæresis paululum versatus inficiabitur. Quapropter dicendum est, sanctum Doctorem dum gratiam propugnat ad diligendum Deum, atque ad implenda mandata, loqui de lege etiam naturali singulis hominibus amorem Creatoris præcipiente. Atque id eo maxime; quod nullibi inveneris prædicari ab Augustino necessitatem divinæ gratiæ medicinalis, nisi ob vulnus pugnacis concupiscentiæ, & corruptionem naturæ per Christum sanandæ; non quod objectum dilectionis naturæ universæ transcendat constitutionem. Consentit autem Augustino etiam beatus Thomas. Deinde amor Dei, ut est naturæ Auctor, etsi non est supernaturalis quantum *ad substantiam*; est sententiâ Nostrorum supernaturalis *quoad modum*; propterea quod voluntas infirma magis ad bona sensibilia, quam ad summum protendat. Postremo S. Pater in lib. IV. contra Julianum cap. 3. diserte loquitur de Amore Creatoris. In libro etiam de Civit. Dei XII. disputat de Bona voluntate, *quæ non ad ipsam rationalem creaturam, quæ minus est, sed ad illum qui summe est, convertitur.* Ad hæc duo, Creatorem esse, & summe esse, Deo, ut est Auctor naturæ, conveniunt. Igitur si à gratia est amor Creatoris, & bona voluntas quæ non convertitur ad creaturas; à gratia est quilibet amor Dei super omnia. In Epistola autem ad Vitalem causam è vestigio afferens, cur perdidimus liberum arbitrium ad diligendum Deum, ait, *Et lex Dei atque doctrina, quamvis sancta & justa*

&

& bona, tamen occidit, si non vivificet Spiritus, per quem fit, non ut audiendo, sed ut obediendo, neque ut lectione, sed ut dilectione teneatur. Igitur sine subministratione Spiritus sancti nullum legis præceptum ita dilectione tenetur; ut subrepente tumore superbiæ, aut exitiosa cupiditate lex non occidat.

9. Objectio ulterior declaratur.

Idem dicendum omnino de allatis textibus Scripturarum, & Conciliorum definitionibus. Primo quia absolute & nulla adhibita distinctione affirmant charitatem esse donum Dei Deinde Joannes in Epistola prima cap. 4. demonstrat esse ex Deo charitatem, qua diligimus nos invicem: hanc vero quantum ad objectum naturalem esse, nemo est qui non videat. Est autem Amor proximi ex Deo, quando non ad aliquam creaturam, sed ad Creatorem ipsum refertur, ut infra in solutione oppositionum demonstrabo. Præterea si diligatur Deus, *ut oportet*, omnium consensione, est donum Gratiæ, idque Concilia definiunt. Sed amor Dei ut Auctoris naturæ super omnia est amor, quo diligitur Deus, *ut oportet*; Ergo hujusmodi amor donum est gratiæ. Minor in Augustiniana Theologia nequit in dubium revocari. Enimvero amor, ut vidimus, rectus est, atque, *ut oportet*, quotiescunque bene utitur creaturis, quotiescunque bono aliquo creato non fruitur. Porro si diligamus Deum tanquam Creatorem universorum super omnia, utimur, non fruimur creaturis, neque ad istas quæ minus sunt, sed ad illud quod summe est voluntate convertimur. Igitur erit hæc dilectio, *ut oportet*. Ad hæc: dilectione ista amatur Deus gratis & propter se. Quisquis autem negat dilectionem, qua Deus amatur gratis, non esse, *ut oportet*, aperte Augustino contradicit; ut liquet ex lib. 1. de Doctrina Chr. c. 22. de Civ. Dei lib. XI. c. 25. & Ench, c. 121. nam si Deus ametur gratis, & per se ipsum delectet; amore inhæremus bono incommutabili, neque charitatem nostram privatum fluxumque aliquod bonum relaxat. Insuper canon. 3. Sess. VI. Tridentini addidit particulam *ut oportet*, ex Canone 6. & 25. secundi Arausicani, atque istud ex nuper laudato cap. 121. Enchiridii ut constat ex collatione verborum. Augustinus verò eo loco Enchiridii affirmat quæcunque Deus mandat, fieri *ut oportet* cum *referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.* Dummodo ergo diligatur Deus propter Deum; amabitur *ut oportet*. Demum diligitur, *ut oportet*, quotiescunque diligitur ut ipse præcipit: Si diligatur gratis, propter se, & super omnia, diligitur, ut ipse præcipit: Ergo diligitur, *ut oportet*. Perperam itaque detorquent nonnulli has particulas ad solam dilectionem Dei donorum supernaturalium largitoris.

10. Ac rejicitur.

Quod addunt sacrosancta Concilia loqui de charitate prout ad justificationem æternamque vitam perducit, verissimum est: sed magis sententiam nostram confirmat. Amor quippe quo bene utimur creaturis, amor quo summo bono inhæremus, quo Deum diligimus *ut oportet*, amor gratuitus, castus, benevolus justificationis principium est, & ad vitam perducit; ut diximus præcedenti propositione. Talem vero esse amorem Dei Auctoris naturæ, hactenus probatum est. Insuper necesse non est ad reconciliationem obtinendam detestari peccatum, tanquam offensam Dei auctoris gratiarum supernaturalium, sed ex præscripto Conciliorum ac Patrum, imo ex Contritionis formulis probatis usu universorum fidelium, perfecta est contritio si detestemur peccatum tanquam offensam Dei summe boni atque amabilis super omnia. Possumus autem ita peccatum detestari per amorem Dei ut Auctoris naturæ; quia sub hac potissimum ratione Deus est summum bonum, infinitum ac perfectissimum. Insuper in Schola Augustini sicut peccat quisquis avertitur à summo bono, & convertitur ad creaturas; ita ad justificationem disponitur quisquis se avertit à creaturis, & convertitur ad summum bonum. At per amorem Dei auctoris naturæ, dummodo sit gratuitus & super omnia, à creaturis ad summum bonum convertimur. Igitur per hujusmodi amorem disponimur ad justificationem. Atque his Adversariorum nostrorum responsa apertissime revincuntur.

11. Quid dicendum de sententia Recentiorum.

Video ex Recentioribus aliquos mediam sententiam tenere, affirmantes posse hominem lapsum sine speciali auxilio diligere Deum Auctorem naturæ amore imperfecto & inchoato, non autem perfecto & super omnia. Quæ opinio, si amorem imperfectum dixeris illum, per quem Deus rebus creatis postponitur, neque amor Dei dicendus est, ut prænonui præclarissimâ sententiâ Bernardi, neque rectus est, sed ordinem naturæ pervertens, utpote rebus temporalibus fruens, & fluxis bonis inhærens, quemadmodum de avaris Deum propter nummum colentibus cap. 25. lib. XII. de C. D. docet Augustinus. Si vero amorem imperfectum dicas illum, qui positive nullam creaturam Deo præfert, sed ab his

his abstrahit; juxta præcedentem disputationem nostram de Operibus bonis moraliter, dicendum est hujusmodi amorem saltem in praxi non dari, cum magis animum nostrum trahat appetitus rerum sensibilium, aut humanæ gloriæ, quam bonum incommutabile, ut supra ex Augustino & Thoma probatum est.

12. Etiam Amor Dei inchoatus ex Deo est,

Honoratus Tournely, qui de Grat. Ch. lib. 2. q. 4. art. 3. mediam hanc sententiam amplectitur, suis argumentationibus refutatur. In prima enim conclusione pag. 421. Ven. edit. recte scribit vitiosum ac perversum esse amorem, per quem positive aliquid Deo præfertur. Sequenti Concluſ. probat hominem lapsum sine gratia non posse diligere Deum super omnia amore affectivo, auctoritate D. Thomæ superius producta ex 1. 2. q. 109. art. 3. Atqui expresse ibidem docet S. Thomas hominem propter corruptionem naturæ, nisi gratia sanetur, magis sequi bonum privatum, quam Deum. Igitur sine speciali Gratiæ auxilio homo lapsus bonum privatum Deo præfert; & consequenter diligit Deum amore, si non *quoad substantiam*, saltem quoad *modum* vitioso ac perverso. Probat ibidem Tournely assertionem suam ex canone 25. Synodi Arausicanæ definientis neminem per liberum arbitrium peccato primi hominis attenuatum posse diligere Deum, sicut oportet: & veritate cogente fatetur adversus Suaresium hunc Canonem esse accipiendum de Amore Dei etiam ut Auctoris naturæ, quoniam Synodus Arausicana repetit impotentiam hominis lapsi ad diligendum Deum super omnia, etiam ex infirmitate per arbitrium contracta. At Canon præfatus non distinguit inter amorem Dei inchoatum & perfectum, sed absolute pronunciat, *Prorsus donum Dei est diligere Deum*, & *nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper*. Igitur quilibet amor Dei super omnia, etiam inchoatus & imperfectus, ex Deo est. Et quidem Semipelagiani ab eadem Synodo condemnati, uti pium aliquem affectum, ita fidei initium volebant ex nobis esse; ideoque declaravit hæc Synodus citato canone neminem posse, nisi gratia prævenerit, *aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum*. Atqui ex dono gratiæ est fides non solum perfecta, verum etiam inchoata, ut cum Augustino cap. 9. de Prædestinat. Sanctorum declarat eadem Synodus canone 5. & 6. Igitur ex dono gratiæ est charitas, & amor Dei non solum perfectus, sed etiam inchoatus. Videatur S. Pater etiam de Gratia & lib. arb. cap. 19. ubi deplorat tenebras, & ineptias Pelagianorum, qui cum scientiam legis ex Deo esse faterentur, volebant charitatem, quæ facit ut scientia inflare non possit, esse ex nobis ipsis. Atque ne plura persequar; illius operis, cujus incrementum est à Gratia, à gratia debet esse principium, ut Deo totum tribuatur, & nemo credat sè priorem dedisse inchoatam dilectionem, ut ei retribuatur perfecta. Quæ tamen omnia disputationis causa, & absque ulla in oppositam opinionem censura, dicta sint.

13. Quid sentiendum de homine in statu naturæ puræ.

Quæret fortasse aliquis, an in statu puræ naturæ Deum super omnia posset homo diligere. Si statum illum arbitraris possibilem, respondebis affirmative, eoquod tam Synodus Arausicana, quam Augustinus & Doctor Angelicus videntur repetere dilectionem Dei ex gratiæ adjutorio, propterea quod liberum arbitrium granditate primi peccati attenuatum sit, & voluntas ob naturæ corruptionem magis in bona commutabilia protendat. Si vero in oppositam sententiam declines, respondebis idcirco à te statum puræ naturæ denegari, quoniam in eo statu teneretur homo ad amandum Deum super omnia, atque si hoc faceret, bonam voluntatem haberet, & ad vitam perveniret æternam. Quod dubio procul divinæ gratiæ postulat adjutorium. In hac autem hominum conditione dicendum est ob vitium naturæ pravamque inclinationem arbitrii necessariam esse gratiam medicinalem sanantem vulnus concupiscentiæ; cum in statu naturæ integræ sufficeret auxilium Dei moventis. Atque hæc doctrinæ S. Thomæ videntur consentanea. Non est igitur necesse cum hac præsenti quæstione illam etiam de possibilitate puræ naturæ implicare: & huic cum Thomistis fere omnibus subscribunt Bellarminus, Vasquez, Suarez, & alii, qui alteram quæstionem oppugnant. De illa disserui in Supplemento lib. XII. eamque in præsentia, ut me pede & modulo meo dimetiar, censeo prætereundam.

CONTRARIA ARGUMENTA EXPEDIUNTUR.

14. Objectio prima,

Objicies primo. Deuteronomii cap. XXX. v. 11. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum*: & v. 14. *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.* Esaiæ 44. versu ult. de Cyro legitur: *Omnem voluntatem meam complebis.* Marc. x. 19. quidam audiens commemorari à Christo præ-

præcepta legis ait: *Magister hæc omnia servavi à juventute mea.* Et v. 21. *Jesus intuitus dilexit eum.* Paulus etiam ad Philipp. III. v. 6. testatur se ante conversionem suam, justitiam, quæ in lege est, servasse sine querela. Possunt ergo etiam ab homine lapso præcepta legis sine speciali gratia adimpleri.

15. Solvitur. Resp. falsam esse consequentiam. Nam in Deuteronomio dicitur mandatum prope & in corde, quoniam in cordibus nostris diffunditur charitas, atque *ibi est fides, quæ per dilectionem operatur*, inquit Augustinus q. in Deuteronomium quarta & quinquagesima. Atque hunc esse verborum Deuteronomii sensum constat ex Epist. ad Rom. cap. 10. v. 8. 9. & 10. *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Est etiam mandatum legis prope nos, in quantum præscribit opera rationali naturæ consentanea, & quæ possunt impleri, si vitium, quod contra naturam est, sanetur per gratiam. Dicitur Cyrus omnem Dei voluntatem complesse, quoniam per eum Populo Judæorum à captivitate revertendi, & ædificandi templum facultas data est. Fuisse enim Cyrum idololatram antequam Astyagem oppugnaret, liquet ex proximo capite, versu 4. & 5. Aut si mavis Cyro specialem gratiam fuisse collatam, est id quoque probabile ex insequenti versu 13. *Ego suscitavi eum ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam.* In eo autem, cujus meminit Evangelista Marcus, dilexit Dominus pium percipiendi vitam æternam studium, & fidem in Christum versu 17. expressam; potuitque, cum esset Judæus genere, in ipso præcedere fides aliqua Mediatoris implicita, & gratia qua præcepta legis impleverit: licet ob immoderatum divitiarum amorem, quem ex versu 22. & 23. deprehendimus, videatur mihi legem à juventute servasse quantum *ad substantiam* operum, sed fine perverso rem pecuniariam Deo præferens. Ac propterea inseminatum divinitus desiderium æternæ vitæ statim vetustate cupiditatis in illo emarcuit. Apostolus ad Philippenses scribens se conversatum sine querela secundum justitiam quæ in lege est, aut significat duntaxat se observasse instituta Majorum, & Officia à lege Moysis præscripta: aut legem accipit pro illis præceptis, secundum quæ exercebantur judicia, affirmans se nunquam fuisse delatum ad judices supplicio aut verberibus afficiendum. Quem postremum sensum maxime mihi probant ea verba, γενόμενος ἄμεμπτος, *conversatus sine querela;* est enim ἄμεμπτος idem, ac sine *expostulatione judicii.* Nam quod *ad modum* attinet, legem fuisse transgressum serviendo ἐπιθυμίαις, καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, *desideriis & voluptatibus variis*, scribit ad Titum cap. III. vers. 3.

16. Objectio secunda Solvitur. Secundo objicies verba Apostoli ad Rom. II. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* == Resp. 1. juxta sententiam Augustini Apostolum loqui de Gentibus ad fidem conversis: quod sane scopo & verbis Apostoli undequaque cohæret. Redarguuntur enim eo loco Judæi, qui ex data sibi lege gentes ad Christum venientes aspernabantur, & in circumcisione carnis gloriantes legem frangebant. Atque adversus istos Paulus clamat versu 13. non justos esse apud Deum auditores legis, sed factores tantum justificari, causam subinde afferens, quoniam etiam Gentes, quæ legem non habent, præcepta possunt implere. & licet carne circumcisi non sint, habere possunt circumcisionem cordis in spiritu, & Judæos esse in abscondito. Tales fuerunt, inquiunt Chrysostomus, & Hieronymus in hunc locum, qui verum Deum in lege naturæ coluerunt, ut Melchisedech, Job, Ninivitæ, Cornelius, & alii gratia Salvatoris præventi. Cum ergo Apostolus tam aperte sermonem instituat de observantia legis, per quam justificamur apud Deum, & in qua præputium justitias custodiens, legemque consummans judicabit eos, qui per literam & circumcisionem sunt prævaricatores legis; eoquod hi carne, illi autem corde circumcisi sint; manifestum est per illud *naturaliter* legem Mosaicam excludere, non gratiam, sine qua nequit haberi justificatio, & circumcisio cordis in spiritu. Rectissime itaque Augustinus Juliano hunc eundem Apostoli textum objicienti respondet lib. IV. cap. 3. n. 25. *Ideo dicuntur naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data est; & propterea naturaliter, quia ut crederent ipsa in eis est per Dei gratiam correpta natura.* Et de Sp. & lit. cap. 27. num. 47. *Nec te moveat, quod naturaliter eos dixit quæ legis sunt facere. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus instaurat*

ret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia.

17. Responsio alia.

Resp. 2. Dato quod Apostolus de infidelibus orationem instituat; hi *naturaliter* ea quæ sunt legis exequuntur, in quantum per originale peccatum non ita est in mente hominum detrita Dei imago, ut nulla in ea veluti lineamenta remanserint, unde merito dici possit in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere. Ita S. P. Augustinus prox. capite 28. num. 48. Ex his autem non sequitur hujusmodi infideles præcepta legis complere quantum *ad modum;* sed quantum *ad substantiam*, & officia virtutum, quæ sint in se ipsis inspecta rectæ rationi conformia: nec posse omnia, sed aliqua tantum faciliora, ut honorare parentes, nec aliis facere quod nemo perpeti vellet. At hæc quantum *ad modum* pertinet, non impleri sine gratia, commonstrat eo loci Augustinus, dicens quod si discutiatur quo fine virtutes Gentilium factæ sint, *vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Nec te moveat particula illa *vix*, ut dicas aliqua saltem à Gentilibus opera rectissimo fine & inculpate juxta naturalis legis præscripta patrari. Quamquam enim nolo ego inter Scholasticos arbiter sedere, & opinionem meam præcedenti capite declaravi; obvia est responsio etiam Gentilibus aliquando gratiam adesse ad refringendos inanis gloriæ, & cupiditatis stimulos; ut demonstravi cap. 2. Prop. IV. Certe Augustinus memorato cap. 28. de Sp. & litera ab iis, qui secundum justitiæ regulam opera exercent laudabilia non dehonestata perverso fine, gratiam nequaquam excludit: sed tantummodo probat stare testamenti novi discrepantiam à veteri, quod per illud lex olim scripta in tabulis instauretur in corde Fidelium, sive testimonium Apostoli accipiatur de Gentibus, quæ venerunt ad Evangelium, sive de Infidelibus: propterea quod manet quidem adhuc in istis lex naturæ, per quam nonnunquam executioni mandant virtutum officia, sed tamen ut lex instauretur in corde, ita ut hæ virtutes bonæ sint undequaque, nec in praxi animus superbia, aut vitiosa cupiditate vincatur, ipsa lex debet in corde per novum testamentum, & per gratiam Christi inprimi iterum, & instaurari. Absolvit ergo Apostolici textus explicationem S. Pater num. 49. his verbis: *Quodlibet horum accipiatur, constat gratiam Dei promissam esse testamento novo etiam per Prophetam: eandemque gratiam in eo definitam, ut scribantur leges Dei in cordibus hominum.* Quapropter ex memorato cap. 28. recte infertur Gentiles quandoque agere secundum justitiæ regulam, & merito laudari, interdum quoque operari fine non malo: quod nos cap. 2. distinctis thesibus explicavimus. Verum in his Christi gratiam, & aliquam fidem non præcedere, perperam ex hoc loco quidam deducere moliuntur. Imo si animadvertas sedulo, demonstratur oppositum: primo quia bene undequaque operantes vincunt naturæ vitium, quod utique sanat gratia. Deinde quia legem habent non solum in mente, sed etiam inscriptam cordi, videlicet cum bona voluntate conjunctam. Rursus quia S. P. lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 32. hæc Gentilium opera Gratiæ deputat. Postremo quia eodem cap. num. 25. docet opera quæque infidelium sine Christi gratia, etsi officio sint bona, ac minus punienda iis, quæ naturalem legem transgrediuntur, habere tamen peccatum sibi conjunctum non ratione sui, sed ob intentionem operantium, qui aut terrenæ patriæ exhibent Babylonicam dilectionem, aut dæmonibus, vel humanæ gloriæ deserviunt. Num vero hæ duæ responsiones veræ sint & legitimæ, videbit qui Augustini testimonia non divulsa & mutilata, sed ut jacent laudatis capitibus numerisque explanata, attente perleget. Hac secunda responsione solvuntur aliorum Patrum sententiæ primo aspectu contrariæ Quotquot enim textum Apostoli de infidelibus exposuere, aut laudarunt in iis virtutum officia duntaxat, aut gratiam penitus non excluserunt, aut de vitio naturæ instaurandæ & sanandæ eo loci non pertractarunt. Nam & infideles exhibere honorem parentibus, reddere suum unicuique, non pejerare, aliqua hujusmodi facere nulla vituperatione, sed laude in se digna, & merito Patres scripserunt, & nullus negat Catholicorum.

18. Objectio tertia Solvitur.

Si dixeris damnatam esse Propositionem 22. Baji: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus;*

Respondetur primo cum Vasquez 1. 2. disp. 190. q. 109. cap. 18. num. 178. damnatam esse ob acerbitatem Censuræ: *Quis dicat*, ait doctissimus Jesuita, *damnari sententiam hujus Doctoris in eo quod ait, illud testimonium de Gentibus fidelibus intelligendum esse, cum sit sententia S. Augustini, & omnium Patrum?* Et infra, *Sensum hujus damnationis, prout à me explicatus est, contuli cum Illustrissimo Domino Cardinali Toleto, cum Sacri Palatii*

Palatii Concionator, & Theologus esset, anno 1586. eumque probavit, & germanum esse dixit, propriaque manu subscripsit, cujus subscriptionis exemplum apud me adhuc est. Quis autem poterat damnationis sensum melius percipere, quam Toletus missus à Gregorio XIII. Lovanium in Causa Baji, & ab ipso Pontifice circa Bullam à Lovanienſibus recipiendam pleniſſime inſtructus? Revera cum S. P. Auguſtinus doceat, quod etiamſi Apoſtolicum teſtimonium accipiatur de infidelibus, ſtat adhuc diſcrimen inter legem, & gratiam, neque hæc interpretatio adjuvat Pelagianos conantes ex hoc loco probare in infidelibus veras eſſe virtutes; conſtat propoſitionem Baji inſimulantis eandem interpretationem Pelagianismi eſſe falſiſſimam, atque acerbiſſimam. Quod tamen addit Vasquez omnes Patres explicare locum Apoſtoli de Gentibus fidelibus, arbitror eſſe falſum: & propterea articulus Baji eſt etiam Patribus injurioſus. At Patrum ſenſa non repugnare Auguſtino verum eſt, ut ſupra dicebamus. Reſp. 2. in ſenſu ab Auctore intento articulum Baji non ſolum falſum eſſe, ſed etiam hæreticum. Significat enim infideles ſine gratia *habituali*, quam tantum Bajus admiſit, & ſine qua omnia opera infidelium aſſeruit eſſe peccata, non poſſe obſervare legem naturalem; cum poſſint optime *quoad ſubſtantiam* absque ulla gratia ſpeciali, *quoad modum* vero cum inſpiratione Spiritus ſancti moventis & nondum inhabitantis.

19. Objectio 4ta. Ob. 3. Si nemo ſine gratia poſſet diligere Deum tanquam auctorem naturæ, immerito damnata eſſet triceſima quarta propoſitio Baji: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, ac plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Idem aſſerendum eſt de propoſitione 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia cum elatione præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.*

20. Refutatur. Reſpondetur hujusmodi propoſitiones rectiſſime fuiſſe proſcriptas. Primo quia datur amor naturalis quo animus fertur in beatitudinem, cujus deſiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere: atque hic amor non eſt à gratia, quemadmodum nec liber ea libertate, quæ ſufficiat ad meritum, ut Bajus, Quenellus, & Janſenius commenti ſunt, refutati de H. Calviniana cap. 2. ſed eſt amor inditus à natura, indeliberatus, & neceſſarius. 2. Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut eſt Auctor naturæ, neque amor iſte *ſecundum ſubſtantiam* malus eſt, ſed bonus & rectæ rationi conſentaneus, licet aliquando non habeat rectitudinem finis, ſi Deus non diligatur propter ſe, gratis, & amore benevolo. 3. Etiam datur amor Dei Auctoris naturæ & bonus undequaque ſine gratia Spiritus ſancti inhabitantis, quam duntaxat admiſit Bajus, ut conſtat ex articulo 62. in quo rejicit tanquam commentitiam & odioſiſſimam diſtinctionem duplicis juſtitiæ, *alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, & alterius quæ fit per inſpirationem Spiritus ſancti nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis.* Ex qua prava doctrina ſequeretur quæcunque fiunt ab homine nondum juſtificato vere eſſe peccata: quod & Bajus aſſeruit art. 35. ut cap. 2. dictum eſt. Promeruit ergo etiam articulus 34. & 36. hanc pernicioſam hæreticamque doctrinam comprehendens, cenſoriam Eccleſiæ animadverſionem.

21. Cur propoſitiones Baji ſint damnatæ. Illud quoque reſpondere poſſumus prædictos articulos Baji fuiſſe damnatos, non ob id, quod ſpectat ad duplicem amorem, ſed quod attinet ad nimis auſteri, ſeverique judicii libertatem. Ita Gabr. Vasquez 1. 2. diſp. 195. cap. 4. num. 28. Suarez etiam Prologom. 6. de Grat. cap. 2. num. 14. fatetur plures Bajanos articulos fuiſſe damnatos non propter doctrinam, *ſed propter acerbitatem & audaciam.* Quod declaraſſe ipſum ſummum Pontificem Pium V. colligitur ex iis, quæ ſupra diximus de Cardinali Toleto, & conteſtatur Vincentius Contenſonius Tom. 1. lib. VIII. diſp. 1. cap. 1. §. 1. In ſerie harum propoſitionum eſſe præſertim triceſimam quartam, ex eo conſtat, quod Eminentiſſimus Bellarminus lib. 6. de Grat. & lib. arb. cap. 7. tam intrepide ſententiam noſtram defendit, ut ſcribat: *Exiſtimamus non poſſe Deum, niſi ope ejus, diligi neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte, ullo modo; atque hanc non dubitamus ſententiam S. Auguſtini, imo & Scripturarum, & Conciliorum, quidquid aliqui minus conſiderate in hac parte ſcripſerint.* Quis autem dixerit tantum virum damnatam in Bajo Propoſitionem aut ignoraſſe, aut propugnaſſe?

22. Objectio 5ta. Rejicitur. Objicies 4. quædam argumenta à ratione, quorum ſolutio ex dictis facillima eſt, ideoque ea breviter proponuntur.

tur. Est autem primum: Præcepta Decalogi sunt proportionata naturalibus viribus creaturæ rationalis; possunt ergo naturaliter adimpleri. Alterum est: Potest mens humana citra specialem gratiam Deum cognoscere, & incommutabilis justitiæ legem percipere: igitur potest voluntas Deum amare, & secundum justitiæ regulam operari. Sequitur tertium: Connaturale est homini diligere summum bonum, si illud mente percipiat. At per ideam naturaliter inditam percipimus summum bonum esse Deum. Ergo Deum diligere connaturale nobis est. Accedit quartum: Possumus naturaliter diligere creaturas; quare non Deum rebus omnibus creatis amabiliorem? Quintum est hujusmodi: Potest homo sine gratia Deum glorificare; Apostolus enim ad Rom. 1. v. 21. reprehendit Gentiles Philosophos, *quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Cultus autem Dei nihil aliud est, quam charitas per Augustinum Epist. 167. alias 29. Igitur si potest Deus sine gratia glorificari, potest etiam amari. Postremum esto: Potest dari amor inchoatus & imperfectus, qui nec ordinetur ad supernalem beatitudinem, nec positive Deum præferat bono alicui creato. Ad hunc amorem non requiritur gratiæ auxilium; Igitur, &c.

23. Ac declaratur. Respondetur ad primum, præcepta Decalogi esse naturæ rationali proportionata quantum spectat ad objecta, & ad officia præceptorum, non autem quantum attinet ad modum, & finem; idque ob ipsius naturæ corruptionem, cui appetitus laudis, aut noxia cupiditas subrepit: hoc tamen pacto etiam esse proportionata, si vitium naturæ sanetur, & Dei imago, in qua naturaliter conditi sumus instauretur per gratiam; ut de Spir. & lit. cap. 21. docuit nos Augustinus: Qui etiam de natura & Grat. cap. 48. exemplum affert lucis, quam sani oculi vident, non ægri; & cap. 49. possibilitatis ambulandi, quæ est in sanis pedibus, non in confractis; quibus exemplis demonstrat adversus Pelagium neminem posse absque adjutorio Salvatoris ita legem servare, ut vitet peccatum, quoniam corpus aggravat animam, terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & vitiata natura, de qua loquimur, medicum implorat, & clamat, *Sana animam meam.*

24. Ulterior responsio. Ad secundum facilior est responsio, si dicamus nullam cognitionem sive naturalis, sive practicæ veritatis, si ab inspiratione gratiæ disjuncta est, posse animum nostrum ad pia studia inflammare. Vel enim scientia cum interiori suavitate & charitate conjungitur, vel tantummodo veritatem ostendit non impertiendo charitatem. Si sit cognitio prioris generis, est Gratia Christi, qua agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, auctore Augustino de Gratia Ch. cap. XII. Si vero sit cognitio sine inspiratione dilectionis, inflat, non ædificat; neque ad servandam legem sufficiens est, quemadmodum commonstrat S. Pater capite præcedenti, Pauli Apostoli auctoritate & exemplo. Neque id scientiæ vitium est, sed animi, qui pressus corpore ab idea universali vertitur ad imagines temporalium specierum, easque particulari & practico judicio præfert bono summo, atque incommutabili, ut possit dicere cum Apostolo, *Quod odi malum, hoc ago:* aut cum altero: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Sed vide quæ cap. 3. disserui de vitiorum origine, nec non Doctorem præclarissimum de Nat. & Gratia cap. 50. Potest tamen responderi, non esse de mente humana, & de voluntate eodem modo ratiocinandum. Nam, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3. *Magis est natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.* Cujus rei facile est causam assignare: eo quod à voluntate peccatum proximè procedit, & in voluntate commoratur. Non enim peccat homo malum cognoscendo, sed male appetendo; neque ipsa ignorantia sine libera voluntate potest esse culpabilis. Quare recta cognitio suapte natura non infert voluntatem rectam; & fides ipsa omni cognitione naturali præstantior sine charitate nihil prodest.

25. Ad singula puncta. De tertio argumento plura non dicam. Etenim percipimus Deum esse summum bonum notitia universali & speculatrice, non singulari & practica, ut explicatum est modo: & licet sit nobis connaturalis dilectio, non est tamen saltem naturæ corruptæ connaturalis ordo debitus dilectionis, qui est uti rebus creatis, & incommutabili bono inhærere; *cum appetitus voluntatis rationalis sequatur in in hoc statu bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.* Quod si dicas voluntatem rationalem naturali inclinatione ferri in summum bonum; respondeo & hanc inclinationem à contraria & vehementiori retardari: & hanc esse perfectionem rationalis naturæ, ut sit ordinata ad finem per gratiam obtinendum; & demum non repugnare inclinationem naturalem in objectum cui adhærere non potest, nisi divinitus adjuvetur, ut anima separata appe-

appetit corporis unitionem, infirmus valetudinem, & quilibet homo perpetuam felicitatem.

Ad quartum hanc reſponſionem habeto. Vel ſermo eſt de amore rerum creatarum propter ſe ipſas, vel propter Deum. Si res creatæ amentur propter ſe ipſas, fruimur creaturis, & amor caſtus non eſt, ſed exoritur à voluntate infirma, depravata, ac proniori ad privata bona, quam ad ſummum & immutabile. Proinde qui ita amat non proficit, ſed deficit, & exhibendo Babylonicam dilectionem aut inflatur ſuperbia, aut cupiditate deprimitur. Quod ſi creaturæ amentur propter Deum, dilectio ex Deo eſt, neque ſine gratia poteſt haberi; ut affirmat Joannes Evangeliſta, & demonſtrat Auguſtinus de Grat. & lib. arb. cap. 18.

In quinto falſa eſt interpretatio eorum, qui verba Apoſtoli de aliquali dilectione, quæ non ſit dilectio Dei ſuper omnia, ſolent accipere; non enim glorificant Deum, ſicut Deum, qui illum ſingulis creaturis non præferunt. Errant etiam qui Dei cultum in illa aliquali dilectione nituntur commonſtrare ex Epiſtola 29. Auguſtini. Nam S. Doctor ſcribens eo loco: *Quid eſt pietas, niſi Dei cultus? Et unde ille colitur niſi charitate?* loquitur de ſervis Chriſti piis ac fidelibus habentibus pietatem appellatam à Græcis εὐσέβειαν vel expreſſius θεοσέβειαν; & de charitate, quæ eſt de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, & quæ eſt legis totius plenitudo. Quamobrem non video, cur Tournely, qui in ea eſt ſententia, neminem ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſe diligere Deum ſuper omnia, probet ex verbis Apoſtoli & Auguſtini eſſe ex nobis amorem aliquem inchoatum; cum tam aperte cultum, & dilectionem ſuper omnia uterque commendet. Eſt ergo veriſſima interpretatio, & Apoſtolico teſtimonio conformis, Gentiles philoſophos Dei notitiam habentes, illum non glorificaſſe ſicut Deum, quoniam evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, id eſt magis allecti ſenſibilibus bonis transmutarunt veritatem Dei in mendacium, & creaturæ potius ſervierunt quam Creatori. Digniſſimi reprehenſione, quia vel habebant gratiam ſufficientem ad reſiſtendum ſenſuum illecebris, vel hac gratia juſto judicio privati libere traditi ſunt in deſideria cordis eorum. Sed legito cap. 1. Epiſtolæ ad Rom. & viceſimum ſecundum Auguſtini de Nat. & Grat. contra Pelagium.

Ad poſtremum, quoniam nolo eſſe longus in ſingulis explicandis, reſpóndeo breviter, amorem illum inchoatum, ſi bono mutabili nequaquam hæreat, eſſe ex Chriſti gratia: *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: ſed ſi charitas eſt, tota nobis ex Deo eſt*; inquit lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. AUGUSTINUS.

CAPUT V.

Requiri gratiam Salvatoris ad vitandum peccatum, & tentationes vincendas.

SUMMARIUM.

1. Non poſſumus ſine gratia vitare peccatum, aut tentationem ſuperare.
2. Probatur ulteriùs.
3. Usque ad 7. Solvuntur aliquæ objectiones.

EPIGRAMMA.

Nulla anima eſt, quæ non mortali carne gravetur,
Nec quæ corporea conditione gemat.
Sed confirmare invalidam, & frænare rebellem
Legitimum & proprium eſt mentis opus dominæ.
Quæ vis naturæ ut moderamine temperet æquo,
Et ſubdat ſceptris noxia quæque ſuis,
Auxilium à Domino & vires petat, ut valeat ſe
Vincere, nec ſenſus incitet illa ſuos.
Nam nullos famulæ poterit compeſcere motus,
Ni fuerit Chriſti ſemper amore potens.

I. Non poſſumus ſine gratia vitare peccatum aut tentationem ſuperare.

PROP. Non poſſumus aut peccatum vitare, aut tentationem aliquam ſine gratia vincere undequaque, id eſt, æquo moderamine, ita ut motus ſenſuum compeſcantur, & frænetur appetitus rebellis.

Sequitur hæc propoſitio ex dictis; nam aliquomodo nos absque gratia recte operari, & tentationem ſaltem levem ſuperare, inſpecta ſubſtantia operum & officio virtutum, tam verum eſt, quam

posse impleri sine gratia aliqua præcepta, & multa opera ab infidelibus fieri, quæ secundum se nequeunt vituperari. At undequaque sine speciali gratia nullum peccatum, & nulla tentatio quamvis minima vincitur; quoniam, ut sæpenumero dictum est, si non adjuvat gratia medicinalis oritur ex bono opere & tentationis victoria tumor superbiæ, & vitio pellitur vitium. Quod asserit hoc Epigrammate Prosper, & Augustinus lib. XXI. de Civ. Dei cap. 16. & in IV. contra Julianum cap. 3.

2. Probatur ulteriùs.

Breviter tamen confirmatur propositio. I. Divinis literis: Sap. enim VIII. legimus: *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Apostolus ad Romanos VIII. 37. ait: *In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos.* Est in Græco, διὰ τὸ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, propositio cum genitivo, significans, *cum viribus à Deo datis gratuito amore*, cum ex regulis Grammatices, tum ex versu 1. & 2. capitis quinti, ubi dicitur, nos habere pacem ad Deum, & accessum per fidem ad gratiam, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Matth. etiam VI. 13. jubemur orare, *Et ne nos inducas in tentationem.* II. Probatur ex definitionibus Ecclesiæ; nam Innocentius in Rescripto ad Concilium Carthag. *Nisi magnis precibus* (inquit) *gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et ad Patres Milevitanos: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi. Negantes auxilium Dei inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia nunc egere divina: quia privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat.* Synodus 2. Arausic. canone 9. *Divini muneris est, cum & recte cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitia continemus.* Et canone 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum.* III. Probatur ex Augustino; qui in Epist. 106. nunc 186. cap. 9. ait, *ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam;* & cap. 10. *Sine gratia dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* In Psalm. 18. *Deo desistente ab adjutorio laborare potes, vincere non potes;* & Serm. IX. de div. cap. 9. *Sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris.* IV. Probatur ratione: Aut vitatur peccatum Dei amore, aut fine honesto, aut perverso & vitioso. Si hoc dixeris, clavum clavo, peccatum peccato pellis. Honestus finis sine gratia, saltem in praxi, non datur. Item nec Dei amor, ut in superioribus demonstravi. Ergo sine gratia abstinere prorsus à peccato, & tentationes superare non possumus. *Tunc itaque* (ait S. Pater de Civit. Dei libro XX. cap. 16.) *victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per Mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum.*

3. Responsio Adversariorum Solvitur.

Ad hæc vero sunt qui respondent, valere hæc omnia de victoria tentationum ad veram justitiam pietatemque spectante. Quibus propositione prima capitis præcedentis, & in tertio quoque capite plenissime est satisfactum. Liquet etiam ex dictis hactenus, requiri gratiam non solum ut vincamus, sed ne ipsi vincamur, ne quis succumbat diabolicis laqueis irretitus, ne in falsitatem atque injustitiam labamur, ne apertissima vitia pellantur aliis occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa, ut Augustinus ait eodem cap. 16. de Civ. D. libro XXI. Nullam itaque, quantumvis minimam tentationem possumus superare, si gratia destituamur, nisi forte more Romanorum, in quibus *Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.* Id autem quod nonnulli scripsere gratiam præstare ut facilius tentationes & peccata vincantur, pariter refutatum est supra: atque ulterius rejicitur Epistolis nuper laudatis Innocentii, & Augustini, locisque aliis innumeris non semel in aspectum productis.

4. Alia Objectio.

Contra hanc propositionem urgent Adversarii plures propositiones Baji, & Quenellii, præsertim ex Bajanis 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet:* & 29. *Fures ii sunt & latrones, qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ adjutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, aut ab ea superetur.* Et ex Quenellianis 38. *Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris:* & 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

5. Solvitur.

Verum facilem ista habent intelligentiam ex Respons. ad ob 3. præcedentis dissertationis. Liberum enim arbitrium sine gratia potest suam beatitudinem appetere naturali instinctu, quem non potuit amittere depravata natura: cui proinde post lapsum non solum tenebræ & malitia manent, sed etiam imago Dei non omnino detrita, idea honestatis, & lumen rationis, & in bonum universale congenita & antiqua pro-

propensio. Potest actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus & Quenellus impie dixerunt. Potest exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere *quoad substantiam*, operatione secundum se laudabili & honesta, etsi extrinsece, & ex fine operantis non bona undequaque. Potest & rectissimo fine vitare peccatum cum sola gratia actuali sine habitu fidei & remissione peccatorum, qualem Gratiam à justificatione sejunctam Bajus & Quenellus apertissime oppugnarunt. Omni ergo jure istorum assertiones anathemate confixæ sunt; & quamquam aliquæ sensum catholicum habere queant, & videantur speciem veritatis præferre; sunt in sensu ab auctoribus intento respective falsæ, scandalosæ, & hæreticæ. Quæ cum ita sint, miramur justissima harum propositionum damnatione, nonnullos abuti ad criminationem Augustinianæ doctrinæ: quasi nullam tentationem etiam minimam sine gratia superari non posse, non propugnent etiam Bellarminus, Franciscus Toletus, & Vasquez, quem vide P. 2. disp. 190. cap. 107. aut quasi in condemnatione Baji & Quenellii proscripserit Ecclesia, quæ olim definivit adversus hæreticos Pelagianos.

6. Objectio 3tia. Secundo objiciunt testimonia Augustini scribentis in primo De peccat. meritis cap. 22. *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia, modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior, aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia christiana non possit?* Idem Augustinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 23. Marc. Reguli virtutem commendat, & lib. v. cap. 12. virtutes inclytas Romanorum.

7. Refutatur. Respondetur hæc nullius esse momenti. Sanctus enim Augustinus in primo De peccatorum meritis probat eo argumento gratiam fidei Christianæ non rependi virtutibus moralibus & humanis, nec pro antegesta vita rationales animas pestibus corporeis affligi. Addidit præterea consulto, *Ex magna parte;* ne opineris, victoriam libidinum, cæterasque virtutes bonas esse in illo homine undequaque. In primo de Civitate Dei Regulum præfert Catoni, quoniam is victus Cæsari dedignatus est subjici; Regulus autem maluit Romanos ferre serviendo, quam eis se auferre moriendo; utrumque autem ait peccatum peccato declinasse. Aliorum Romanorum virtutes bonas extitisse quantum ad officium, non quantum ad finem attinet, & propterea fuisse illis redditam mercedem temporalem, satis arbitror repetitum. Oppositiones aliæ, si quæ sunt, facillimam habent ex dictis solutionem.

Quæri loco isto solet, num justus gratia sanctificante exornatus opus habeat etiam actuali, ut peccata declinet. De ea pertractavi de H. Pelagiana cap. VI. Prop. 2. Cum Synodus Arausicana cap. x. definiat etiam justis ac sanctis divinum adjutorium semper esse implorandum; videtur affirmativa sententia firmissima, atque tutissima.

CAPUT VI.

Omnia peccata venialia devitare est divinæ gratiæ singularissimum privilegium.

SUMMARIUM.

1. Omnia venialia in tota vita non possumus vitare sine gratia.
2. Probatur ulteriùs.
3. Explicatur Conclusio.
4. Excipitur B. V. Maria.
5. Quid dicendum de S. Joanne Baptista.
6. Usque ad 9. solvuntur objectiones.

EPIGRAMMA.

MAgna quidem in multis est excellentia Sanctis,
Quorum animos superi gratia roris alit.
Sed dum mens quædam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam internis exteriora movent,
Nunquam ita perfecto capitur victoria bello,
Vera ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt,
Ipsaque virtutum gaudia vulnus habent;
Ut faciat notum longa experientia cunctis,
Non esse hoc plenam tempore justitiam:
Ni Dominus miserando lavet delicta suorum,
Et dans virtutum munera det veniam.

1. Omnia venialia in tota ivta non possumus vitare sine gratia,

Propositio. Toto vitæ tempore nequit justus pugnam, quam internis movent exteriora, perfecta victoria superare, ita ut discordibus motibus rationis ac sensuum non excitetur levis quædam noxia delectatio deliberata, & servetur in excellentia sanctitatis plena justitia. Quare nemo vitare potest peccata quæque venialia in tota vita, nisi ex speciali Dei privilegio.

Hanc propositionem communiter à Theologis probatam confirmant omnium plane genera argumentorum. Traditur primo in sacris literis. Paralip. 11. cap. 6. v. 36. *Non est homo qui non peccet* Eccles. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Joan. Epist. 1. cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Quæ omnia ad omnes homines etiam sublimioris sanctitatis pertinere, liquet ex universali verborum pronunciatione, ex Can. 6. Synodi Milevitanæ, ex Augustino de Nat. & grat. cap. 36. & 2. de Peccatorum meritis cap. 7. & 13. Demonstratur 2. ex Oratione Dominica, qua etiam eximiæ probitatis viri quotidie orant dicentes, *Dimitte nobis debita nostra*: quod argumentum repetitur ab Augustino loco nuper laudato, & de Nat. & grat. cap. 35. & de Dono Persev. cap v. Quæ oratio non solum est humilis, sed etiam vera, ut Tridentinum inquit Sess. 6. cap. 11. & si quis *sic accipiendam putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est*, noverit hanc interpretationem esse Pelagianam memorato Canone 11. Milevitano proscriptam. Tertio communitur testimoniis Sanctorum Doctorum. Inter quos S. P. Augustinus de Peccat. meritis lib. 2. cap. 7. ait: *Credo Scripturæ dicenti, Non intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat judicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam. Et Propheta cum diceret, Dixi, pronunciabo adversus me delictum meum Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subjunxit, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus: vox enim Sanctorum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, &c.* Et de Nat. & grat. cap. 36. *Hac ergo Virgine* (Beatissima Dei Genitrice) *excepta, si omnes illos sanctos & sanctas cum hic viverent congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; an illud humilius responderent fortasse quam verius? Sed huic jam placet, & recte placet laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.* Placuit hæc integra exscribere, quoniam præcedentia magnopere illustrant. De dono Persev. cap. 2. inter dogmata quæ adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia connumerat, *In quantacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Eadem est doctrina Hieronymi lib. 2. contra Pelagianos, D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 8. & aliorum.

2. Probatur ulteriùs.

Demonstratur tandem propositio ratione ex præmisso Epigrammate Prosperi, & cit. articulo Thomæ deprompta. Continuo enim, quamdiu mens corruptibili corpore gravatur, sensus rationi bellum cient, atque discordes motus suscitant variæ temporalium bonorum imagines. Ita concupiscentiæ perpetuis jactatur fluctibus, quorum dum unum comprimit & frangit, alter insurgit & quatit animum, nunc voluptatis, nunc inanis gloriæ repentino appetitu distractum. Ut ergo devitet omnia penitus peccata, debet pervigil ratio singulis momentis circumspicere, fluctus frangere, motus reprimere, & pulsantibus illecebris libera voluntate nullatenus propter se delectari. Hoc specialissimum beneficium esse facile intelliget, quisquis humanam infirmitatem, captivantem concupiscentiam, pugnas internas atque externas, cogitationem, & affectuum humanorum vicissitudinem animadverterit. Profecto si magna est gratia inspiratio sanctæ dilectionis tam robustæ ut frangat humani cordis duritiam: major erit gratia, quæ perseverans diu ab injustitia nos continet; maxima vero, quæ per totam vitam à minimis culpis indesinenter præservet.

3. Explicatur conclusio.

Antequam leves quasdam oppositiones dispellam; præmoneo, posse hominem justum vitare ad aliquod tempus omnia

omnia venialia peccata, quoniam non semper appetitus sensitivus in actus aliquos deordinatos prorumpit, præsertim ubi flagrantissima charitas animum inflammat & purgat: neque occurrunt momentis omnibus peccandi occasiones, perversarumque cogitationum diverticula. Sunt qui hoc tempus adeo coarctant, ut credant septies saltem in die justum cadere: quod videtur comprobari versu 16. cap. XXIV. Proverbiorum. At hoc loco *septies*, pro *crebro & sæpe* positum est, ut Gen. IV. 24. Ps. XI. 7. & Ps. 118. v. 164. Deinde, licet præclari Theologi, etiam Tournely de Grat. Ch. pag. Ven. edit. 446. verba Proverbiorum accipiant pro peccatis, quasi sit idem peccare, & universaliter cadere: ait tamen Augustinus XI. de Civ. Dei cap. 31. *Pro universo sæpe ponitur, sicuti est, Septies cadet justus, & resurget, id est, quotiescunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit.* Et si aliquis hunc locum de peccatis interpreatur, fallitur apertissime; nusquam enim verbum נפל *Naphal*, *cadere* istic in Hebræo positum, est *peccare*; sed ubicunque opponitur verbo קום *Chum*, *surgere*, accipiendum est de tribulationibus, & calamitatibus hujus vitæ. Quod non soli comprobant Auctores laudati à Calmet, sed complures alii, & Hebraicæ Concordantiæ Esaiæ XXIV. 20. Jerem. XXV. 27. Amos VIII. 14. Mich. VII. 8. Est ergo Augustini interpretatio verissima & certa. Deinde perperam addunt aliqui ea verba, *in die*: quæ non habentur in Vulgata, nec in Hebraico, nec in LXX. atque si haberentur, possent significare tempus indefinite, ut Joan. IX. 4. Gen. XL. 4. Exod. XIII. 10. &c. Igitur quamdiu stet justus absque minima labe, & quoties cadat, obscurum est, nec est ratio eadem in omnibus.

4. Excipitur B. V. Maria.

Illud etiam animadverto: non comprehendi in hac generali assertione purissimam Dei Matrem; de qua sapientissime monuit Augustinus de Nat. & Grat. cap. 36. nullam prorsus habendam esse quæstionem. Et Tridentinum Concilium Sess. VI. edidit Canonem ordine 23. *Si quis dixerit hominem semel justificatum .... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Ob quam sacrosanctæ Synodi definitionem abstinemus etiam à sententia Magistri, & veterum quorumdam Scholasticorum in III. sent. dist. 3. Sacram Virginem immunem extitisse ab omni peccato tantum, cum Spiritus sanctus supervenit in eam, & Virtus Altissimi obumbravit illi, scilicet, cum æternum Dei Verbum concepit. Hanc opinionem Gregorius Ariminensis in 2. dist. XXXI. q. 2. art. 3. communem appellat inter Doctores: sed supponit Virginem conceptam in originali peccato, cujus fomes per obumbrationem Spiritus, & Virtutis Altissimi fuerit extinctus. Id vero aut falsum est, aut in disputationem nullatenus revocandum. Idcirco verba Damasceni laudata ibi à Magistro, & consimilia quædam aliorum Patrum, si non possint commoda interpretatione emolliri, erunt debita reverentia prætermittenda. Si quærat aliquis, an Deipara recitaverit Orationem Dominicam productam supra in Propositionis confirmationem; respondeo potuisse illam recitare, etiam cum petitione, *Dimitte nobis debita nostra*, nomine totius Ecclesiæ, & pro se etiam, quatenus dimissa dicuntur debita, quæ divina liberalitate non contrahuntur. At cæteris Sanctis petitionem istam necessariam esse pro se ipsis, & pro contractis debitis, demonstratum est supra, & definitum etiam Canone 82. Concilii Africani sub Cœlestino.

5. Quid dicendum de S. Joanne Baptista.

De Sancto Joanne Baptista non ita loquendum est, cum Augustinus solam Virginem excipiat, & Tridentina pariter Synodus de hac sola pronunciet. Legitur quidem Matth. XI. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, & in Hymno Ecclesiæ dicitur illum petiisse sub teneris annis deserta, *Ne levi posset maculare vitam Crimine linguæ.* Sed primis verbis ostenditur tantum prærogativa Joannis super cæteros antiquæ legis Prophetas, postremis singulare illius studium in custodia linguæ, & cultu solitudinis celebratur. Et observatum à multis non male, ἐγείρεσθαι, *surgere*, quod usurpatur citato loco Matthæi, significare sermonis proprietate adventum Prophetarum, ut colligitur ex Lucæ VII. 16. προφήτης μέγας ἐγήγερται, & Joan. VII. 52. ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται. Verum si mavis Joannem ab omni culpa leviissima fuisse immunem, imo si id concesseris cum Panegyristis hujus ævi eximio cuilibet Divo, ne amplificatio Rhetorica candori Theologiæ quid tenebrarum offundat, dicam tantam sine vulnere victoriam singulari gratiæ miraculo tribuendam.

Jam

6. Objectio 1ma. Jam vero contraria argumenta solvenda sunt. Opponebant Pelagiani plura Scripturarum testimonia, quibus ostenditur permultos in hac vita fuisse perfectos. Hujusmodi sunt: de Job legitur cap. 1. *Non est illi homo similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo.* De Zacharia, & Elisabetha Lucæ 1. *Erant autem justi ambo, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Joannes cap. 3. ait: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ejus in ipso manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Apostolus ad Philipp. 3. *Qui, cunque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Sunt alia hujus generis plurima.

7. Solvitur. Generalis responsio est, duplicem dari perfectionem: unam secundum vitæ istius modum, cui hoc quoque imputatur, si se quisque noverit imperfectum; & licet sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possimus, remediis spiritualibus vulnera nostra curamus. Altera perfectio est patriæ, ubi maximum lucrum est sæcularibus laqueis non teneri, nullis peccatis ac vitiis carnis obnoxium fieri, neque ulla emendandis purgandisque peccatis adhibenda est medicina. Delineat nobis Augustinus hanc duplicem perfectionem in lib. IV. ad Bonifacium cap. 10. In ipsa enim perfectionis linea sunt gradus distinguendi, quorum summus est non posse jam esse imperfectum. Sed & in hac vita unus altero perfectior est: nam, ut S. Doctor scribit in 2. de Peccatorum meritis cap. XV. *Potest fieri, ut jam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus doctor: potest perfectus esse justitiæ cognitor, nondum perfectus effector.* Plures itaque in hac vita priorem habuere perfectionem, in qua justus accusator est sui, & quotidie orat, *Dimitte nobis debita nostra.* Singula tamen, quæ opponuntur, versat singulatim S. Doctor citato libro de Peccatorum meritis à cap. 6. ad vicesimum octavum. Demonstrat Jobum laudari comparatione aliorum, qui erant in terra: Zachariam Sacerdotii officio perfungentem etiam pro suis delictis hostias obtulisse, servasse cum uxore legem sine querela, ita ut de illorum vita nemo quereretur, neque recte fuisse operatum cum simulatione, & hypocrisi. Demonstrat hominem natum ex Deo non peccare, & peccare non posse, quoniam peccatum oritur ex vetusta nativitate, per quam quamdiu vivimus in corpore corruptibili, ipso Joanne Auctore, si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus: nemo autem peccat, in quantum gratia spiritali regeneratur, & est in Christo nova creatura, novumque figmentum, non adhuc tamen, ut in novitatem perfectam transierint totius vetustatis reliquiæ. Animadvertit fieri non posse, ut pugnent invicem Apostolica testimonia. Observat Apostolum Paulum scribentem, *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus*, demonstrare se in alia re perfectum esse, in alia non esse; sicut in doctrina legis dici potest quisquam perfectus, etiamsi eum aliquid adhuc lateat. Sed non pigeat capita citata perlegere.

8. Objectio 2da. Rursus objiciunt: si non possumus ordinariis gratiæ auxiliis omnia venialia peccata devitare, cur nobis præcipitur à Deo, qui non jubet impossibilia, *divina mandata custodiri nimis*, nulla scilicet transgressione etiam parva? Cur oramus quotidie, ut Dominus dirigat *sensus, sermones, & actus nostros, ut ad nullum declinemus peccatum*?

9. Refutatur. Respondetur utique posse in hac vita hominem esse sine peccato per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium: sed non potest potentia proxima & conjuncta cum actu, nisi gratia illa sit specialis: quemadmodum potest quisque per auxilia sufficientia observare mandata, non tamen observabit actu, nisi auxilium sit efficax. Sufficit autem etiam potentia ab actu sejuncta, ut Deus impossibilia non dicatur jubere, sitque transgressio libera, voluntaria, & culpabilis. Hæc est responsio Augustini lib. 2. de Peccat. mer. c. 6. & 16. Quare autem ut vitentur actu peccata omnia etiam minima, singularis gratia sit necessaria, ratio est, quia simul præceptis omnibus negativis, & positivis nonnullis tenemur obstricti, simul internis, externisque pugnis impetimur, simul ratio ac sensus suas pingunt imagines, simulque plura vitanda sunt, cupiditas, ambitio, suggestio, negligentia, & motus quilibet inordinatus. Adjuti ergo divina gratia possumus quodlibet in individuo peccatum depellere, tentatorem fugare, surgentem motum comprimere; at id non consequemur plena victoria, & sine vulnere, ita ut nulla minima culpa in diuturno certamine maculemur. Neque nos desides magnum hoc periculum debet reddere; sed ad orationem impellit magis, ut Domino auxiliante omne declinemus peccatum, etiam minimum, si fieri potest, sin autem, ea saltem quæ advertentia patrantur, & mortalibus viam sternunt:

hæc

hæc autem maxime. Juxta hanc explicationem, admitto distinctionem vulgatam, *collective* omnia peccata venialia non possunt vitari, possunt bene *distributive*. Quæ tamen distinctio, ut traditur à nonnullis affirmantibus singula peccata distributive, & unum post aliud occurrere, non simul, non dari præceptum omnia *collective* vitandi, neque justum habere ad hoc liberum arbitrium, videtur falsa. Nam controversia inter Cœlestium & Augustinum erat, num in corpore mortis hujus, ubi caro concupiscit adversus spiritum, possit homo vivere absque ullo peccato, & collective vitare omnia, ita ut nullum omnino committat contra manifestum præceptum omnia simul vitandi. Legitote librum Augustini de Perf. Justitiæ capite VIII. & sequentibus.

CAPUT VII.

Num donum Perseverantiæ Gratia sit specialis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit donum perseverantiæ.
2. Quid ad eam requiratur.
3. Error Pelagianorum.
4. Positio, quod donum perseverantiæ sit specialissimum.
5. Usque 11. probatur diversimodè.
12. Usque ad 16. satisfit objectionibus.
17. Explicatur textus Apostoli.

EPIGRAMMA.

SÆpe quidem Dominus sic cuncta adversa repellit,
Ut nullo attingi vulnere possit homo.
Sed mirabilior tunc est manus Omnipotentis,
Illata afflictum cum mala non superant.
Laudetur Custos virtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla est speranda corona:
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

PRÆNOTATIO.

1. Quid sit donum perseverantiæ.

Disputaturus Augustinus de magno dono Perseverantiæ prænonet cap. 1. institui dissertationem de perseverantia illa, qua usque ad finem vitæ perseveratur in Christo, ut nullum sit ulterius cadendi periculum, & de qua legimus in x. cap. Mat. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ad perseverantiam enim, qua justus continens est aliquandiu, sed esse desistit, & quam si perseverantiam placet appellare, nolumus de verbo contendere, jam ostendimus præter gratiam *habitualem* à justis *actuale* auxilium esse implorandum, atque istud efficax esse natura sua. De priori ergo, ac propria *Perseverantia* dicturi duplex munus gratiæ in illa distinguimus, exteriorem scilicet dispositionem providentiæ, & internam sanctæ dilectionis inspirationem. Et illa quidem specialis erga electos providentia in hoc maxime vigilat, ut instante animæ transitu, extremoque damnationis periculo valida tentationum removeantur obstacula, ne justificatus succumbat, & varii vitæ casus ita dirigantur, ut mors corpus animumque dividat, dum gratia Justificationis hunc ornat, ita ut in osculo pacis revertatur ad Dominum, qui dedit illum. Quamquam enim mors corporalis est secundum se post deperditam originalem justitiam, causis quibusdam naturalibus, id est, corporis temperamento, insalubritate aëris, morborumque vi accelerata & inducta; tamen ut conjuncta est cum æterna prædestinatorum salute, id est, in quantum advenit dum justo sanctitas adest, & antequam de bono convertatur in malum, nectens extrema corruptibilis vitæ atque perpetuæ felicitatis, addit ad naturalium causarum seriem beneficium supernaturalis & vigilantissimæ providentiæ. Quidquid namque divina præscientia & voluntate disponitur causa conferendæ beatitudinis, habet sub naturali rerum mundanarum devolutione occultissimum Glorificatoris consilium, ac beneplacitum. Interna autem sanctæ delectationis inspiratio, gratiæ *habituali* superaddita, & adeo valida atque robusta, ut concupiscentiæ motus, omniumque tentationum, quarum in morte impetus solet esse vehementior, propulset oppugnationem, iis maxime necessaria est, qui nec immatura, nec repentina morte abripiuntur, sed cum hoste luctari debent, & charitate flagrantissima

pugnantem vincere cupiditatem. Tales sunt qui ægritudine anxia atque acerba agunt animam, & dum terrena inhabitatio dissolvitur, mundi commoda, necessarios, & omnia temporalia bona, quorum cupiditate non tangi nequeunt, sentiunt à se deperdi: atque majori illustratione & inspiratione superna opus habent, si communibus hisce malis ob anteactæ vitæ teterrimam imaginem, vel insidias Satanæ accedant deteriora; majorem etiam postulant, dum truce Martyrium subeunt, vel mortem aliam violentam hominum æstimatione turpissimam. Quapropter habet donum Perseverantiæ, quemadmodum de gratia in universum disputavi, gradus plures, ita ut magis in uno, quam in altero juxta periculi magnitudinem splendeat; quamvis sit in prædestinatis omnibus magnum & singulare beneficium.

2. *Quid ad eam requiratur.*

Duo hæc, externam providentiæ directionem, & internam specialis gratiæ inspirationem complecti donum perseverantiæ, ex Scripturis S. P. Augustinus evidenter demonstrat. Primum quidem in lib. de Præd. SS. cap. 14. ex verbis Sapientiæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Quæ verba, cum Semipelagiani affererent prædestinationem ex præscientia, ita explicat S. Pater, *Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, qui ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto.* Idem docet de Corrept. & Gr. c. VIII. & de Dono Pers. c. 17. Alterum vero de interiori gratia, per quam Deus operatur nostras cogitationes & voluntates, demonstratur à D. P. permultis textibus Scripturarum paulo infra, ne eadem pluries repetantur, producendis: ex quibus liquet perseverantibus etiam internæ gratiæ inspirari virtutem. Cur autem *aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis dum justi sunt auferantur, alii vero justi donec à justitia cadant, in eisdem periculis, vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini?* ait Augustinus citato cap. 14. de Prædest. SS. Ac statim demonstrans ex divino pariter beneplacito repetendam esse adultorum perseverantiam, addit: *Hinc intelligi datur, etiam illis justis, qui bonos, piosque mores usque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacunque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus.* Illam ergo divinarum gratiarum distributionem justissimis, sed inscrutabilibus judiciis Dei relinquendam certum est in Perseverantibus eminentia quadam præcellere.

Fuit ergo Pelagianorum error posse hominem perseverare usque in finem absque gratia Redemptoris per liberum arbitrium: quem errorem de H. Pelagiana pluribus refutavimus. Suborti Semipelagiani, qui electionem secundum propositum, quasi libertatem everteret, traditam ab Augustino ægre ferebant, docuerunt à nobis esse initium fidei, ex cujus præscientia Deus sufficientem gratiam impertiretur, & si huic liberum cooperaretur arbitrium, adderet dona ampliora, quibus posset perseverare si vellet. Nunquam tamen adduci potuerunt, ut ad perseverandum necessarium faterentur adjutorium, *quo* perseverantia ipsa donatur, neque ut probarent divisionem gratiæ in eam quæ dat posse perseverare, qualis fuit gratia primi hominis, & gratia sufficiens hujus status, & in eam, quæ donat ipsam perseverantiam, ut prædestinati in regnum nonnisi perseverantes sint. Quam esse Semipelagianorum dogmatum complexionem liquet ex Epistolis Prosperi, & Hilarii, nec non est nostris de hoc argumento dissertationibus. Postquam ergo cætera capita Semipelagianismi contrivi, & istud nunc oppositum dono Perseverantiæ contundam. Paucis enim exceptis, qui cum Duvallio tenent Perseverantiæ adjutorium in iis tantum, qui post justificationem diu in terris vivunt specialem gratiam esse, non autem in iis, qui justificatione accepta protrahunt vitam ad breve tempus, fert communis Theologorum Augustinensium maxime, & Thomistarum sententia, finalem justorum perseverantiam esse speciale donum ab ipsa gratia sanctificante, & ordinariis auxiliis eam comitantibus disjunctum; non repugnantibus Scholasticis aliis, tametsi in hac singulari gratia explicanda ab invicem distrahantur, juxta statutam à se supernorum auxiliorum œconomiam. At plus forte, quam prænotatio postulabat, traduxi temporis.

3. Error Pelagianorum.

Propositio. Mirabilis manus Omnipotentis sæpe cuncta adversa repellens, beneficium specialissimum impertitur, cum hominem lapsum illata mala non superant, & finem certaminis consequitur palma, & corona non speranda aut non certantibus, aut in pugna prostratis.

4. Positio, quòd donum perseverantiæ sit specialissimum.

Hanc

5. Probatur. Hanc positionem ex verbis beati Prosperi expromptam sacris primum literis confirmat S. P. Augustinus. Profert cap. 2. de Dono Persev. num. 2. verba Apostoli ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo.* Fides ad initium salutis pertinet, passio spectat ad finem. Atqui fides donum est specialis gratiæ. Ergo & finis. Addit verba Jeremiæ XXXII. 40. *Timorem Domini dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Non recedere à Domino nihil est aliud, quam ei perseveranter adhærere. Perseveranter ergo adhærere Domino, illius datum est. Laudat cap. 7. verba Psalmistæ: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti, & non discedimus à te.* Iste homo certe non est Adam, in quo discessimus à Deo, sed Christus, cujus meritis membra corporis ejus uniuntur ac permanent. Cum ergo confirmamur in gratia, ut in Deo simus permanentes per Christum, ad nos utique pervenit opus dexteræ Domini.

6. Ac confirmatur. Demonstrat S. Pater à capite 3. ad 6. eandem veritatem ex Ecclesiæ orationibus. A Deo enim forte perseverantia nostra non poscitur? An vero quisquam credit habere à se ipso, quod petit à Domino? Id quidem absurdum est cogitare: irrisoria quippe esset petitio, si id ab eo peteretur quod ipso non donante est in hominis potestate. Peti autem à Domino perseverantiam ipsa Dominica oratio demonstrat. Cum enim dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, non petimus, ut Deus sanctificetur orationibus nostris, sed ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Atque ut sanctificatur in susceptione baptismatis, in quo de gratia Dei sumitur vivificatio, ita sanctificatur perseverantiâ, per quam vivificatio illa perficitur, ut quod esse cœpimus, nunquam desinat. Et cum dicimus, *Adveniat regnum tuum*; quid aliud poscimus, nisi ut veniat nobis quod confertur Sanctis perseverantibus usque in finem? Tertia petitio, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, quid aliud poscit nisi ut terra imitetur cœlum, homo angelum, viator comprehensorem, & sit quod nondum est mortalis homo, non ut perseveret quod est? In proxima orantes *Panem nostrum quotidianum*, sive hic panis intelligatur quotidiana gratiæ subministratio, sive Eucharistia, pro Perseverantia illum petimus; nam ut corporalem cibum accipimus, ne anima separetur à corporis membris, ita petimus panem ἐπιούσιον, ut hic habet Græcus, ne separemur à Christi Corpore. Quinto orationis loco dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*; quibus verbis, etsi videmur tantum petere remissionem præteritorum peccatorum, instruimur & docemur nos peccare quotidie, & indulgentiam à Deo petimus, qua permaneamus in Ecclesia non habente rugam, neque maculam. Jam vero cum dicimus, *Et ne nos inferas in tentationem*, quid aliud precamur, nisi ut accepta gratia perseverantiæ sanctitatem servemus? *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Hæc fusiori stylo Augustinus, qui hæc omnia corroborat auctoritate beatissimi Martyris Cypriani.

7. Probatur definitionibus Conciliorum. Probant eandem thesim definitiones Conciliorum. Arausicanum secundum canone X. *Adjutorium Dei*, inquit, *etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Tridentinum cap. XVI. sessionis VI. donum Perseverantiæ *Magnum* appellat; & canone 22. *Si quis dixerit*, inquit, *justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Legatur & cap. 13. ubi ait donum perseverantiæ haberi non posse, *nisi ab eo, qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere, &c.*

8. Traditione PP. Traditio Patrum satis est hoc in puncto explorata. Ex Augustino plura hactenus fuerunt producta. Optamus tamen ut legantur præclarissima ipsius scripta de Dono Perseverantiæ, de Prædest. SS. cap. 14. de Corrept. & Grat. cap. 8. 9. 10. 11. & 12. De nat. & grat. cap. 26. Epist. 59. ad Paulinum q. 6. Videatur etiam Prosper lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 23. in Resp. 6. ad Capitula Gallorum, & 14. ad Objectiones Vincentianas. Gregorius Magnus lib. 23. Moralium cap. 28. atque ne percenseam omnes, Divus Thomas 2. 2. q. 137. art. 4. & 1. 2. q. 109. art. 10.

9. Rationibus imò. Rationes Theologicæ, doctrinæ Augustini in hoc nostro Opere expositæ undequaque conformes, petuntur primo ex prædestinatione *secundum propositum.* Etenim iis, qui prædestinati sunt conformes fieri imaginis Filii sui, paravit Deus misericorditer tale donum, per quod perseverantes usque in finem salvi fiant: quale donum iis, qui non pertinent ad illam prædestinationem secundum propositum, inscrutabili judicio Dei denegatur. *Unde* (inquit S. Pater citata ad Paulinum Epistola) *nisi quia non pertinent ad illam*

prædestinationem secundum propositum, ac sine pœnitentia vocationem? Cur autem ad eam alii pertineant, alii non pertineant, occulta causa esse potest, injusta non potest. Perseverantia ergo solis Electis divina prædestinatione præparata est: & hanc prædestinationem sine operum præscientia fieri probat hoc etiam loco Augustinus. Atque frustra hunc aliquis niteretur exponere de gratuita prædestinatione ad gratiam, & vocatione ad fidem; cum dubitationem omnem penitus tollant, quæ istic habentur: *Non sunt in ista vocatione, qui in fide, quæ per dilectionem operatur, etiamsi aliquantum ambulant, non perseverant usque in finem.* Et de Dono Perseverantiæ cap. VIII. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Porro donum illud, cujus largitio pro inscrutabili divino beneplacito uni confertur, non alteri, beneficium est, non commune, sed speciale. Si igitur perseverantia justis, piisque hominibus tali occultissimo judicio vel confertur, vel denegatur, gratiæ munus est maximum & eximium, in hoc fidei, cæterisque gratiarum donis æquale, quod divina liberalitate conceditur; longe tamen præstantius, in quantum confertur solis Electis in Christo ante mundi constitutionem, eosque ad salutem certo perducit. Huc spectat, quod cum Christus pro omnibus mortuus sit & sanguinem fuderit, quantum attinet ad oblationem pretii, institutionem remedii, & assumptam à se causam humani generis; oravit tamen pro ovibus suis, & crucem subiit, ne quis eas raperet de manu ejus, quantum ad singularem passionis proprietatem, fructuumque ejus participationem uberrimam. Quorum fructuum præcipuum esse finalem perseverantiam puto neminem contradicturum.

10. Secundò. Altera Augustiniana ratio petitur ex divina dispositione, per quam ita ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid suæ gratiæ beneficium. Quapropter primo homini in bonis posito Conditoris dedit perseverantiæ potestatem, lapsis vero perseverantiam ipsam largitur, quoniam virtus in infirmitate perficitur, ne quis in Domino glorietur: ac per hoc nec de ipsa perseverantia voluit Deus gloriari Sanctos suos nisi in ipso; qui in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita hominis super terram, animadvertens hominem inter tot, ac varias tentationes infirmitate succumbere, & se ipso perseverare non posse, si fortissimo dimiserat facere quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent. Atque hoc postremum est donum perseverantiæ misericorditer præparatum prædestinatis in regnum Dei. Quapropter sententia nostra donum quidem gratiæ, sed non speciale, fuit prædestinatio ac perseverantia Angelorum. Atque hoc idem sentire arbitramur D. Thomam, docentem in 2. 2. quæst. & artic. sup. citato, *quod primo homini datum est non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ difficultatem perseverandi præberet.* Et in 1. 2. pariter ait hominem lapsum indigere ad perseverandum *divino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum impulsus.* Ex quibus apparet D. Thomam, ubi ait memorata quæst. secundæ partis gratiam necessariam esse ad perseverandum, *quia arbitrium de se est vertibile*; vertibilitatem appellare inclinationem appetitus rationalis in bonum privatum, ob quam in statu naturæ corruptæ necessaria est homini gratia medicinalis, ut dictum est Propos. 2. capite quarto, verbis ex ipso D. Thoma productis.

11. Tertiò. Postrema ratio est, quoniam vel inquiritur de dono perseverantiæ parvulorum, vel eorum qui post justificationem acceptam, priusquam occurrant graves tentationes & salutis pericula, mortem obeunt, vel eorum denique, qui veniunt ad acerrimum, turbulentumque discrimen. In his autem omnibus perseverantia est munus Dei optimi & beneficentissimi. In parvulis apparet singularis providentiæ dispositio paulo supra delineata verbis Sapientiæ cap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* De quibus verbis, etsi plura diximus, placeat iterum audire Augustinum Paulino scribentem: *Ne quisquam præsumptor ita de occultis judicet alienis: quid dicturus est de infantulis parvulis, quorum plerique accepto in illa ætate Christianæ gratiæ Sacramento, cum sine dubio pertinerent ad vitam æternam, si continuo ex hac vita emigrarent, sinuntur crescere, & nonnulli etiam apostatæ fiunt. Unde? nisi quia non pertinent ad illam prædestinationem, &c.* Et de Corrept. & Gratia cap. 8. *Respondeant, qui nos irrident quando in rebus talibus exclа-*

clamamus, Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Neque enim Deus hoc non donat quibus voluerit, aut vera Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis justi ait, Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cujus potestate est quamdiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo fateri coguntur donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundum Scripturas, de quibus testimonia multa jam posui, fateantur nobiscum, & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum. Atque hæc Augustini ratiocinatio valet in iis etiam, qui post acceptam justificationem diu vitam non protrahunt, & in osculo Domini moriuntur. De quibus cap. 17. de Dono Persev. ait S. Pater: *Videte jam à veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ hujus quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.* In illis ergo, qui post acceptam justificationem cito rapiuntur, perseverantia finalis donum speciale est, quoniam speciali Dei providentia ante imminentem lapsum animam efflant. In illis vero, quos postremo loco memoravi, quoniam ulterius egent *divino auxilio ipsos dirigente & protegente contra tentationum impulsus*, perseverantia censenda est amplius gratiæ Dei beneficium. *Multo quippe difficilius perseveratur* (ait S. Pater capite ejusdem libri secundo) *ubi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, & propterea usque ad mortem sustinetur ut perseveretur. Illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius est habere; sed cui nihil difficile est, facile est utramque donare.* Atque his argumentationes nostras absolvimus, & ornavimus.

SOLUTIO ARGUMENTORUM CUM HAC CONCLUSIONE PUGNANTIUM.

12. Objectio 1ma. Sed objices: Per gratiam *habitualem* Deus sanat animam. Auctore autem Augustino de Nat. & Grat. cap. 26. *Sanat Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Quisquis ergo ad justitiam perductus est, habet in ea perseverandi adjutorium. Insuper, ut ibidem docet S. Pater, & definit etiam Tridentina Synodus sess. 6. cap. 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur.* Etsi autem nonnulli hæc verba explicant de subtractione gratiæ sanctificantis, quam interpretationem nec improbare videtur Nicolaus L'Herminier Tom. 1v. pag. 230. sunt tamen etiam accipienda de gratia actuali, ut demonstravimus in velitatione adversus primam thesim Jansenianam. At si justificatus per gratiam *habitualem*, & ordinaria auxilia perseverare non posset, desereretur à Deo, antequam Deum ipse desereret. Ergo potest perseverare.

13. Solvitur. Resp. ad 1. concedo Deum sanare præstando etiam, ut non peccemus. *Sed hoc*, ut ibidem addit Augustinus, *agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Itaque quos firmissimos vult efficere, non solum sanat ne ulterius peccent, si velint; sed præparat etiam in eis voluntatem ut velint non peccare, & sint perseverantes usque in finem. Ad secundum concessa majori, nego minorem. Qui enim non perseverat usque in finem, prior deserit Deum; quoniam libere & voluntarie ponit obicem, ne actualis gratia conjuncta cum *habituali* impertiatur ei potentiam proxime expeditam, connexam cum ipsa actuali perseverantia. Atque ita subtrahitur ei gratia efficax, quæ desinit esse talis superveniente superbo tumore, aut pugnaci cupiditate. Explicavi rem totam exagitando citatam thesim Jansenii. Atque Augustinus proximo cap. de Nat. & Gratia, *Per voluntatem nostram* (inquit) *sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua, Non movebor in æternum.* Et de Corrept. & Grat. cap. 13. *Hi ergo qui non pertinent ad istum* (Prædestinatorum) *certissimum & felicissimum numerum, pro meritis justissime judicantur. Aut enim jacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt; nec perseverant: deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non acce-*

accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.

14. Objectio 2da rejicitur. Ob. 2. Causa, cur permulti non perseverent, ex solo libero arbitrio petenda est. = Resp. propositionem universaliter prolatam esse falsam: infantibus enim, qui rapiuntur ante baptismum nondum capaces usus rationis, non perseverantia pœna est peccati, quod originaliter traxerunt; & ex adverso in iis, qui decedunt accepto regenerationis Sacramento, finalis perseverantia est absque libertatis usu; ut demonstratum est supra. Deinde respondeo verbis Augustini de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum est nos mandata servare si volumus, & facere cum facimus: sed præparatur voluntas à Domino, & ille facit ut faciamus, &c.* Nobis itaque imputatur non perseverantia, quia libere Dei præcepta transgredimur; Deo autem perseverantia, quoniam ne transgrediamur ipse præparat voluntatem, viresque nobis præbet efficacissimas.

15. Objectio 3tia refutatur. Ob. 3. Justus, cum sit filius Dei adoptivus, habet jus ad gloriam. Ergo & ad finalem perseverantiam; per quam Gratia cum gloriæ corona conjungitur. = Resp. dist. ant. Habet jus *remotum*, & si usque ad mortem in gratia perseveret, concedo: habet jus *proximum*, eique gloria conceditur, nisi perseveret re ipsa, nego. Nam Matthæi x. v. 22. legimus: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Si dixeris non denegari media necessaria ad consecutionem salutis jus ad illam habentibus; constat ex dictis respondendum esse, quod utique non denegantur media sufficientia, sed ponentibus obicem justo Dei judicio denegatur auxilium efficax, sine quo nequit homo lapsus proxime perseverare. Si reponas, nullum Patrem, nullumque amicum negare suis debitam mediorum subministrationem; pariter respondeo, nec Deum necessariam gratiarum dispensationem denegare justis, sed tantum extraordinariam ac specialem paratam iis justis duntaxat, qui filii sunt & hæredes, & qui perseverantes in charitate in Deo permanent. Si addas justis simul cum charitate *habituali* Deum cæteras virtutes largiri; liquet respondendum esse, præter *habitum* supernaturalium virtutum, indigere hominem *gratuito auxilio Dei conservantis ipsum in bono usque ad finem vitæ*, atque istud in hoc statu esse adjutorium, *quo* dirigamur & protegamur *contra tentationum impulsus*: ut dictum supra, & de H. P. capite sexto.

16. Objectio 4ta reprimitur. Opp. ultimo. Homo justus potest ad breve tempus sine speciali gratia vitare peccatum mortale. Si ergo in eo statu moriatur, dicendus erit perseverasse usque in finem. At possunt illi causæ naturales mortem inferre ab universali Dei providentia ordinatæ ac directæ. Igitur in eo casu non erit perseverantia donum gratiæ peculiaris. = Resp. falsam esse consequentiam. Quod enim homini justo mors superveniat, antequam procellæ tentationum insurgant, eumque rapiat priusquam malitia mutet intellectum ejus, non causis naturalibus tribuendum est, sed latenti in causis hujusmodi altissimæ, & erga Electos beneficentissimæ Providentiæ. Verum hæc in Prænotatione, & in postremo pro sententia nostra argumento satis enodata fuerunt.

17. Explicatur textus Apostoli. Habes ex dictis veram intelligentiam verborum Apostoli ad Rom. v. v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Ut enim S. Pater ait de Corrept. & Grat. cap. 12. *Primo homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Et similiter D. Thomas 1. 2. q. 109 art. 10. ad 3. *Homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulterius eis datur quod perseverent. Et sic donum Christi est majus, quam delictum Adæ.* At satis in hac quæstione nostra immorabatur oratio.

CAPUT

CAPUT VIII.

De variis Theologorum placitis circa sufficientia auxilia pro omnibus instituta.

SUMMARIUM.

1. Inductio ad hanc materiam.
2. Omnibus datur gratia sufficiens.
3. Explicantur varia Doctorum placita.
4. Sententia Jansenii est longè alia ab hoc.
5. Deus pro omnibus instituit remedia salutis.
6. Non est de fide, omnes recipere gratiam omnibus præparatam.
7. Probatur.
8. Ad imputationem peccati non est necessaria actualis gratiæ inspiratio.
9. 10. & 11. Probatur diversimodè.
12. Gratia Orationis adest cuilibet fideli, non infideli.
13. Aliqua ex dictis colliguntur.
14. Nullus absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.
15. & 16. Id Probatur ulteriùs.
17. Gratia deest quibusdam ob impedimentum, quæ ponit humanum meritum.
18. Quomodo hoc intelligendum in parvulis.
19. Responsio Adversariorum declaratur.
20. An Infideles habeant gratiam sufficientem.
21. & 22. Probatur Authoritate & rationibus.
23. Responsio Adversariorum declaratur.
24. An obdurati habeant gratiam sufficientem.
25. & 26. Probatur authoritate & rationibus.
27. Si alicui deest gratia, ea deest ex culpa hominis.
28. Objectio Pelagianorum refutatur.
29. Usque 43. Solvuntur variæ objectiones.
49. Discrimen inter damnatos, & viatores à gratia alienos.

Epigramma.

Omnibus in rebus geminum est opus Omnipotentis
Totum justitia est quod gerit, aut pietas:
Quæ simul in terris descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit utrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia justitiam
Damnantem elatos, salvantem justificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

Prænotatio.

1. Inductio ad hanc materiam.

Amplissimam, ac perdifficilem disputationem aggredior: in qua cum nec latum unguem velim ab Augustino discedere, necessum sit autem cum Adversariis plurimis congredi, oportet, me veritatis præsidio, Doctorum suffragiis, rectaque methodi partitione præmuniam. Principio quibusdam etiam infidelibus, atque pervicacissimis peccatoribus interdum conferri divinas inspirationes, imo & efficacem gratiam, per quam ante fidem & justificationem aliquando bene operantur, satis in superioribus demonstravi. Instituitur itaque disputatio de omnibus ac singulis hominibus in universum. Justis etiam sufficientem gratiam adesse, & neminem deseri à Deo, nisi ipse Deum deserat, cum omnibus Catholicis profitemur. Exteriores gratias, videlicet exemplum Christi omnibus ad imitationem propositum, prædicationem Evangelii saltem exhibitam, nec non oblatam pro omnibus Redemptionem, instituta pro omnibus Sacramenta, paratam omnibus medicinam, promptissimum ex parte Dei auxilium conferendum, nisi in hominibus reperiatur propriæ voluntatis repugnantia, aut causa alia justissimæ indignationis, penes nos extra omnem controversiam positum est. De ullo, quantumvis maximo peccatore, donec vitam agit corpoream desperandum non esse, & quandiu est in Corpore Christi, aut illi potest adnecti, eum vel recipere actu vel posse recipere salutares ejus influxus, & vitam quoque cum suo Capite sempiternam, & fides Christiana, & ratio ipsa demonstrat; quoniam nemo est in hac vita, qui gratiam non habeat, aut habere divina liberalitate largiente non possit. Haberi veram gratiam sufficientem, etiamsi non inspiretur à Domino sancta victrix delectatio, quemadmodum adversus secundam positionem Jansenii propugnavimus, repetimus in præsentia. Illud itaque tantum in quæstione versatur, num reapse auxilia sufficientia singulis omnino hominibus non solum parata sint, & exhibita, verum etiam pro qualibet temporis circumstantia, & præsertim urgente præcepto collata.

2. Omnibus datur gratia sufficiens.

Est ergo valde probabilis, & in Scholis recepta sententia omnibus indiscriminatim dari sufficientis gratiæ adjutorium. Istam propugnant celeberrimi Theo-

Theologi Societatis Jesu, Molina, Vasquesius, Suarez, Valentia, Deschamps, & qui priori loco commemorandus erat, Eminentissimus Bellarminus. Is tamen lib. 2. de Grat. & lib. arb. scite animadvertit obduratis non omni momento gratiam adesse, sed quando opportunum Deo videtur gratiarum suarum munera distribuere. His consentiunt Thomistarum plures, quos inter veniunt digno honore celebrandi Magister Avila de Auxiliis cap. 8. Alvarez lib. XI. disp. 112. Cardinalis Gotti de Reprob. q. 1. dub. 3. Cajetanus Benitez de Gratia Christi infideles & obcæcatos adjuvante disp. 1. & 2. & Salmanticenses Tom. v. Tract. CXI. q. 14. dub. 3. Non recedunt ab his, opinione nostra, Recentiores alii, qui putant adesse omnibus gratiam orationis, qua possint petere auxilium proxime sufficiens ad implenda mandata; nam & præclarissimi illi Thomistæ non *proxime, sed remote sufficientem* gratiam omnibus indiscriminatim concedunt, qua si bene utantur, præsto sit uberior, fidem infidelibus, & conversionis potestatem fidelibus impiis subministrans. Quam sententiam de orationis gratia præsente singulis erudite propugnant sua Instruct. Pastorali Antistites Lucionensis, & Rupellensis, Doctissimus Magister Bellelli in postremo Opere de Mente Augustini vol. 1. cap. VII. & per hanc communem ac sufficientem gratiam orationis sine adjutorio efficaci aliquando hominem reipsa orare, docuit olim Alphonsus Le-Moyne, & nuper Honoratus Tournely de Grat. p. 2. quæst. 7. concl. 5. Laudari solet pro hac sententia Eminentissimus Norisius: sed hujus assertum est, Gratiam orationis, quæ adest omnibus justis, non adesse infidelibus; ut docet clarissimus Auctor in Jansenia-ni erroris calumnia sublata cap. 3. in justis vero gratiam orationis tribuere potentiam proximam ad implorandum adjutorium sufficiens ad implenda mandata, sed hominem libera suppositione judicii practici erronei interdum obicem ponere prædictæ potentiæ ad orandum proximæ. Falsum est igitur gratiam orationis juxta Norisium vel dari omnibus, vel semper tribuere justo potentiam proxime expeditam ad orandum. Dogma de Gratia sufficienti singulis distributa ad fidem pertinere, scriptitarunt postrema hac ætate nonnulli. Jam quid intelligunt per gratiam sufficientem Mediste, quid Theologi reliqui, & quomodo Thomistæ repudiant auxilium sufficiens Molinistico sensu, non semel libro superiori significatum est.

3. Explicantur varia Doctorum placita.

Sententiam præcedenti oppositam tradi ab Augustino, Fulgentio, ac Prospero, nec non à D. Thoma, ejusque discipulis celebrioribus, etsi nollent aliqui talia præsidia abjicere, fatetur Theophilus Raynaudus in Lugdunensi Operum S. Leonis Magni editione, & Gabriel Vasquez 1. p. disput. 97. cap. 3. & 2. p. disp. 193. cap. 4. Liquet confessione Salmanticensium, acerrime defendi à Ledesma quæst. unica de Auxiliis art. 16. Godoy Tract. 8. de Prædest. disp. 73. §. 4. Gonzalez ibidem, Dom. Bannesio 1. p. q. 23. art. 3. Goneto de Reprob. disp. 5. art. 5. Et licet aliqui distinguant inter auxilium quod immediate datur ad credendum, & illud quod datur immediate ad faciendum bonum quodcunque morale, & mediate ad fidem, & affirment non quidem primum, sed hoc postremum singulis dari, ut Didacus Alvarez lib. XI. de Auxiliis disp. 112. cujus sententiam non pauci modo amplectuntur; cæteri tamen tradunt, infidelibus negative, obcæcatis quibusdam, & parvulis in utero matrum emorientibus nullum sufficiens auxilium dari, nisi dari accipiatur prout idem est, ac præparari & exhiberi, quemadmodum explicat Bannes laudato articulo concl. 6. & 8. Neque hi tantum ex Thomistis negant auxilium sufficiens recipi ab omnibus: sed alii plures, qui de Gratia stylo fusiori scripserunt: quos inter principem locum obtinet clarissimus Lemos lib. 4. Panopliæ P. 2. Tract. 3. post illum vero Joannes Gonzalez Romani Collegii S. Thomæ Regens, & Controversarium de Auxiliis scriptor doctissimus, Controv. v. art. 8. Mitto Auctorem Historiæ de Auxiliis eamdem doctrinam propugnantem duobus postremis capitibus libri tertii. Hos autem omnes, non more atque instituto multorum attuli, sed singulos legere non prætermisi, animadvertens male Alvaresium, & Zumel à Goneto pro hac sententia citari, male à nonnullis pro priori partem Thomistarum nobiliorem. Quod attinet ad parvulos præfocatos in utero matrum, non reperies antiquum Thomistam, qui teneat iis sufficiens auxilium applicari, si fides habenda est, habenda est autem plurima, Thomæ de Lemos cap. XV. ejusdem Tract. num. 215. & Bannesio citato art. Concluf. 5. Imo Deum nolle salutem parvulorum illorum existimavit Gabriel Vasquez. 1 p. disp. 95. & Cardinalis Sfondratus in Nodo prædest. 1. p. sect. 1. n. 4. quamvis id nos minime probare possimus. Negant denique auxilium sufficiens omnibus indiscriminatim conferri, præter Augustinianæ

nianæ Scholæ Doctores, Theologi Lovanienſes in Cenſura ad Aſſert. 7. & in Juſtificat. cap. XII. & Duacenſes ad eandem 7. Aſſert. Abulenſis ad caput 4. Exodi q. 2. Nicolaus L'Herminier Tom. 4. pag. 406. & ſeqq. Atque hos laudaviſſe ſufficiat.

4. Sententia Janſenii eſt longè alia ab hac.

Huic ſententiæ acerrimi quidam Propugnatores prioris vulgo dictitant accedere Janſeniſtas, ut hoc forſitan terriculamento novitas dogmatum vetuſtatem oppugnet. Sed quamquam Janſenius infideles & obduratos carere interdum gratia docuerit lib. 3. cap. 10. de Grat. Chriſti; cœlo tamen toto diſtat à Catholicorum opinione decretum Janſenianum. Ut enim ſtylum in hanc hæreſim exercendo demonſtravi, Janſenius nec gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam, nec indifferentiæ libertatem admiſit; & conſequenter nullam in infidelibus, nullam in obduratis gratiam ſtatuit effectu carentem, & tamen utrosque peccare credidit in eo, quod vitare non poſſunt. Econtra quicunque ex Catholicis negant gratiam conferri promiſcue omnibus, nullum peccatum dari exiſtimat ſine indifferentia liberi arbitrii, & fatetur frequentes eſſe ſanctas inſpirationes, quibus reſiſtitur. Quapropter non abs re futurum fore crediderim, ſi placita Scholæ vindicavero, & rigidiora emollire, falſaque revincere adoriar; uti agam, quoniam hiſce de Gratia velitationibus diem dixi ſatis laxam, contractis disjunctisque pronunciationibus.

5. Deus pro omnibus inſtituit remedia ſalutis.

Prop. I. Deus pro omnibus, ac ſingulis remedia ſalutis inſtituit, paravitque, exhibuit, & quantum eſt ex ſe nulli prorſus mortalium denegat ſupernas illuſtrationes, aliarumque gratiarum beneficentiſſimam largitatem.

Prob. I. ex Scripturis. Sap. 12. v. 1. habetur. *O quam bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus?* Cap. XVIII. Ezech. 23. *Nunquid voluntas mea eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Joannes 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem.* 1. ad Timoth. 2. 4. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri.* In Epiſt. 1. Joannis 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Innumera ſunt hujus generis loca ab unoquoque Theologorum collecta. Confirmatur ex Conciliis: ex Senonenſi in decretis Fidei cap. 15. *Gratia ſemper eſt in promptu, nec momentum quidem præterit, in quo non ſtet ad oſtium & pulſet.* Ex Trident. Seſſ. 6. cap. XI. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Commonſtratur ex Patribus; nam ſcribit Innoc. ad PP. Carthaginenſes: *Deus quotidiana præſtat remedia.* Serm. 16. de Paſſione S. Leo: *Juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Auguſt. Tract. in Joannem 12. *Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum.* Stabilitur poſtremo ratione, quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & pro omnium ſalute tradidit Unigenitum Filium ſuum. Igitur, quantum in ſe eſt, Deus optimus, ac beneficentiſſimus omnes complectitur, omnium miſeretur, omnibus opitulatur.

6. Non eſt de fide, omnes recipere gratiam omnibus Præparatam.

Propositio II. Non eſt de fide, quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum omnes reapſe recipiant.

Probatur I. teſtimonio, & confeſſione Adverſariorum. Salmanticenſes de ſententia illorum, qui negant ſufficientem gratiam recipi à ſingulis Tom. 5. Tract. CXI. q. XIV. dub. 3. §. 1. *Prædicta opinio*, inquiunt, *probabiliſſima eſt, & ſatis communis inter graves Theologos.* Antoninus Maſſouliè diſſert. 4. de Gratia Adami q. 3. art. 2. *Compertiſſimum eſt, minimè ad errorem Janſenii pertinere, ſi quis obduratis & excæcatis denegari à Deo gratiam contenderet, qua præcepta impleant: Cum enim in eodem Janſenii loco univerſaliſſimæ hæc propoſitio referatur, Infidelibus, excæcatis, obduratis, juſtisque etiam interdum deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant, ultimam de juſtis partem ſanctus Pontifex duntaxat proſcripſit; alteram vero intactam reliquit.* Expende Theſim Janſenianam Cap. 3. Prop. 1. Eminentiſſimus Gotti citato loco docet, *Catholicos Doctores loquendo de hominibus juſtis convenire: At ſi de aliis hominibus loquamur, non ita conſentire.* Benitez adverſus Paulum Lugdunenſem poſitionem hanc noſtram non ſolum probat, ſed magna præterea argumentorum copia colluſtrat. Vasqueſii ingenuam confeſſionem, ac magnum ſimul animum videas, quæſo, humaniſſime Lector, cap. 3. diſp. 97. in 1. partem. Tournely de Grat. pag. edit. Ven. 634. *Unum* (ait) *hic diligenter obſervate de mera Scholæ quæſtione hic, non de fide moveri quæſtionem. Hoc enim unum hic fides ſtatuit juſtis non deeſſe gratiam, qua poſſibilia ipſis ſint Dei mandata. De ſolis juſtis loquitur Conc. Trid. Seſſ. 6. cap 11. & Can. 18. De ſolis etiam juſtis actum eſt in prima ex quinque famoſis Janſenii propoſitionibus.* Profert poſthac prædictam P. Antonini Maſſouliè conteſtationem.

7. Probatur.

II. Probatur: quis enim, nisi natura malevolus & maledicus tanquam fidei adversam traduxerit sententiam clarissimorum virorum, Lemosii, Bannesii, Ledesmæ, Goneti, Duacensis, ac Lovaniensis Academiæ, Driedonis, Gregorii, Norisii, Abulensis, aliorumque multorum, quorum nomen nulla erroris tetigit, hac saltem in parte, suspicio; scripta autem præclara studiosorum manibus teruntur, habentur in pretio, laudibusque frequentissimis exornantur?

III. Unde poterunt evincere viri docti quæstionem, in qua versamur, spectare ad fidem? Non ex Scripturis, quoniam his probatur duntaxat, Deum quidem omnibus opem ferre, & gratiæ lumen undequaque diffundere; sed non pauca occurrunt loca minitantia perversis ablaturum Dominum sepem vineæ producenti labruscas, derelicturum Babylonem, excæcaturum subtractione luminis oculos improborum, nec solam misericordiam & pacem, sed justitiam quoque indignationemque commemorant. Plura etiam fas est de exterioribus gratiis interpretari, nonnulla de vi & efficacia instituti remedii, multa de auxiliorum præparatione. Neque rem conficient traditione, eoquod hoc ipso responso Patrum pronunciata expediuntur; & pro negativa sententia contendunt Theologi inclyti stare Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Gregorium Magnum, Thomam Aquinatem, D. Bernardum, aliorumque numerum maximum, auctoritatemque præcipuam. Atque id num verum sit, postmodum est inquirendum: ad hanc enim thesim comprobandam sufficit. id sentire Catholicos plurimos, neque omnes repugnare adversarios. Sed nec suadere poterunt sententiam suam voluntate divina generali salvandi omnes. Enimvero voluntas ista antecedens est; quam enim appellant sequentem, non est in Deo nisi comparate ad genera singulorum, & quatenus nemo salvus fit nisi Deo adjuvante & volente. Ex voluntate autem antecedente in singulos actualis gratia non derivat, sive voluntatem illam dixeris signi, non beneplaciti: sive illam explicaveris comparate ad universum humanum genus, at non ad hujus generis individua in certis circumstantiis constituta; sive ejus effectum dixeris institutionem ordinis, non consecutionem: quam postremam sententiam nos amplectimur, præcedentes duas complures alii tutantur. At ad voluntatem antecedentem uno ex his modis acceptam sat est, si remedia sint instituta, & auxilia parata. Quod etiam sufficere ad generalem Redemptionem, cujus certissimum dogma ad sensa Patrum sacrorumque Conciliorum, non ad discrepantes opinationes Scholasticorum exigendum est, demonstravi quarto capite in hæresim Jansenianam. Atque hæc cum ita sint, verbis Prosperi Adversarios alloquimur:

Jam quia summatim, ut potui, sententia vestra
Decursa est: dic unde probes, quod Gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit?

8. Ad imputationem peccati non est necessaria actualis gratiæ inspiratio.

Propositio III. Non est necessaria ad imputationem peccati præsens & actualis divinæ gratiæ inspiratio.

Prob. I. Sufficit ad merendum vel demerendum libertas indifferentiæ *quoad exercitium*, nec requiritur *quoad specificationem*, sive satis est, si adsit libera potestas agendi vel non agendi quod opere ipso exercetur. At hæc libera potestas reperitur in iis etiam, qui sufficienti gratia sunt destituti. Igitur demereri possunt, & revera peccare. Minorem propositionem sequentibus momentis demonstro. Sit primum. Liberum habemus arbitrium ad malum sine gratia; non enim ad hoc vel ad illud privatum, noxium, ac prohibitum opus voluntas est naturaliter determinata, sed omne particulare bonum sive honestum sit, sive apparens semper amandum proponitur cum indifferentia judicii, quoniam nisi bonum sit summum ac perfectissimum, & in se inspectum sine ulla specie & ænigmate, facile in eo deprehenditur ratio aliqua mali. Atqui peccando prosequitur voluntas bonum apparens, sine naturali determinatione & cum indifferentia judicii. Igitur peccat libere. Præterea Jansenio objicienti Christum promeruisse absque libertate indifferentiæ, quia peccare non poterat, optime respondetur, *Quod voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum; & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium.* Est enim hæc responsio D. Thomæ 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. Possumus ergo objicientibus hominem derelictum à gratia non peccare, quoniam est determinatus *quoad specificationem* ad malum, respondere, quod illius voluntas non est determinata ad hoc malum vel illud; ideoque peccat per liberum arbitrium unum aut alterum eligendo.

Rur-

Rursus: Asserebat Calvinus peccare homines extincto licet arbitrio, cum peccet etiam Diabolus arbitrio carens. At hæreticum refellit doctissimus Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. art. cap. 14. ad tertium his verbis: *Respondeo tam Angelos sanctos, quam malos dæmones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à necessitate: tamen respectu mediorum liberum arbitrium etiam à necessitate habere, quia multa faciunt quæ possunt non facere, & econtra: & in hujusmodi dæmones vere peccare, & bonos angelos opus vere laudabile facere; quamvis nec pœna, nec præmium essentiale crescere possit, cum utrique sint in termino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant.* Videte etiam Estium in lib. 2. Sent. dist. VII. §. 5. & dist. ultima lib. 4. D. Thomam 1. 2. q. 89. art. 4. Si ergo peccant in operibus deliberationis damnati ac dæmones, qui gratiam nequeunt habere, quanto magis mortales, qui illam habere possunt? Insuper Theologi clarissimi refellunt hoc argumento Jansenianos obtendentes privationem gratiæ, ut dogma suum libertati contrarium propugnent: Etiamsi nihil boni absque gratia possimus perficere, habemus tamen in faciendis malis optionem ac libertatem: Igitur ex privatione gratiæ non infertur peccandi necessitas. Et sane, me judice, facilius hoc responso illorum ora obstruuntur, quam si respondeas gratiam adesse singulis; quoniam hoc postremum in controversia est, & Jansseniana confecutio pleno Catholicorum ore damnata & explosa. Neque enim, nisi omnia me fallunt, minus ego exagitavi Jansenistas eorumque tela contrivi concordissimis Scholasticorum decretis, quam alii præstiterint propriis ac singularibus, licet istorum disputationes longe superent meas eruditionis copia atque ornatu. Saltem ne ambitiose hæc videar effundere, protegit me stylus & eloquentia Petavii ita Jansenistas vellicantis lib. IV. de Opif. sex dierum cap. IX. num. 3. *Mihi quidem profecto insulsum, & absurdum videtur, iis hominibus, qui alieni sunt à Christi gratia, liberum inesse voluntatis arbitrium ob id negare, quod vel boni nihil suscipere possunt, vel ejus saltem boni, quod naturæ superat captum: ex eoque colligere determinatam, & uni alicui sic alligatam, voluntatem, ut indifferentiam non habeat. Quid enim? non saltem eo ipso habet ancipitem, indifferentemque motionem, quod vel in malis unum quidem optare potest è pluribus: vel cum istis naturalia bona, & honesta comparare? quod ad electionis, arbitriique suspensionem, hoc est libertatem sufficit.* Igitur alieni etiam à gratia, cum habeant liberum malorum ipsorum delectum, & plures species, in quibus possunt vim & facultatem suam experiri, peccant plenissima libertate.

Confirmatur præterea thesis Patrum auctoritate, & primum Augustini. Ipse enim objicientibus Pelagianis excusaturos se homines, qui nolunt recte vivere dicendo Gratiam, unde bene viveremus, non accepimus, nunquid respondet, non esse inexcusabiles, quia adest unicuique sufficiens auxilium? Nullibi responsionem istam invenies. Respondet in Epist. ad Sixtum, verbis Apostoli, *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Respondet de Corrept. & Grat. cap. 6. *Si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati quod sint inobedientes Deo sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum . . . . . Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio.* Respondet lib. I. Operis Imperf. n. 98. Deum ad peccata non cogere, eoquod *homo & peccare & non peccare potest: sed alterum horum non facit, nisi adjutus à Deo.* Respondet q. 50. in Deuteron. *Si adjutorium Dei desit, non ideo excusabile est hominis vitium: quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.* Quæ omnia sine interitu libertatis humanæ accipienda esse, ostendimus capite tertio de H. Calviniana. Nequeunt autem verba Augustini intelligi de Gratia *habituali*, sed debent accipi de illa gratia, quæ ad conversionem, & observantiam divinorum præceptorum est necessaria, id est, *de actuali*; alioquin inepta esset ad objecta Pelagianorum, & Massilienfium querelas S. Patris responsio; ut animadvertit Van-roy de Oeconomia Grat. cap. 4. q. 4. & Lemos memorato Tractatu Panopliæ cap. XII. Similiter Prosper in Carm. de Ingratis cap. 32. ait: 9 Confirmatur.

Non autem recte, nec vere dicitur, illos
Qui sunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus.

Consentiunt Fulgentius de Veritate Prædest. cap. 20. libri 2. & S. Thomas pluribus in locis productis & vindicatis à Lemosio cap. 14. præ narratæ lucubrationis.

10. Probatur secundò. Munitur insuper assertio nostra argumentatione sequenti. *Ut homo possit converti, non requiritur ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur, sed satis est, si habere illam & obtinere possit. Quomodo dicitur homo posse manducare panem, etiam cum panem non habet, neque etiam quicquam unde sibi panem comparet: ut etiam dicitur videre potest, qui non habet lucem, sed in tenebrosum carcerem injectus est, quamvis sine luce visurus sit nunquam.* Hæc est doctrina Lovanienſium in Justificat. cap. XII. Revera semper est in natura posse recipere gratiam, ideoque semper est in hac vita libertas in utramque partem flexibilis, in malum se ipsa, & in bonum adminiculis suffulta divinis. Atque hæc est potentia, ut dici consuevit, *remota.* Hinc Thomas Aquinas docet illud non esse impossibile, quod possumus cum auxilio divino, quoniam, ut Philosophus ait in 3. Ethicæ, *Quæ per Amicos possumus, aliqualiter per nos possumus.* Ita Angelicus Doctor 1. 2. q. 109. art. 4. & 2. 2. q. 156. art. 2. Neque dicas illusorie hoc dici, si auxilium quoque divinum nobis desit. Deest quippe nobis volentibus, & libere ponentibus impedimentum, cum simus etiam sine gratia liberi ad malum, quod optione nostra eligentes Domino vocanti & extendenti manus suas dorsa vertimus.

11. Probatur tertio. Postremo, vel de infidelibus loquimur, vel de credentibus. Si de illis, aut *negative* infideles sunt, & non audierunt Evangelium, nec potuerunt audire, aut non sunt tales. Si sunt *negative* infideles, impossibile illis est credere in Christum, laborantque fidei Catholicæ ignorantia invincibili. Iis infidelitatem non imputari in peccatum, certissimum est; cum ignorantia invincibilis tollat libertatem, & excuset à culpa. Hujusmodi ergo infideles tenentur ad solam legem naturalem servandam, & ad bene moraliter operandum. Ad hoc vero opusne habent gratia, aut non habent? Si opus non habent; eccur requiritur gratia, ut imputetur peccatum? Si gratia indigent: non ponant impedimentum aliquod libero judicio practico repugnantes inscriptæ naturaliter legi; atque gratia non deerit. Si in sunt *positive:* vocati sunt, & renuerunt: id perditionis ipsorum causa est. Denique si credunt; certe non possunt dicere, *Non accepimus.* Ut ergo sive fidelis, sive infidelis in excusabilis sit, non requiritur actualis gratiæ participatio; sed sufficit si vel collata fuerit aliquando, vel causa cur non detur, ex ipso sit repetenda, habeatque in opere ad culpam imputabile libertatem indifferentiæ.

12. Gratia orationis adest cuilibet fideli, non infideli. Propositio IV. Cuilibet fideli, nisi libere ponat obicem, adest gratia orationis, qua impetrare potest auxilium immediate sufficiens ad implenda mandata: hac tamen gratia destitutus est infidelis.

Probatur. Fidelis enim credit sibi mandata à Domino esse præscripta: novit scriptum in Evangelio, *Petite & dabitur vobis:* & nisi superbe de se præsumat, propriam infirmitatem agnoscit, & retrahentem à bono concupiscentiam experitur. Atqui si credit, nec superbe præsumit, habet gratiam sufficientem ad orandum. Ut enim Augustinus scribit de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. *Ipsa est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat,* Et Epistola ad Asselicum, *Utilitas legis est, ut homines de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat.* Igitur, nisi fidelis præsumptionis obicem ponat, gratiam habet orandi, eaque nisi in pœnam liberæ elationis non caret. Hinc S. Pater de Nat. & Gratia cap. 44. ait: *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quæ verba Tridentinis decretis sunt consecrata. Et eodem lib. de Natura & Gratia cap. 15. *Qui voluerit, & non potuerit, noudum se plene velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.*

13. Aliqua ex dictis colliguntur. Ex quibus colligitur 1. non habere infideles gratiam ad orandum, eoquod non credant sibi à Deo mandata proponi, imo neque Deum esse legislatorem cognoscant: unde Paulus ad Rom. x. ait: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Colligitur 2. fideles non semper habere potentiam proximam ad orandum; quoniam non semper propriam imbecillitatem animadvertunt, & *ista implicati superbia, ad gratiam non convertuntur juvantem* : inquit Augustinus contra duas Epist. Pelagianorum lib. 3. cap. 7. Vide quæ scripsimus contra primam Propositionem Jansenianam.

14. Nullus absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu. Propositio V. Nullus absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.

Probatur 1. ex nuper dictis: Quisquis enim implicatur superbia, nec vincit legem sitam in membris suis, & repugnantem legi mentis suæ, ponit obicem orationi

tioni faciendæ, nec est in potentia proxima ad orandum, ut erudite demonstrat Norisius in Calumnia sublata cap. 3. §. 2. Atqui sine adjutorio *quo*, sive gratia per se efficaci non possumus præsumptionem vitare, & carnem reprimere concupiscentem adversus spiritum, scribente Augustino de Corrept. & Grat. cap. XI. quod *in tali certamine laborantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt*; & cap. proximo: *In infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat.* Igitur sine gratia per se efficaci sedante rixam carnis & spiritus, & comprimente superbiæ tumorem, hebescit vis orationis & languet.

15. Probatur.

Deinde aut nihil probant argumentationes Augustinensium ac Thomistarum pro necessitate gratiæ efficacis productæ de H. P. c. IX. aut probant gratiam per se efficacem necessariam pariter esse ad orandum. Enimvero Scripturis eo loco productis æquiparantur istæ: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. VIII. 26. &, *Misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater*, ad Galatas IV. 6. Nam ut Augustinus inquit in Epistola ad Sixtum, *Interpellat, quia interpellare nos facit; nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum.* Et infra: *Non hic ait, In quo clamamus; sed ipsum Spiritum sanctum clamantem dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus.* Ecclesia pariter orat: *Fac ea, quæ tibi sunt placita postulare: Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum: Cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur, &c.* Quibus non solum petimus potestatem orandi, sed etiam affectum, actum, initium, exercitium, & complementum. Patres quoque eodem prorsus modo de oratione loquuntur, ac de operibus reliquis. Et Augustinus quidem laudata ad Sixtum Epistola etiam de oratione ait: *Adjutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faceremus facit.* Probat enim eo loco ipsam orationem inter gratiæ munera reperiri, explanatque verba Pauli superius ex Epistola ad Romanos producta. De Corrept. & Grat. cap. I. demonstrat, neminem confugere ad gratiam, nisi cum à Domino gressus hominis diriguntur. Atque libro II. de peccat. meritis cap. 19. docet necessariam esse ad orandum *certam scientiam, & victricem delectationem*, causam afferens, quod præcedit in voluntate hominis apetitus quidam propriæ potestatis, ut fiat inobediens per superbiam: quod vitium nisi adjuvante gratia superetur, nemo ad justitiam convertitur. Fulgentius in lib. 2. de Verit. Prædest. cap. 4. *Admonemur* (inquit) *ut à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium: quod tamen non possumus petere, nisi Deus in nobis operetur & velle.* Habet consimilia Prosper capite contra Collatorem tertio ac vicesimo.

16. Ac deducitur uberiùs.

Si præterea orare possimus absque gratia efficaci potentia ab omni impedimento expedita, non absurdum erit asserere quod unum distinguit ab altero oratio sua: quod præparatio uberiorum auxiliorum non est ex prædestinatione inscrutabili, sed ex præscientia orationis: quod efficax gratia reprobis non denegatur occulto judicio; sed quia non orant. Quæ si affirmentur, corruit systema Augustinianæ doctrinæ, & frustra adversus Molinistas pugnamus. Cum itaque systema illud concuti nequeat: gratia per se efficax necessaria est ad orandum: quamquam voluntas, quæ est adhuc parva comparate ad observantiam præceptorum, potest esse valida & robusta respectu orationis: obex enim, ne quis oret, est superbia arbitrii, per quam non convertimur ad gratiam juvantem; quo obice ablato alia restant superanda obstacula, per quæ ab observantia legis retrahimur. Idcirco ajebat S. Pater, *Qui voluerit, & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, & oret, &c.*

17. Gratia deest quibusdam ob impedimenta, quæ ponit humanum demeritum.

Propositio VI. Est probabilor sententia auxilia, quæ omnibus divina munificentia paravit, quibusdam aliquando deesse ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum.

Probatur. Quamquam misericordissimus Deus ex massa perditionis tum puerulos in sinu immundissimarum fœminarum procreatos, cum infideles inter barbaros enutritos, ac homines iniquissimos ac scelestissimos, ut ostendat divitias misericordiæ suæ, non solum perducat ad baptismum, alliciat ad fidem, moveatque ad resipiscentiam, verum etiam quos vasa honoris elegit, faciat perseverantes, & coronet in misericordia & miserationibus; sunt tamen ex his nonnulli, quibus ad ostensionem justitiæ nec ampliora beneficia largitur, nec renuentes illos vocat, nec trahit pervicaces,

sed occulto, at justo judicio deserit auxilia etiam communia subtrahendo. Hi autem sufficientem gratiam non habent. Ergo, &c. Majorem probo generalibus primum argumentis. Nam gratia sufficiens donum est, nec ulla foret in Deo iniquitas si Deus illam singulis denegaret; alioquin non foret gratia, sed debitum. *Dando enim* (inquit Augustinus de Dono Pers. cap. 12.) *quibusdam quod non meretur, profecto gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur ostendit.* Et D. Thomas 1. 2. q. 106. art. 3. ad 1. *Dicendum quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuscunque non datur, hoc est ex justitia, quibuscunque autem datur, hoc est ex gratia.* Et licet Augustinus de perseverantia loquatur, Thomas vero de nova lege; tenet Doctorum sanctorum argumentatio de gratia quoque sufficiente: propterea quod etiam ista donum gratuitum est, & post peccatum primi hominis indebitum beneficium. Sunt quidem aliqui huic argumento reponentes, debitam duntaxat esse gratiam sufficientem supposito legis præcepto, ut imputetur ad culpam transgressio illius. At satis de hac re dictum supra in tertia positione. Occurrit autem mihi satis opportune præclara ratio Norisii cap. 3. Vind. §. VI. videlicet, quod peccatum Adæ non exemit homines ab observantia legis naturæ perinde obligantis peccante Adamo, vel non peccante, & tamen ipse omne jus ad gratiam admisit. Præterea S. Pater de Corrept. & Grat. cap. XI. ait: *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur.* Deest ergo nunc nonnullis adjutorium *sine quo*. De tali enim adjutorio loqui Augustinum, non autem de efficaci, nec de sola gratia *habituali*, puto esse manifestissimum. Nam primo homini efficax gratia collata nequaquam fuit, sed accepit bonam voluntatem & gratiam sanctificantem, simul cum adjutorio, *sine quo* permanere in accepta justitia non posset: quod proinde adjutorium est gratia actualis, cum sit superaddita *habituali*, & sufficiens tantummodo, cum sit contradistincta ab adjutorio *quo*, donante etiam perseverantiam. Et proculdubio de Gratia actuali necessaria infidelibus ut credere possunt, & impiis, ut convertantur, disputat S. Doctor adversus Adrumetinos. Gratia ergo sufficiens non datur juxta Augustinum unicuique. Sed progrediundum jam est ad particularia thesim articulatim probando.

De Parvulis.

18. Quomodo hoc intelligendum in parvulis.

Puerulis vita functis in utero matrum denegari adjutorium sufficiens inde evincitur, quod cum nondum sint capaces perceptionis & voluntatis, nulla gratia in iis locum habet, nisi exterior, idest, ministratio baptismatis. Atqui hujus modi pueris baptisma non ministratur. Ergo nulla his gratia actualis confertur.

Tam plano argumento responderi solet Deum velle iis infantibus applicari Sacramentum regenerationis, non quidem voluntate consequente, sed antecedente, qua profecto vult illorum salutem. Cur autem non applicetur re ipsa, non voluntas Dei est, sed vel culpa parentum, vel series causarum secundarum immaturam mortem inferentium. At nihil movet me communis ista responsio. Primo quia ad voluntatem antecedentem spectat Sacramenti institutio, & præparatio remedii; ad voluntatem sequentem sacramenti ministratio, & remedii applicatio: ideoque concedendum est tantummodo pro iis parvulis medicinam peccati paratam & institutam; quod extra omnem controversiam positum est. Deinde causa, cur iis puerulis, non conferatur sacramentalis ablutio, non est semper culpa parentum. *Aliquando* (inquit Augustinus Epist. 107. ad Vitalem) *cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente* (baptisma) *non datur, cum repente antequam detur expiret, pro quo ut acciperet currebatur. Unde manifestum est eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Et de Dono Persev. cap. 12. *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismate subveniri?* Accipe & hæc verba ex libro contra Julianum VI. cap. 14. *Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero*

utero immundissimæ fœminæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiæ suæ. Igitur his parvulis denegatur gratia baptismatis ob originale peccatum, non ob præscientiam fututorum operum perperam jactatam à Pelagianis, non ob illorum voluntatem quam non habent contrariam, non ob culpam parentum volentium ac festinantium, quemadmodum cum Augustino commonstrat rerum experientia.

19. Responsio adversariorum declaratur.

Quod vero dicunt, non teneri Deum generalem Provisorem ad perturbandum ordinem causarum secundarum, unde infertur mors peracerba; id quidem verissimum est. Sed meminisse oportet, mortem peccato primi hominis in orbem terrarum fuisse inductam. Prævaricatio ergo primi hominis, quemadmodum immaturæ mortis, ita non applicationis baptismatis, causa est. *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utrisque causa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris nostri, qui in cœlis est.* Ita Augustinus citato cap. XII. de Dono Perseverantiæ. Atque his lucem afferunt quæ diximus Capite præcedenti: ubi ostendimus justo judicio Dei privari infantes istos Sacramento regenerationis propter peccatum, quod generatione traxerunt.

De Infidelibus.

20. An Infideles habeant gratiam sufficientem.

Quibusdam infidelibus non conferri actu gratiam sufficientem ut credant, haud obscure demonstratur ex Scripturis. Gratia enim fidei prædicationi comes esse solet, scribente Apostolo ad Rom. x. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Interdum tamen inspirari fidem divinitus absque exteriori prædicatione, fatemur: sed beneficium hoc est extra communem ordinem, neque est temere supponendum in singulis. Ergo quibus denegatur externa prædicatio, etiam gratia necessaria ad credendum communiter subtrahitur. At prædicationem non extendi ad universos singulatim, ostendit cap. XVI. Act. Apost. ubi vers. 6. & 7. legimus Apostolos aliquando prohibitos à Spiritu sancto, ne loquerentur verbum Dei in Asia, & cum tentarent ire in Bithyniam, non permisisse Spiritum Jesu. Igitur antequam in ea provincia Evangelium prædicaretur, perierunt permulti absque ulla fidei suppernæ colluſtratione. Successivis quoque temporibus post Apostolos innumeras reperiri Gentes, quibus nondum prædicatum est Evangelium, colligitur ex Augustino de Nat. & Grat. cap. IX. Epistola LXXX. ad Hesychium, & ex Prospero Carm. de Ingr. cit. 2. prop. & lib. Sent. sent. 4. & Resp. 4. ad capit. Gallorum. Patefacient & illustrabunt vim hujus argumenti quæ scribunt in Epistola Synodica PP. in Sardinia Exules, & Augustinus de Dono Persev. cap. 19.

21. Probatur authoritate PP.

Probatur insuper ipsorum Sanctorum testimoniis. Horum primus, id est, Augustinus eodem libro de Dono Pers. cap. 9. ait: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Apertissime distincto orationis membro docet hîc Sanctus Doctor negari aliquibus non solum vocationem efficacem & congruam, sed etiam inefficacem, atque sufficientem. Quid enim sibi vult disjunctiva illa locutio, *Aut non vocetur, aut non ita vocetur*? Deinde: Gratia sufficiens ad credendum nequit aliud esse, quam sancta de amplectenda fide cogitatio & affectio, quam Augustinus contra Semipelagianos disputans appellat fidem inchoatam. Et hanc pariter non omnibus dari S. Doctor affirmat cap. IX. de Prædest. SS. *Fides*, inquit, *& inchoata & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare.* Sunt ergo aliqui sine gratia sufficiente ad credendum. S. Prosper laudata sent. 4. habet: *Qui dicit quod non omnes vocentur ad Gratiam, si de iis loquitur quibus Christus annunciatus non est, reprehendi non debet, quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam omnibus terræ finibus prædicatum; nec possumus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi Matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.* Accedit testimonium S. Thomæ scribentis 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. *Dicendum, quod si in potestate hominis dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum: & similiter ad credendum articulos fidei: sed tamen hoc potest cum auxilio Gratiæ; quod quidem auxilium quibuscunque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati, saltem*

tem originalis, ut Augustinus dicit in lib. de Correptione & gratia. Ergo per Divum Thomam non datur omnibus sufficiens adjutorium, ut credant.

22. Ac rationibus.

Accedunt rationes Theologicæ. Prima: quia fides est justificationis initium, ut definit Tridentinum Sess. 6. cap. 8. Quibus ergo deest Fides, deest gratia. Nec valet, si respondeas, præter fidem explicitam in Christum, quæ est radix justificationis, & dispositio proximior, dari fidem aliquam inchoatam, qualem habuit Cornelius: nam & hæc fides *quibusdam non datur*, inquit Augustinus. Præterea: Infidelitas pure *negativa* peccatum non est, ut fatentur omnes contra articulum Baji sexagesimum quintum. Si autem omnes infideles haberent gratiam, ut crederent, possent superare ignorantiam, nec forent infideles *negative:* aut econtra, si superare ignorantiam possent, infidelitas *negativa* peccatum esset. De quo argumento legendus omnino est sapientissimus Thomas Lemos præfato loco cap. XII. Tandem: Cum infideles sint filii iræ, filii vindictæ, eccur Deus his omnibus gratiarum suarum munera nequit denegare? An quia Deum cognoscere possunt, & legem naturæ quantum ad officia virtutum implere? Nulla naturalis actio habet supernaturalium Donorum meritum condignum, aut congruum. Quia viget in illis lex, urgetque præceptum? At jam Charybdim istam prætervecta est disputatio. Num hoc postulat lex æquitatis? De gratia, non de pensione differitur.

23. Responsio adversariorum declaratur.

His occurrunt vulgari responsione, destitutos esse infideles sufficienti gratia ad immediate credendum, non vero remota, & quæ immediate sufficiat ad diligendum Deum, & bonum aliquod faciendum, per quod possint sese ad fidem obtinendam disponere: ideoque posse infideles omnes, quibus nunquam annuntiatus est Christus, habere fidem quantum ad actum remotum, & mediatum, licet non possint quantum ad immediatum & proximum. Si auxilium remote sufficiens hi constituerent in collustrationibus nonnullis cito evolantibus, & leviter excitantibus voluntatem, interdum unicuique à Deo inspiratis, sive in ipsa præsentia Dei, qui multimodis per creaturam sibi servientem vocat aversum, docet credentem, adjuvat conantem: quale adjutorium admittit Norisius in Vindiciis, cap. 3. §. 6. singulis hanc gratiam dari concederem. Certissime enim persuasum mihi est, divinam misericordiam nemini defuturam, si nemo negligeret credere quod ignorat.

Verum quia contendunt adesse singulis infidelibus gratiam proxime sufficientem ad actum mediatum, sive disponentem ad fidem, & adesse singulis momentis, præsertim dum urget legis præceptum, non videtur vulgaris illa responsio admittenda. Primo quia de gratia remota ad credendum, sive de primo fidei initio disputat Augustinus adversus Semipelagianos, ubi ait donum Dei esse, & quibusdam dari, quibusdam non dari. Deinde quia de Corrept. & grat. à cap. 6. ad XI. solvens objectionem, quod nullus esset corrigendus, nunquam eo confugit, ut responderet, præsto esse unicuique gratiam sufficientem ad servandam legem naturæ, quam gratiam si non pessundarent infideles, adesset & donum Christianæ fidei: sed mittens responsum istud, ait in infidelibus causam, cur sint objurgandi, esse, quia fecit Deus hominem rectum, & gratiam negat ob pravitatem primi peccati. Addit adjutorium *sine quo* omnibus in hoc statu non dari; & alia plura, quæ produximus supra. Sunt ergo per Augustinum aliqui destituti omni gratia proxime sufficienti ad qualecunque opus bonum sive fide patratum, sive ad fidem disponens. Ulterius S. Thomas, uti observarunt Lemosius, & Gonzales, productis verbis ex 2. 2. q. 2. art. 5. affirmat in pœnam præcedentis peccati saltem originalis aliquibus denegari gratiam, & ad credendum, & ad diligendum Deum & proximum, id est ad actum fidei tam immediatum, quam mediatum; & loquitur apertissime de Gratia, non efficaci, sed sufficiente, per quam dicitur aut fides, aut amor esse *in hominis potestate.* Illustriora sunt, quæ habet in 3. contra Gentes cap. 159. & 160. quæ legenda sunt cum animadversionibus P. Lemos Cap. 14. n. 202. Prolixa enim sunt, ac piget referre omnia ad amussim. Perspicua etiam sunt verba superius allata ex 1. 2. q. 106. art. 3. Denique si in potestate hominis est aut dilectio Dei, aut temperantia, aut alia virtus, per quam disponatur ad fidem; nulla erit mysteriorum fidei ignorantia invincibilis; quoniam si poneret medium illud remotum, daretur proximum; ideoque non datur, ex illatione sententiæ oppositæ, illius culpâ liberâ, & voluntariâ.

De

De Obduratis.

24. An obdurati habeant gratiam sufficientem.

Aliquibus in scelera damnabili obstinatione ruentibus subtrahi aliquando sufficientis gratiæ auxilium, videtur conforme Scripturis, Patribus, & rationi. Nam Dominus per Esaiam cap. v. v. 5 & 6. ait: *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus & erit in direptionem, diruam maceriam ejus & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ; & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hæc non tantum de populo Israël, quantum de anima multiplicante peccata exponunt Ecclesiæ Patres. Est ergo aliqua anima prævaricatrix à Deo derelicta & deserta in conculcationem & direptionem. Repetit Dominus per Jeremiam LI. 9. *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* Quæ verba interpretatur Hieronymus Comment. in hunc locum de subtractione auxiliorum sufficientium, proferens exemplum medici, qui videns infirmitatem resistentem remediis adhibitis ægroto nulla alia medicamenta ministrat. Item de Judæis Joannis 12. v. 40. repetuntur verba Isaiæ: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde.* In quem locum ait S. Pater Tract. 53. *Sic enim excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Apostolus etiam ad Rom. 1. 24. ait traditos impios à Deo *in desideria cordis eorum*, deserendo eos, & subtrahendo lucem sapientiæ, ut diximus de H. Calviniana cap. v. Hæc ex Scripturis.

25. Probatur amplius ex Patribus.

S. P. Augustinus his verbis describit obcæcati miserrimam conditionem de Nat. & Grat. cap. 22. *Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis. Qua destitutus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, quò admonetur implorare gratiam Salvatoris.* Paucis interpositis: *Utique ista obscuratio vindicta & pœna jam fuit: & tamen per hanc pœnam id est per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura & gravia peccata collapsi sunt.* Et de Perf. Justitiæ cap. 19. obcæcatum appellat *desertum omni lumine veritatis.* Porro qui tantum audit vocem legis, & interiori inspiratione dilectionis penitus destitutus est, nullam habet gratiam sufficientem, quæ proprie ac vere sit talis. Deinde animadvertens S. Pater obviam quorumdam objectionem, non peccatutos excæcatos, si gratia sint destituti, occurrit, ut diximus supra Prop. 3. dicens justissime corripi, quoniam in malam vitam sunt propria voluntate relapsi, & acceptam gratiam amiserunt suo libero in malum arbitrio. Atque de perf. Justitiæ cap. 6. *Peccatum* (inquit) *est, cum vel non est charitas, quæ esse debet: vel minor est, quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit. Si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit. Et tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Similia habet Prosper ad sextum Objectum Gallorum: *Priusquam à dominatione diaboli per Gratiam Dei ipsius liberetur, in illo profundo jacet, in quod se sua libertate demersit, amans interim languores suos, & pro sanitate habens quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quod langueat, & possit opem medici desiderare qua surgat.* Vides adeo impium aliquando demergi, ut infirmitatem suam nec videat, nec velit sanari, destitutum proinde omni sancta dilectione & cognitione, & peccare tamen, quia libere se mersit in pelagus iniquitatum? Et S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 160. disputans de auxilio, non efficaci, non congruo, non proxime sufficienti, sed de illo, *sine quo nullus habere potest ea, quæ sunt necessaria ad tendendum in ultimum finem*, hæc de obstinatis habet: *Quamquam autem illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur, quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur.* Licet ergo possit quilibet prævaricator converti potentia remota, quatenus potest recipere beneficia gratiarum omnibus præparata: licet possit plura legis præcepta implere quantum ad substantiam operis & officia virtutum, & minora impedimenta objicere gratiæ vocanti: licet peccet mala sua voluntate, & libero arbitrio ad malum istud, aut illud nunquam naturaliter determinato; attamen potest in pœnam peccati deseri à Deo, ut nullo excitetur stimulo conversionis, undequaque noxiarum cupiditatum repagulis præpeditus. Atque hæc ex Patribus.

26. Et rationibus.

Ad ratiocinationes quod attinet; si gratiam constituas in misericordia Dei substantialiter ubique præsentis, & adjuvantis non repugnantes; habent hanc profecto obcæcati. Si illam constituas in qualitate transeunte nobis incomperta, insanus ero, si quod ignoro, aut propugnare ausim, aut refellere. At si concedis gratiam actualem esse mentis illustrationem, aut inspirationem charitatis, aut utrumque; nunquam persuadere mihi poteris, scelestissimum quempiam omni momento, etiam cum instat præceptum, cogitatione, aut delectatione sancta quomodolibet excitari. Fallor enim, aut impudentissima mulier captans meretricios quæstus, amplexusque impudicos, avarus restrictus & furax, qui aliorum fortunas quotidie vorat, tabescens invidia, veteri simultate, & ulciscendi cupidine, aliique hujus generis homines traditi in desideria cordis eorum, & evanescentes in cogitationibus suis non habent continuo piam aliquam cogitationem, & voluntatem. Nam, ut Bellarminus scribit lib. 2. de de Grat. & lib. arb. cap. 6. *Cum vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei sit actio nostra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio, bonumque desiderium repente ac divinitus immissum, quomodo fieri potest, ut non sentiatur in nobis, si sit non solum in nobis, sed etiam à nobis?* Constat igitur experientia gratiam obduratis non semper adesse, eo saltem momento quo peccant, & vocationem Dei non percipiunt. Legito D. Bernardum serm. 81. in Cantica.

27. Si alicui deest gratia, ea deest ex culpa hominis.

Propositio VII. Quisquis non adjuvatur à Deo per gratiæ submini-strationem, queri debet de prava sua voluntate, non de ipso Deo beneficentissimo gratiarum suarum largiore.

Probatur I. Quia Deus quantum est ex se gratiam largitur omnibus, ut vidimus Thesi prima. II. S. P. Augustinus de Peccat. meritis lib. 2. cap. 17. ait: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo.* III. S. Thomas, ut nuper diximus, in tertio contra Gentes, ait homines per propriam voluntatem gratiæ ponere impedimentum: & 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo, secundum illud Oseæ 13. Perditio tua Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.* IV. Cum inclinatio rationalis appetitus ob corruptionem sequatur bonum privatum, licet indifferenter & libere, dum ad illud convertitur, retrahit mentem ab incommutabili veritate, & animum flectit ad voluptates noxias, ut quæstionibus præcedentibus demonstravi: atque ita obcæcatur deserente luce sapientiæ ob pravam inclinationem, cui libere obtemperat.

28. Objectio Pelagianorum refutatur.

Nec te moveat, quod hanc pravam inclinationem refrenare, & gratiæ impedimenta non ponere nemo possit sine gratia. Hæc est objectio Pelagianorum, quam Augustinus solvit lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. scribens: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Unde & Apostolus, cum essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostenduntur etiam peccato minime potuisse nisi alia libertate servire. Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; liberi autem à peccato non fiunt nisi gratia Salvatoris.* Igirur sine gratia habetur liberum arbitrium sufficiens ad peccandum, & ad ponendum impedimentum ipsi gratiæ, licet sine gratia non sit liberum arbitrium sufficiens ad vitandum hoc impedimentum, & ad faciendam justitiam. Et ratio est, quia homo alienus à gratia habet circa actus singulos peccati liberam, & indifferentem optionem, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1. & demonstratum est Thesi 3. Hac methodo his pertractatis, constat omne opus Omnipotentis esse aut justitiam, aut pietatem, & utrumque bonum in terras descendere, deseri & damnari elatos, & humiles augeri donis, quemadmodum ajebat Prosper in Epigrammate. Constat præterea Majores nostros non immanem ac ferream, sed æquissimam, & ad coercendos impios aptissimam tradidisse doctrinam: quamquam pia est etiam, probabilis, & Catholica sententia contraria plurimorum Doctorum suffragio probata.

Objectiones referuntur et refutantur.

29. Objectio è Scriptura.

Momenta illorum Doctorum ex dictis eliduntur facillime: at ne quid prætermittamus ad Tironum rudimentum & commodum, ea nunc subjicimus diluenda. Aliqua depromunt ex Scripturis, nonnulla ex definitionibus Ecclesiæ, quædam ex Patribus, alia ex Theologicis

gicis argumentis. Hauriunt ex priori fonte sequentia. Legimus Deum optimum maximum omnes hortari, *ut ad illum convertantur*, uti Ezech. 33. v. 11. *clamitare in capite turbarum, & in foribus portarum urbis proferre verba sua*, ut Prov. 1. v. 20. *stare ad ostium, & pulsare*, ut Apocalypseos tertio, v. 20. Rursus *Deum velle omnes homines salvos fieri*, ad Timoth. 1. cap. 2. v. 4. *nolle aliquos perire* 2. Petri 3. v. 9. *pro omnibus filium suum tradidisse* 2. ad Corinth. 5. v. 14. Rursus *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, apud Joann. 1. v. 9. *neminem se abscondere à calore ejus* in Psalmo 18. v. 7. Præterea conqueritur per Esaiam 5. v. 4. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ?* Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos?* At si non daret singulis vires sufficientes, quo jure assereret se velle conversionem peccatorum? quid clamitaret, & pulsaret ad ostium? quomodo illuminaret omnem hominem, & calorem suum undequaque diffunderet? quomodo vineæ omnem culturam adhibuisset? Cunctis ergo & singulis gratiarum sufficientium dona largitur.

30. Solvitur.

Generalis responsio est principio Deum quantum in se est gratiam singulis paravisse, illam exhibere universis, conferre etiam volentibus & petentibus; & reluctantiam, tenebras, cæcitatem pendere ab humanæ voluntatis arbitrio. Deinde vocare omnes per lumen rationis, quo duce omnes percipiunt Dei existentiam, & naturalem legem honestatis ac veritatis, ita, ut sint inexcusabiles, si Deum non glorificent, turpesque voluptates sectentur: nam si præcedit lumen rationis, libera optio malorum, & electionis potestas; habetur plenissima libertas ad malum, licet ad bonum necessaria sit gratia. Insuper etiam speciale adjutorium elargiri omnibus, secundum distributionem quam vocant *accomodam*. Hæc responsio ex ipsis Scripturis infertur. Vidimus enim supra quibusdam non prædicari Evangelium Spiritu sancto prohibente, derelinqui Babylonem, auferri sepem vineæ & dirui maceriam, ambulare complures in tenebris, & umbra mortis, excæcari oculos impiorum, ne videant. Est etiam familiare divinis eloquiis, ut *omnes* nonnunquam dicant, nec tamen singulos velint intelligi; ut probat in lib. de Incarnat. & Gratia Fulgentius ex consimilibus Scripturæ locis, *In novissimis diebus effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri: Omnes gentes, quascunque feceris, venient, & adorabunt coram te, Domine: Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur, &c.* Quis enim dixerit singulos homines prophetasse, singulos venisse ad fidem, singulos consecutos fuisse misericordiam? Vult ergo Deus omnium conversionem, clamat, pulsat, illuminat, vineæ culturam adhibet, si consideras universitatem humani generis, institutione, ac præparatione gratiarum; si autem homines singulos in individuo, largitate & distributione inæquali, adeo ut *illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum; illum isto, istum illo modo secundum æquitatis secretæ rationem, & excellentiam suæ potestatis*, ut Augustinus docet lib. 2. de Peccat. mer. cap. 5.

31. Aculeriùs declaratur.

Est præterea quid ad omnia singillatim possimus respondere. Nam Ezechielis XXXIII. domui Israël scelera objiciuntur, nec dominus Judæos per se, sed per Prophetam alloquitur: *Tu ergo, fili hominis, dic ad Domum Israël*: ideoque & de solis credentibus, & de solis gratiis exterioribus textus ille concludit. Nam per gratiam internam loquitur Deus illapsu, & submministratione Spiritus sui, nec objurgat & invitat tantummodo, sed etiam inspirat suavitatem ac dilectionem. In Proverbiorum 1. ad Judæos pariter dirigitur oratio, & in mundi Opificio, in promulgatione Legis, & in Prophetarum oraculis sapientia Dei commendatur. In tertio Apocalypsis non dicitur Deus pulsare ad ostium singulorum, nec semper: & satis superque verbis Bellarmini nuper productis explodituer hæc objectio. Attamen si omnium, excepto nemine, velis corda interiori gratia pulsari, necesse non est, ut id fiat singulis momentis vel horis, nec etiam urgente præcepto, sed certis temporibus ad Creatoris beneplacitum. Adde ibi orationem instituti de prædilectis, & ovibus, quarum Christus est Pastor, ut constat versu præcedenti, & expressione verborum. De voluntate salvandi omnes, & generali humani generis redemptione, satis dixi in primo volumine cap. 1. libri v. ad 2. & 5. Propositionem Jansenii, ac prop. 2. hujus Capitis.

32. Responsio ad Scripturam.

In Evangelio Joannis dicitur Verbum *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, primo per lumen rationis & legem omni creaturæ rationali impressam immutabilis veritatis, juxta illud Psalmi IV. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, ut explicat S. Thomas

in hunc locum 2. *non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur*, ait S. Pater cap. 103. Enchiridii. 3. quia non ad unum populum venit, ut Moyses, & Prophetæ, sed ad prædicandum Evangelium omni creaturæ. Atque ita hoc uno verbo demonstratur Dei Filius Conditor, Legislator, & Redemptor universorum, ad differentiam Joannis, de quo cum esset illuminatus à Deo, & veniisset vox, & testimonium Reparatoris, dicitur versu proximo, *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Cæterum confirmat locus iste sententiam nostram. *Si enim ipse est lumen, si ab ipso recesseris, nec in lumine eris: & quid de te sequetur? Quod dixit de impiis: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*: ait Augustinus Conc. v. in Psalm. 103. Idem Evangelista cap. 3. v. 19. *Lux*, inquit, *venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Prætermittenda non est insignis comparatio D. Thomæ 1. 2. q. 79. art. 3. petita à Sole, *qui licet quantum est de se omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cujus fenestræ sunt clausæ: sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol, sed causa ejus est solum ille, qui claudit fenestram.* Ita *Deus lumen gratiæ interius non immittit illis, in quibus obstaculum invenit, &c.* Notat tamen ibidem S. Doctor Deum hoc agere proprio judicio, ideoque esse causam excæcationis, non prout est illa motus animi humani inhærentis malo, sed prout est subtractio gratiæ, unde sequitur quod mens divinitus non illuminetur, & cor non emolliatur ad recte vivendum. Esaias & Evangelista Matthæus loquuntur de Judæorum Synagoga: & præterea sententiæ nostræ vim addunt consequentibus verbis. Nam ille ait, *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem*: iste autem, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

33. Objectio ex Definitionibus Ecclesiæ.

Ex definitionibus Ecclesiæ hæc promunt. In cap. *Firmiter* definitum est hominem lapsum *per veram posse semper pœnitentiam reparari.* Statutum à Tridentina Synodo Sess. 6. cap. XI. quod *Deus sua gratia semel justificatos non deserit.* Senonensis in decreto 15. de lib. arbitrio hæc est perspicua sententia: *Nec tamen tantæ gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.* Consimilia protulit Colonienſis in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ; *Nullus est peccator tam sceleſtus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat.*

Facile est hæc discutere. In Cap. *Firmiter* rectissime dicitur posse hominem lapsum per pœnitentiam reparari, quoniam potest Deus illum gratia prævenire. Appositè Augustinus de Nat. & Grat. cap. 23. *Nemo dicit sic hominem factum, ut de justitia quidem possit in peccatum ire, & de peccato ad justitiam redire non possit: sed ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium; ut autem redeat ad justitiam opus habet medico, quia sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est.* Et tamen hunc medicum aliquandò deserere impium, tradit paulo infra Augustinus. Addo laudati Canonis sensum esse quod possint per pœnitentiam deleri peccata post baptismum patrata, nec relapsorum crimina sint irremissibilia. Ait enim: *Et si post susceptionem baptismatis quisquam prolapsus fuerit; peccatum per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Tridentinum de Justificatis aperte loquitur: nostramque sententiam confirmat. Nam si non deserit Deus, nisi deseratur; ergo si deseratur, deserit. Ita S. Pater citato lib. cap. 22. 23. 26. 29. & aliis locis supra citatis prop. 6. Vide & Adversariorum nostrorum Confessionem thesi 2. Senonense, & Colonienſe Concilium Provincialia sunt. Præterea illud ait adesse semper gratiam, quatenus est *in promptu*, scilicet singulis præparata; & omni momento Deum stare ad ostium, & pulsare, non tamen singulos homines interius sentire pulsantem aliò sensuum strepitu, & specierum varietate distractos. At si non habent interiorem sensum, nempe piam cogitationem, & bonum desiderium, gratia exterior est, non interna. Colonienſis Synodus consulto addidit particulam *penitus*, ut intelligas cuilibet sceleſtissimo peccatori, quamdiu est in via, non subtrahi gratiam omnino, quoniam interdum recipit illustrationes, aut saltem jus habet ad Sacramenta, quibus peccata delentur. Adverte, nec adversarios nostros asserere, Deum semper, omni momento, & incessanter sanctas cogitationes, & pia desideria excitare in singulorum animis. Rursus sententiâ nostrâ, etiamsi quocunque momento adesset mentis cogitatio; si nullam inspiraret delectationem cordi immerso pravis cupiditatibus, non esset hæc gratia vere sufficiens.

Rejicitur.

Nam

Nam Gratia Christi est inspiratio sanctæ dilectionis, ut probatum est de H. Pelagiana. Denique oportet distinguere inter gratiam increatam, quæ est divina misericordia præveniens actus nostros indeliberatos, & inter gratiam creatam, quæ est ab actibus indeliberatis indistincta; quemadmodum aliud est lumen rationis, & lex immutabilis veritatis affulgens menti, aliud ipsa mentis perceptio. Misericordia, & veritas singulis adest, ideoque gratia increata, scilicet ipse Deus. Verum is libere, non aliqua necessitate colluſtrat mentem, & excitat delectationem. Igitur sicut semper, & omni momento est in mente nostra æterna lex veritatis illam irradians & colluſtrans, nec tamen semper est rectum judicium mentis nostræ, eoquod sese convertat non ad illam æternam legem, sed ad fluxas sensuum imagines: ita semper adest misericordia Dei, & gratia increata, nec tamen semper est sancta cogitatio & pia animi affectio in animo mortalium hominum, quia non ad misericordiam juvantem se convertit humiliter, sed ad amorem sui, & ad sensuum illecebras. Idcirco non semper adest gratia, quæ sita est in sancta inspiratione, & motu vitali: de qua præsens fervet disceptatio.

34. Objectio ex Canonibus Conciliorum.

Accedit ad Canones Conciliorum propositio damnata ab Alexandro VIII. anno 1690. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficiente.* Sed merito proscripta est; primo quoniam profertur *indefinite;* atque sunt inter Paganos & Judæos quamplurimi, quibus gratia confertur; ut diximus de Polemone, & de Cornelio. Præterea Infidelium complures aut degunt inter Christianos, aut audierunt ab iis Evangelium, cujus prædicatio non solum est beneficium Christi notitiam suppeditans, ne sit inexcusabilis infidelitas ipsorum, sed etiam solet conjungi cum internis gratiæ illustrationibus, quæ tamen à nimium addictis cultui idolorum, sive consuetudini abrogatorum legalium cito evolant, atque extinguuntur. Est etiam probabilius omnes homines gratiæ motionem aliquam per vitæ decursum experiri, sed tenuem admodum, & veluti semen sparsum secus viam, vel inter spinas conculcatum & suffocatum. Singulis denique patet semper aditus ad misericordiam, ad Ecclesiam, ad Sacramenta, ad medicinam, & ad Aquam & Sanguinem fluentem è latere Redemptoris.

35. Objectio ex Patribus.

Depromunt ex libris Patrum quæ sequuntur. S. Augustinus de lib. arb. cap. 18. & de Natura & Grat. cap. 67. adversus eos, qui de ignorantiæ, & difficultatis pœna ex Adam transfusa queruntur, scribit: *Recte enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, &c.*

36. Præcipuè S. Augustini.

Joannes Gonzales, & Thomas de Lemos respondent Augustinum asserere, quod nullus juste afferre potest in sui excusationem ignorantiam, quia Deus aut per legem scriptam, aut per naturalem, aut per Evangelii prædicationem homines omnes instruit & vocat: & recte, nam qui negat unum esse Deum, superare potest ignorantiam intimâ conscientiâ sui ipsius, rerumque aspectabilium contemplatione: & qui ignorat mysteria fidei, potest ea audire ab Evangelizantibus; & si non potest, non ei imputatur ad culpam. Animadvertunt scite Augustinum dixisse, *Per creaturam sibi Domino servientem*; ne inde inferas semper vocare se ipso, & per internam submiſtrationem Spiritus sancti. Proximo cap. 68. ipse Augustinus hanc responsionem insinuat, docens, quomodo infideles ad fidem excitentur Christianis exhortationibus, Christiani autem concutiantur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur. Hæc gratia sat est, ut sint inexcusabiles, & possint remota potentia quærere quod ignorant. Insuper animadverto, aliud esse Deum vocare, aliud esse præsentem ut vocet. Illud actualem gratiæ submiſtrationem, istud vero præparationem significat, & increatam gratiam interdum ab animorum nostrorum motione sejunctam, ut jam explicavi. Et Augustinus quidem, non ait, Deum vocare omnes, sed esse *præsentem ut vocet.* Si velis etiam cunctis immitti quasdam bonas cogitationes certis temporibus, sed quæ leviter excitent, ut intellectus alio statim evolet, & evanescat in cogitationibus suis; est sententia Norisii, cui non repugno.

37. Urgent objectionem ex eodem imò.

Addunt Adversarii S. P. Augustinum serm. 2. in Psalm. 58. hæc habere: *Si nolis curari vulnus tuum, admonet, ut cureris; & aversum revocat, & refugientem quodam modo ad se venire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum est, Misericordia ejus præveniet*

me. In Psalm. 102. *Vocat undique ad correptionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis.*

Verum quid hæc? Constat in Psalmum 58. S. Patrem de iis loqui, quorum Dominus susceptor factus est, ut in omnibus eorum operibus singularem exerceat providentiam. Atque sic hoc testimonium aliquid evinceret; adesset singulis non solum gratia sufficiens, sed & congrua, victrix, efficax, & quodammodo *compellens & attrahens.* Addit præterea ibidem S. Doctor, omnipotentem medicum non renuntiare ad aliquem, sed *Opus est*, inquit, *ut curari velis, opus est, ut manus ejus non refugias.* Quod si refugias, *odit repellentem manus suas*, ait Enarrat. in Ps. 102. unde altera objectio depromitur. Hæc propterea eadem responsione revincitur. Quamquam commemorantur ibidem omnia genera vocationum, externæ; interioris, communis, specialis, quas omnes singulis impendi neminem puto dicturum. Profert nonnulla alia Augustini loca Tournely P. 2. de Grat. q. 8. art. 3. quæ apertissime sunt accipienda de lege naturæ & lumine rationis omnibus indito, eodem Auctore non reluctante: unde merito prætermittuntur.

38. Secundò. Habetur in expositione quarumdam Prop. ex Epistola ad Romanos prop. 62. de Pharaone celebris locus: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur.* Hunc locum avide quidam arripiunt, objicientes non imputandum esse peccatum, si gratia non adsit, quemadmodum nec imputatum est Pharaoni.

39. Responsio ad adducta. Ast si totum argumentum concedatur, nonne sequitur Paraoni, & obduratis huic similibus gratiam sufficientem fuisse sublatam? Si ulterius reponamus editum opus istud ab Augustino adhuc Presbytero, cum nondum divinæ gratiæ percepisset arcana; nonne id liquet ex cap. 23. primi libri Retractationum? Sed confirmat hæc Augustini sententia, quod alibi tradidit de Obduratis, scilicet hos peccare, quia licet deserti à gratia necesse sit, ut offendant, & cadendo vexentur; nihilominus illis imputatur peccatum, quoniam prævaricatores legis digne lux deseruit veritatis. Sensus quippe est Pharaonem non ideo peccasse, quia obdurato corde obtemperare non poterat, si enim cæcitas omnino esset involuntaria, nullum foret peccatum: sed ideo peccasse, quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur. Hunc sensum demonstrant quæ sequuntur immediate: *Sicut enim in his, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic in his, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur.* Igitur per ipsam quoque obdurationem peccant improbi, in quantum ipsa obduratio est pœna præcedentis peccati, ut pluribus explicat Sanctus Doctor eodem loco, & citato capite tertio ac vicesimo Retractationum.

40. Objectio ex Prospero. Mutuantur ex Prospero quæ sequuntur. I. Libro 2. de Vocat. Gent. cap. 5. ait: *Adhibita semper est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi paucioris, occultioris que gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* II Eodem libro cap. 14. hæc habet: *Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quæ alienatæ à conversione Israël spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.* III. Cap. 29. ait: *Universitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari.* IV. De parvulis sine baptismate morientibus hæc est præclara & manifesta sententia Prosperi cap. 23. *Non irreligiose arbitror credi, nec inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* V. Addunt Stephanus Descamps, & Hon. Tournely illustre testimonium Pauli Orosii in libro de Arbitrii libertate: *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in Corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui, æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam; sed*

sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomas, & cunctis, & singulis ministrare. Et infra, *Evidentissime declaratum est nemini hominum deesse Dei adjutorium, præsertim cum & seductor instet, & insit infirmitas.*

31. Responsio prima. Possum cum Eruditis viris respondere libros de Vocatione Gentium non esse Prosperi: quod probari potest his testimoniis directe pugnantibus cum aliis, quæ habentur in responsionibus ad Objecta Massilienſium, & in Carmine de Ingratis; ubi generalem voluntatem salvandi omnes, & communem humani generis Redemptionem explicat per institutionem & efficaciam remedii, non per actualem gratiæ largitionem, ut ostendimus de H. Jansseniana cap. 4. & hoc in quo versamur th. 2. 3. & 6. Vide & Norisium lib. 2. H. P. cap. XIV. Brevi itaque responderi potest, hunc Auctorem, & etiam Orosium, medium quid sapere inter Semipelagianos, & Augustinum.

42. Responsio secunda. Horum tamen admissa auctoritate, nil conficit pro Scholasticis omnia adversus nos pugnaciter conjicientibus. Auctor enim priorum librorum conatur ostendere etiam Gentiles, homisque universos à fide alienos habuisse gratiam quamdam communem, & veritatis notitiam in dispositione elementorum mundi, per quam possent optime percipere unius supremi Numinis existentiam, ita ut essent in cultu Deorum inexcusabiles; etiam si minime recepissent internas & invisibiles illustrationes, quæ sunt dona gratiarum specialia. Sat esset titulum capitis 5. libri 1. perlegere: *Omnes in elementis accepisse præcepta legalia, ut sint inexcusabiles in idololatria.* Sed quoniam titulis carent Mss. vetustiora, verba Auctoris exscribamus. *Quamvis ergo hæc*, inquit, *& multa similia veritatis Scriptura pronuntiet, secundum ipsam tamen credimus & piissime confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut & prophetica voces, & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac ac testimoniis accepisse: unde & inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi dona fecerunt, & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.* Internam autem inspirationem gratiæ communem non esse, scribit diserte cap. 3. *Incognoscibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt, non solum in populis remotioribus impiorum, sed etiam in civitatibus fidelium per plurimas domos & familias novimus fieri, &c.* De notitia igitur legis, non de gratia speciali loquitur iste Auctor. Confer modo verba nobis objecta, & videbis non solum perperam adversus nos usurpari, sed etiam Adversarios nostros revincere. Gratia enim, de qua disputamus, non solum sufficit ad testimonium, sed etiam ad remedium, neque est sola notitia veritatis distributa in elementis, & reddent inexcusabilem idololatrarum perfidiam, sed interior illuminatio, & inspiratio charitatis, sine qua plurimi sub ignorantiæ tenebris perierunt. Atqui auctor librorum de Vocat. Gent. ait impensam omnibus gratiam sufficientem ad testimonium, & notitiam in elementorum obsequiis, per quam nulli pereuntium suppetat excusatio; & quibusdam tantum gratiam sufficientem ad remedium, & specialem ac supernaturalem inspirationem. Ergo affirmat Gratiam, de qua disputatur, pluribus denegari.

43. Objectio ex aliis Patribus. De parvulis cap. 21. præcedenti definite pronuntiat, *super eos illam manere sententiam, quam humanum genus prævaricatione primi parentis excepit. De immaturitate vero mortis non esse rationem conquerendi, cum semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas obnoxium sibi omnis vitæ nostræ fecerit diem.* Hæc est ergo causa cur plurimi rapiantur sine baptismo, & non semper neglectus parentum. Dum ergo seq. cap. 23. ait, etiam parvulos paucorum dierum ad illam pertinere gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, loquitur de notitia veritatis, quam horum parvulorum parentes potuerunt accipere ab obsequiis & testimoniis elementorum, & negligentes non studuerunt sibi ac posteris consulere veram amplectendo religionem. Nam cap. 25. sequenti docet gratiam, quam universis generationibus Deus indifferenter impendit, esse testimonium elementorum, per quod ad quærendum verum Deum possunt homines adjuvari. Gabriel Vasquez disp. 96. cap. 2. interpretatur postremum locum de parvulis, qui aliquandiu vivunt, & quibus parentum cura negligit subvenire, eoquod appellentur *paucorum dierum homines.* Est autem interpretatio, ut arbitror, falsa, & duobus hisce vocabulis male afficta.

Orosius autem contra Pelagianos asserentes posse unumquemque per naturam & liberum arbitrium salutem quærere & ingemiscere, licet adjutorio Dei tandem tribuerent consecutionem salutis, & objicientibus exemplum Zachæi, qui desiderabat Deum videre, & ideo salus domui

mui ejus facta est, ait: *Nunquid si unus credidit, statim universa domus sine peccato fuit, cui tunc utique Majore domus credente initium salutis fuit?* En aperte scribit Orosius, familiam Zachæi, antequam ipse crederet, non habuisse initium illud salutis, idest posse quærere & ingemiscere, quale initium statuebat Pelagius in natura, & in libero arbitrio. Habemus ergo Orosium nobiscum consentientem. Ex iila vero responsione Orosii emergit statim objectio altera Pelagianorum: Quomodo ergo peccant, qui destituti sunt gratia, & non habent ex se posse quærere & ingemiscere? Huic objectioni occurrit Orosius dicens, Gratiam quæ necessaria est ad libertatem peccandi non esse illam specialem, quam Cœlestius & Pelagius putant in solo bono naturæ singulis contributam; sed notitiam veritatis & lumen ipsum rationis adjutum testimonio, & distributione elementorum, atque id per atomos & per momenta singulis ministrari, & necessarium esse ne imputetur peccatum; licet ad recte agendum requiratur præterea gratia specialis à natura & à libero arbitrio diversa. Sequitur enim post verba, quæ producta sunt, hæc immediata periodus: *Dicit enim Scriptura, Qui facit solem suum oriri super bonos & malos. At tu forte respondes: Ordinem suum composita bene natura custodit, ac per hoc Deus elementariis simul cursibus constitutis facit inde, quæ facit. Quid ergo de illa sententiæ parte, quæ sequitur, opinaris? Dat pluviam super justos, & injustos. Utique qui dat, cum vult dat, & ubi vult dat, vel dispensando dispositam constitutionem, vel effundendo propriam largitatem.*

44. Objectio ex D. Thoma.

Quæ ex D. Thoma objiciuntur; hæc sunt præcipua. I. Q. 14. de verit. art. 11. ait: *Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* II. In cap. 12. ad Hebræos ait: *Gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis.* III. 1. p. q. 49. art. 2. *Deus* inquit, *non deficit, ab agendo quod est necessarium ad salutem.* IV. In 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. hæc habet: *Lex nova quantum est ex se auxilium dat ad non peccandum.*

45. Solvitur.

Respondent ad 1. Thomas de Lemos, & Thomistæ alii, utique id eventurum, sed puer ille non posset sequi ductum rationis sine gratia, quæ per D. Thomam quibusdam datur, quibusdam non datur. Ut enim demonstratum est quæstionibus præcedentibus ex eodem Doct. Angelico 1. 2. q. 109. art. 3. *Appetitus voluntatis rationalis sequitur propter corruptionem naturæ bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei.* Quod in puero illo contingeret ex carnis concupiscentia progenito. Aliqui interpretantur beatum Thomam de puero baptizato: quem certe gratiâ sanctificante exornatum Deus non desereret, nisi ille se à Deo averteret libero voluntatis arbitrio. Ego ulterius fateor illi puero supernam aliquam illustrationem non defuturam, quam tamen pœnalis cæcitas dispelleret, & voluntas ad malum proclivis pessundaret. Testimonia reliqua demonstrant tantummodo Deum quantum in se est auxilia omnibus præparasse, eaque subministrare nullum ponentibus impedimentum: quamquam istud non ponere, aut removere munus sit gratiæ, quæ aliquibus denegatur, ut docet Angelicus in III. contra gentes c. 160. & ipsa lect. 3. in c. 12. ad Hebræos.

46. Objectio ulterior.

Denique momentum gravissimum putant, quod prop. 3. expunximus, de libertate necessaria ad peccatum. Omnino quippe tenendum est, nullum esse peccatorem in hac vita qui & libere non peccet, & pœnitere, & mandata servare non possit. Scribit id post D. Thomam 3. p. q. 86. art. 1. universa Schola Thomistarum, ut demonstrat Tournely de Grat. p. 637. & seq. At sine gratia homo in peccatum necessitate prolabitur, nec pœnitere potest, nec recte agere. Singulis ergo momentis gratia sufficiens adest cuilibet etiam obcæcatissimo peccatori. Hoc argumentum complures Thomistarum à sententia majorum alienavit. Percipere etenim non valent quomodo præcepta Dei sint possibilia, si denegetur auxilium, quo opitulante possunt impleri. Si respondeas cum D. Thoma, non esse impossibilia, quoniam possumus gratiam à divina liberalitate accipere, nec reputatur impossibile quod possumus per amicos; id verum esse fatentur, si amici præbeant auxilium: at si amici, ut hodierni solent, miseros nos derelinquant, quomodo possumus spem locare in præsidio amicorum? Accedit quod libertas tantum ad malum etiam in dæmonibus viget; impium est autem & horrendum damnatos viatoribus comparare. Quis etiam credat æquissimum rectissimumque Judicem plectere reum, cui non est amplius ad bene agendum libertas? Hæc & consimilia plura Theologi non vulgares.

Huic

47. Rejicitur.

Huic præcipuæ argumentationi obvia est ex 3. thesi responsio. Non esse peccatum, ubi non est libertas, & omnia præcepta esse impiissimis etiam & obcæcatis possibilia potentia saltem remota, est prorsus indubitatum. Majorem itaque concedimus, animadvertentes tantum percelebres Thomistas affirmare quidem Deum nemini denegare auxilium, & etiam singulis dare, in quantum *dare* idem est ac præparare & exhibere, non autem prout opponitur verbo *accipere*; ut testatur Gonzales, & proculdubio docet Bannes, quem primum opponunt. Dissentiri aliquos fatemur: sed eruditus Lemosius ait id se vehementer mirari, & Doctores istos S. Thomæ doctrinam deserere, & contrariæ assentiri. Legatur caput 20. de Gratia sufficiente n. 301. tract. 3. 2. p. tom. 4. Panopliæ. Ad minorem dico nullam esse in peccando necessitatem, sed libertatem indifferentiæ quantum *ad exercitium*, id est in optione malorum. Imo S. Thomas do absolute, quod, *potest contingere quod aliquis sit impotens ad faciendum quod oportet: quod si sit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de sero se inebriavit, & non potest surgere ad matutinas, omissio imputatur ad culpam propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Ita 1. 2. q. 71. art. 5. 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. & q. 150. art. 2. & 4. necnon in 111. contra Gentiles cap. 160. Quæ tamen ita accipienda sunt, ut imputetur peccatum, quando est *in exercitio* libera mediorum electio, aut quando dum ponitur causa, prævidetur, aut potuerit, ac debuerit prævideri effectus consequens. Respectu autem bonorum operum, sentio carentem auxilio sufficienti non habere potentiam proximam, peccare tamen illorum omissione, quoniam ejus *impotentia* est libere volita; nam ideo non potest, quia per pravam erga malum voluntatem ponit potentiæ *proximæ* impedimentum. Ergo cum hæc voluntas ad malum se ipsâ libera sit libertate indifferentiæ, quæ sufficit ad peccatum, impotentia per hanc voluntatem inducta non excusat à culpa.

48. Ac declaratur.

Cæterum potentia *remota* semper in hac vita supereſt cuilibet peccatori, quoniam adjuvari potest à Deo, & *quæ per Amicos possumus, aliqualiter per nos possumus*, ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. At dicis, quid si amicus nolit opem ferre? Respondeo Deum non defuturum, nisi tu ponas impedimentum. Quamquam inter Deum, & amicos hoc intercedit discrimen, quod possunt à nobis sine amicorum auxilio aliqua fieri, ut ad illos ire, & ab illis velle adjuvari; cum tamen in bonis operibus nihil sit nostrum, quin à Dei gratia misericorditer præveniatur: ut in illum Thomæ locum observat illustris Thomista Franciscus Sylvius. Atque ita verum est, quod sæpe diximus cum Augustino, malum nullam habere causam nisi ab hominum voluntate; bonum vero à voluntate divina, à qua denegatur quidem gratia justo judicio reluctantibus & nolentibus, sed misericorditer impenditur cuicunque datur, sive minus sit iniquus, sive iniquissimus, ut unusquisque cantet Domino misericordiam, & judicium, & nemo, nisi in ipso Domino glorietur.

49. Discrimen inter damnatos, & viatores à gratia alienos.

Magnum etiam inter damnatos & viatores à gratia alienos discrimen interest. Quamdiu enim vivunt iniqui, converti possunt à Domino gratiæ beneficentissimo largitore. Orat etiam pro ipsis Ecclesia Sponsa Agni, eisque patet semper accessus ad Sacramenta, & ad largiflua piissimi Redemptoris vulnera. Quamobrem de nullo mortali homine desperandum est; imo spes debet esse vividior, quandoquidem indigni quidem sunt plurimi, sed mediatorem habent dignissimum apud Patrem, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Hoc bono expertes sunt dæmones, & spiritus damnatorum, tametsi peccent libere, consensione antiquorum omnium Theologorum. Quare autem non demereantur, non est ex deficientia libertatis, sed quia sunt in termino, & omnia mala opera excercent cum eadem malitia, eademque ab ultimo fine aversione. Eandem ergo sortem esse damnatorum, reproborumque viventium, & utrosque peccare in eo, quod vitare non possunt, magnum est Calvinistarum, & Jansenianorum deliramentum. Reperiuntur inter viventes nihilosecius nonnulli, quos adeo tenebræ comprehendunt, & quos ita tradidit Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, & in passiones ignominiæ, ut ad sextam objectionem Vincentii scripserit S. Prosper: *Multorum hominum malitia talis est, qualis est dæmonum: sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.* Arbitror autem istiusmodi responsiones doctrinæ veterum Theologorum circa libertatis naturam magis esse conformes, ad intelligendam Augustini contra Pelagianos sententiam perutiles, & ad revincendos Jansenii gregarios aptissimas. De qua re alibi dictum satis.

Sed jam ad extrema libri propitio Numine perventum est. Elaboratum cum in isto, tum in præcedentibus, ne in difficillimis circa Gratiam & libertatem quæstionibus, quod ad historiam, quod ad dogmata, quod ad Scholæ placita pertinet prætermissum esse videatur. Quod an assecutus fuerim, prorsus ignoro. Id fortassis non perfeci, at conatus sum equidem. Si Augustinianæ Scholæ commodum aliquod attuli, quod optime sentio vel nullum esse, vel perexiguum; fruere, Lector, æquo animo dissertatiunculis, & quas exhibui hactenus, & quas subinde producam. Nunc, quoniam initium fecit libro Doctor Aquitanus, finem statuat ejusdem Doctoris.

EPIGRAMMA.

Cœlestem ad Patriam tendens cognosce Vocantem,
Cujus proveheris, si bene curris, ope.
Nam si te virtute tua ad Cœlestia credis
Scandere, de superis pulsus ad ima cades.



DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DECIMUS NONUS

In quo disseritur de Justificatione, bonorumque operum meritis.

Ratio ordinis.

GRATIÆ actualis, cui humanum arbitrium obtemperet, præcipuus effectus est divinam in nobis imaginem instaurare, atque diligentes Deum, eique tanquam palmites viti adhærentes exornare copioso meritorum fructu, & justæ retributionis corona. Posteaquam igitur de ipsa actuali Gratia in præcedentibus disseruimus, pertractandum nobis est de Sanctitatis ornatu, sive de Gratia, quam dicimus *habitualem*; per quam in nobis Spiritus sanctus inhabitans abstergit peccatorum maculas, digna reddit pietatis opera, tribuitque diligentibus Deum æternæ hæreditatis pignus & arrham. De hac *habituali* Gratia perpauca tradiderunt antiquiores Scholastici, satis multa qui data opera postremas hæreses profligarunt. Constitutum nobis est hanc servare rationem, ut devitemus Veterum brevitatem, & prolixitatem simul Recentiorum, nec tamen necessarium aliquid prætermittamus: quod si minime fuerimus assecuti: legi poterunt qui de hoc argumento stylo ampliori scripserunt, Vega, Bellarminus, Turrianus, Stapletonus, Hadrianus & Petrus Valemburgenses, Casalius noster, & alii. At priusquam, Lector benevole, pervolutes grandiora volumina, quid pagellæ nostræ contineant inspicere non dedigneris.

CAPUT I.

Quid sit Gratia Sanctificans, quam Scholæ recte *habitualem* appellant?

SUMMARIUM.

1. Divisio materiæ in hoc libro tractandæ.
2. Quid sit justificatio.
3. Quid sit inhærens justitia nos justificans.
4. In quo sita sit illa gratia justificans.
5. Qualiter contingat Justificatio.
6. Cur justi dicantur signati Spiritu Sancto.
7. & 8. An charitas distinguatur à gratia habituali.
9. Respondetur argumentis contrariis
10. Ulteriùs explicatur natura Justificationis.
11. Et comprobatur ex Scriptura.

1. Divisio materiæ in hoc libro tractandæ.

IN Tridentina Generali Synodo, ut refert qui illius Historiam literis mandavit, Cardinalis Pallavicinus lib. VIII. cap. 2. & seqq. cum Patres animadverterent Scholasticos de Justificatione, seu *habituali* gratia jejune admodum disseruisse, plurimum tamen lucis huic quæstioni affusum à Scriptoribus Catholicis, qui postremas hæreses, Lutheranam præsertim, & Calvinianam oppugnarunt; ex horum libris docuerunt veritatem mirifice collustrari. Affirmarunt insuper in hac disputatione, posteaquam assiduis precibus divinum lumen fuerit impetratum, talem methodum esse tenendam, ut primo inquiratur quid sit Justificatio; deinde quid Deus efficiat, quidve ex parte hominum ut justificentur, sit ne-

cessarium: postmodum quo pacto intelligenda sit Apostolica sententia quod homines justificentur per fidem: Insuper quale meritum insit operibus, quæ justificationem aut præcedunt, aut subsequuntur; ac tandem quænam sint justificationis proprietates & effectus. Hanc vero methodum, cum recta sit, atque à Patribus Tridentinis probata, in hoc libro Operis nostri Theologici XIX., atque hujus Voluminis ultimo, tenere jure, meritoque curabimus.

2. Quid sit justificatio.

Primum itaque dicturi quid sit Justificatio, præmittimus vocabulum istud apud Latinos Scriptores minime occurrere, & ideo nugari hæreticos quosdam à Grammaticis justificationis naturam quærentes: quamvis si Tullius quoque, Terentius, Livius, aut aureæ Scriptor alius ætatis dictionem hanc usurpasset, ratio nobis habenda foret significationis Theologicæ, non vero Grammaticalis. Cæterum quantum ad Sacras literas attinet, in his justificatio accipitur I. pro justitiæ declaratione, quo sensu ait Esaias v. 23. *Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* II. pro divina lege, qua proponuntur justitiæ præcepta, ut Ps. CXVIII. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* III. pro interna animi rectitudine, qua sanctitate perfundimur, ut ad Rom. IV. 5. *Credenti eum, qui justificat impium.* IV. pro ipsius justitiæ incremento, ut Apocalyps. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc.* De justificatione præsertim in tertio accepta sensu Catholici dissentiunt à Novatoribus, qui nullam propriam veramque justitiam admittunt, sed *forensem* tantum, id est sitam in sola sempiterni Judicis declaratione, sive in remissione peccati per solam imputationem justitiæ Christi; non vero per gratiam & charitatem animæ inhærentem, atque diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem. Dixi, Novatores nullam aliam admittere veram propriamque justitiam; nam virtutum *habitus* etiam animæ inhærentes minime negant; sed his virtutibus vim justificandi non tribuunt: quare Petrus Martyr de Locis comm. Class. III. cap. 3. inquit: *Exponitur deinde quod duplicem justitiam habere dicamur: unam a Deo nobis imputatam, qua revera justificamur, & eam ex operibus minime obtinemus, verum fide apprehendimus: altera vero justitia est, quæ nobis inhæret, constatque fide, spe, charitate, omnibusque bonis operibus.* Catholici itaque adversus Hæreticos propugnant dari justitiam inhærentem, quæ sit justificationis nostræ *formalis causa*: de qua Tridentina Synodus Sess. VI. c. 7. ait: *Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus.*

3. Quid sit inhærens justitia nos justificans.

Investigandum est modo quid sit hæc inhærens justitia. Quidam Theologi, inter quos Dominicus Soto lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 17. & Bartholomæus Medina 1. 2. q. 100. art. 2. tradunt definitum hoc unum à Tridentina Synodo, quod justificatio non in sola remissione, aut non imputatione peccatorum constituenda sit, sed in interna renovatione; quæ num fiat per qualitatem inhærentem, num per actualem motionem, minime constet. Et quamquam Vega in citatum Trid. locum, asserit spectare ad fidem, quod justificatio fiat per *habitualem*, non per solam actualem gratiam, negant viri docti cum Estio in dist. XXVI. lib. 2. esse id à Synodo definitum, cum potius à nomine *habitus* consulto Patres Tridentini abstinuerint, ne opinionibus Scholæ aliquod afferrent præjudicium. Verum etsi opinio, in quam protendit Medina, non sit à Concilio proscripta; falsum omnino est fieri justificationem duntaxat per motionem actualem; quoniam hæc perperam fingitur in parvulis nondum ad percipiendam sanctam excitationem idoneis, qui tamen dum abluuntur baptismo, sancti & justi efficiuntur; ac præterea justitia dicitur animæ stola, & quasi spirituale indumentum, nec non exprimitur certis characteribus, quibus ab actuali ac transeunte gratia secernitur; ideoque firmissime tenemus fieri iustificationem per gratiam non solum interius inspiratam, sed permanentem, sive, ut appellant, *habitualem.*

4. In quo sit sita illa gratia justificans.

Jam vero cum certum nobis sit eam gratiam, per quam *formaliter* justificamur, permanentem esse, atque inhærentem, in quo autem sita sit natura illius, Theologi nequaquam conveniant; poterit quisque ex his, quæ de actuali Gratia disputavimus, inferre quid de *habituali* tenendum sit. Actualem ergo quidam Deum, divinamque potentiam atque misericordiam nobis intime præsentem dixerunt, alii qualitatem physicam, sive actuosam, ut inquiunt, *entitatem*, complures divinam motionem, permulti illustrationem mentis, & charitatis inspirationem. Inter istas autem sententias nos medium iter arripientes diximus actualem gratiam, si consideretur ex parte Dei, esse Deum ipsum inspirantem nobis bonam voluntatem; si ex parte nostri, esse pium animi motum. Hoc sane pacto Gratiam *habitualem* plures Theologi esse putant

putant Deum ac Spiritum sanctum nobis inhabitantem, multi *qualitatem* inhærentem realiter distinctam ab anima, nonnulli *habitum* adhuc incompertum, & ab anima nequaquam distinctum, plurimi denique ipsum *habitum* charitatis. Itaque medium in hac etiam quæstione tenentes, dicimus Gratiam *habitualem*, consideratam ex parte Dei, esse Spiritum sanctum in nobis inhabitantem, & Deum ipsum in nobis communicatione Spiritus sui permanentem; & si consideretur ex parte nostri, esse charitatem per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffusam; non charitatem illam, quæ est à Spiritu Sancto solum movente: & quæ est sanctæ dilectionis inspiratio, sed charitatem, quæ est à Spiritu Sancto inhabitante, & quæ est animæ *habitudo*, & quasi impressa divinitatis imago, renovatio spiritus, & pulchritudo justitiæ; & per quam Deo chari, & Dei amici vere nominamur & sumus. Atque hac ratione dicimus cum Tridentino sessione VI. cap. 7. quod *Misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, est causa justificationis efficiens: ipsa autem charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem est gratia *habitualis*, per quam *formaliter* justificamur; nam citato loco Tridentini Patres, posteaquam declararunt causam justificationis *formalem* esse justitiam, qua renovamur spiritu mentis nostræ, affirmant id fieri, *dum per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Inhærentem ergo justitiam nos quidem charitatem appellamus, quam etiam *habitum* recte dicimus, in quantum est permanens in anima decor, spiritalis vita, & justitiæ indumentum, consulto abstinentes ab ea quæstione mere philosophica an *habitus* sit res quædam naturæ superaddita; an quod probabilius censemus, ipsa natura tali *habitudine* affecta, & quasi materies signata impressione sigilli, signaculo sancti Spiritus condecorata. Fuit enim mens Concilii, ut inquit Pallavicinus lib. VIII. Hist. cap. 14. *Statuere speciatim habitum infusum justitiæ, & non generatim meram interiorem justitiam, nihil definiendo, eane sit actus, an habitus, uti placuit Gabrieli Vasquez.*

5. Qualiter contingat Justificatio.

Priusquam adversus hæreticos stilum moveamus, hæc paululum colluströare non pigeat. Dicimus Deum, qui justificationis nostræ causa efficiens est, abluere & sanctificare animam, dum illam signat, & ungit Spiritu promissionis: ideoque crasso detinentur errore, qui putant justis non communicari personam Spiritus Sancti. Oppositum sane demonstrant sacræ literæ; nam Paulus ad Rom. v. 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* ubi aperte donum charitatis, sive charisma, à Spiritu sancto tanquam effectum à causa distinguit. Idem Apostolus frequentissime prædicat Spiritum sanctum in nobis habitare, in eadem ad Rom. Epistola cap. 8. 9. 11. in prima ad Corinth. cap. 6. in 2. ad Timotheum cap. 1. & aliis in locis. Atque hinc est, quod justus dicitur Templum Spiritus sancti, & idem Spiritus sanctus unctio, pignus, & arrhabo, ut lib. VII. cap. 14. declaravimus. Idem docent Patres, Cyrillus lib. XXXIV. Thesauri, Epiphanius hæresi 74. Basilius in v. contra Eunomium, Athanasius in Epistola ad Serapionem, S. Pater Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. aliique apud Petavium lib. de Trinit. cap. 4. & 5.

6. Cur justi dicantur signati Spiritu Sancto &c.

Facile est ex hac nostra assertione percipere, cur justi dicantur *signati Spiritu promissionis sancto*, cur habeant in corde spiritum clamantem *Abba*, Pater, cur effecti sint Templum Dei, cur in eis Deus permaneat, cur habeant pignus hæreditatis, cur in regnum dilectionis translati sint. Liquet etiam, quo sensu per gratiam sanctificantem efficiamur consortes divinæ naturæ; quod fortassis nimium ingeniose Theologi quidam exponunt, dum gratiam constituunt in superinducta *entitate*, quæ radix sit singularium attributorum, & fons supernaturalium operationum: quemadmodum divina natura metaphysice accepta principium est proprietatum divinarum. At Petrum, dum Epist. II. cap. 1. ait nos fugientes concupiscentiæ corruptionem, fieri *divinæ consortes naturæ*, minime arbitror animum convertisse ad metaphysicas perceptiones. Quare, absque tanta ingenii tortura, dico *habitualem* gratiam esse divinæ naturæ participationem, quatenus communicatione facta Spiritus sancti Deus justum diligit, apud illum mansionem facit, illum Spiritu promissionis signat & ungit, illi tribuit charisma justitiæ, quo anima quasi in divinam conditionem assumpta fruitur Dei consortio, & sempiternam beatitudinem prometur.

7. An charitas distinguatur.

Non est tamen charisma istud justitiæ sola Spiritus sancti persona, sed, ut præmonui, charitas per Spiritum sanctum diffusa. Me non latet Theologos quam-

plurimos gratiam *habitualem* à charitate distinguere his argumentis adductos. I. Quia Apostolus in 2. ad Corinth. XIII. ait: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, &c.* & Trident. sess. 6. can. 11. *Exclusa gratia, & charitate.* Quæ autem sumuntur conjunctim distinguuntur realiter, ut Pater à Filio, & à Spiritu sancto. II. Quoniam ex Augustino de Grat. Christi cap. 26. Gratia prævenit charitatem. III. Quia gratia & charitas in subjectis realiter distinctis existunt, illa nimirum in anima, hæc autem in voluntate. IV. Quia principium operandi à principio essendi distinguitur. Quatuor hæc argumenta sunt inter Thomistas communia, illaque urget etiam Gavardi Quæst. III. de Grat. *Habituali* Articulo 2.

8. A gratia habituali.

Cæterum longe probabilior est eorum sententia, qui eundem *habitum* esse contendunt charitatis & gratiæ, ut censent præter Scotistas Estius in laudatam dist. XVI. Juenin P. VI. Instit. diss. II. q. 1. atque ex nostratibus Nicolaus Girken Tract. V. Tom. 2. q. 7. Leonardus Vanroy q. 2. de Charitate, Fulgentius Bellelli lib. 1. M. Aug. cap. 5. & seqq. aliique complures. In hujus asserti præsidium afferuntur 1. Scripturæ, quæ easdem charitati, & gratiæ tribuunt proprietates: nam charitas hominem reddit adoptivum Dei filium, ut liquet ex 1. Joannis cap. III. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Charitas reddit hominem Dei amicum, juxta illud Joan. XIV. 21. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Charitas est, per quam Deus in nobis permanet, ut scriptum est 1. Joan. IV. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* atque, ut dictum supra, per charitatem accipimus æternæ hæreditatis pignus & arrham; ideoque charitas omnia ea præstat, quæ gratiæ sanctificanti solent tribui. II. Cum Tridentina Synodus *de formali* causa justificationis loqueretur, aperte inhærentem justitiam declaravit esse charitatem, quæ in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffunditur, ut constat ex verbis supra productis; in quibus nullam aliam, præter Charitatem, *formalem* causam justificationis assignat; cum tamen, ut animadvertit Estius, causas omnes singillatim exponat, & præcipue *de formali* pertractet adversus hæreticos, qui negant inhærentem justitiam. III. Apertissima est Augustini sententia sub finem libri de Nat. & Gratia: *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* IV. Valde infirma est ratio, ob quam ponunt alii inter gratiam, charitatemque discrimen, nimirum, quod gratia naturæ gerat vicem, debeatque cæteris donis virtutibusque substerni: quod falsum est, cum absque gratia permaneant fidei, & spei *habitus*, licet informes; ablata autem charitate, etiam *habitualis* gratia discedat, sitque ipsa charitas quæ virtutibus cæteris tribuit decorem omnem, ac meritum; ut erudite explicat in Conc. de S. Maria Magdalena S. Thomas de Villanova.

9. Respondetur Argumentis contrariis.

Ad argumenta autem opposita facilis est responsio. Nam Tridentina Synodus sess. VI. cap. 7. *formalem* causam justificationis, ideoque gratiam *habitualem* videtur locasse in ipsa charitate, quæ *diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Perperam vero ex ipsa Synodo, aut ex Apostolo opponitur particula *Et*, quasi realis distinctionis invictum sit argumentum; cum vel nullam discriminis rationem importet, vel solam distinctionem connotatorum. Eadem quippe gratia, quæ dicitur justitia quatenus exornat animam, appellatur charitas, in quantum illam reddit Deo charam. Exemplo autem, quod affert Gavardi ex invocatione Trinitatis, in qua particula *Et* demonstrat realem distinctionem Personarum, fas sit respondere recitando verba ex Ep. 2. ad Corinth. cap. 1. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; imo eadem, quæ nobis opponuntur ex cap. XIII. 13. *Gratia, & charitas Dei*, quibus additur, & *communicatio sancti Spiritus.* Enimvero neminem puto ex particula *Et* probaturum esse, quod Deus non sit Pater Domini nostri Jesu Christi, quod Pater misericordiarum non sit Deus totius consolationis, quod gratia & charitas non sit communicatio Spiritus sancti. Ubi vero Augustinus ait, quod gratia prævenit charitatem, docet neminem posse diligere Deum sine inspiratione dilectionis, & charitatem, qua Deus dilexit nos, esse principium efficiens charitatis qua nos diligimus Deum, ut diximus lib. XIV. cap. 6. explicantes actualis gratiæ naturam. Voluntatem denique realiter esse distinctam ab anima, & principium operandi distingui realiter à principio essendi, præsertim si loquamur de principio essendi *accidentaliter*

eadem

eadem facilitate à nobis negatur, qua asseritur à nonnullis. Nullo itaque labore propugnamus Gratiam *habitualem* esse indistinctam à charitate ; cum oppositum minime evincant contraria argumenta superius producta, & quædam alia ejusdem generis deprompta ex Viennensi Concilio, & ex Clem. *de summa Trinitate*, quæ demonstrant tantum justificationem fieri per gratiam inhærentem; quod nullus Catholicorum negat.

10. Ulteriùs explicatur natura justificationis.

Ut à quæstione scholastica ad investigandam sanctificantis gratiæ naturam revertatur oratio ; dixi charitatem non esse Spiritus sancti personam, sed ipsius donum ac munus, ut adversus Magistrum sententiarum dist. XVII. lib. I. omnes fere propugnant. Nam charitas, ut Apostolus scribit, per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffunditur; ideoque ab illo tanquam effectus à causa distinguitur. Charitas etiam minuitur, & recipit incrementum, quod de immutabili spiritu nefas est affirmare. At quoniam Magister hæc prævidens respondit, charitatem esse à Spiritu sancto, in quantum Spiritus dat se ipsum, & augeri vel minui, non quatenus in se est, sed prout nobis communicatur, quo pacto Deus in nobis dicitur magnificari atque exaltari; videtur nobis ita charitatem à Spiritu sancto distinguere, ut non sit creata quædam *forma* habens *entitatem* realiter distinctam ab anima, sed ejusdem animæ habitudo, mutabilis quidem, & capax incrementi, sed ab ipso Spiritu sancto inhabitante producta: quod supra explicavi exemplo impressionis sigilli. Atque ita conciliare facile possumus discrepantes veterum Theologorum sententias.

11. Et comprobatur ex Scriptura.

Hoc ne gratis à me dictum prodeuntes è Schola Peripatetica conquerantur; profiteor primum velle me in gravissimis fidei quæstionibus non Aristotelicis documentis, sed Scripturarum sanctarum ac Patrum doctrinis accommodare auditum, nihil de placitis Philosophorum definiendo. At Scripturæ justificantem gratiam signaculo cuidam æquiparant, atque illud à Spiritu sancto effici docent, scribente Paulo ad Ephesios I. 13. *Signati estis Spiritu promissionis sancto :* quæ verba de Justificatione accipi à Tridentino constat ex dictis. Similiter Patres ad hunc plane modum loquuntur; Athanasius in Epist. ad Serapionem: *Spiritus sigillum est, quo signati divinæ naturæ participes efficimur.* Cyrillus in VII. cum Hermia Dialogo: *Hoc igitur quod divinam nobis imaginem insculpit, & instar sigilli præstantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est?* Hieronymus in caput IV. Ep. ad Ephes. *Signati sumus Spiritu Dei sancto, ut & spiritus noster, & anima imprimantur signaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur.* Accedit, quod *habitus*, qui sint *entitas* quædam realiter à subjecto, cui inhærent, diversa, non probant omnes Philosophi: neque debent ad physiologiæ contentiones Ecclesiastica dogmata expendi. Merito itaque diximus, *habitualem* gratiam esse habitudinem animæ, ipsi à Spiritu sancto inhabitante, tanquam sigillo quodam impressam: eamque non alia definitione arbitramur describendam, quàm ex divina Scriptura ac sanctis Patribus depromptâ: *Habitualis gratia est charitas per Spiritum sanctum inhabitantem diffusa in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhærens, per quam signati Spiritu promissionis sancto efficiuntur divinæ naturæ consortes.* Hanc vero definitionem ex dictis manifestam planissimamque esse arbitramur.

CAPUT II.

Deum nequaquam justificare impios illis remittendo tantum peccata, aut imputando justitiam Christi, sed illos interius renovando per inhærentem charitatem & gratiam.

SUMMARIUM.

1. Sententiæ Hæreticorum.
2. Justificantur impii per gratiam, & charitatem.
3. 4. 5. & 6. Probatur diversimodè
7. usque 13 Solvuntur objectiones variæ.

QUASI

1. Sententiæ hæreticorum.

QUASI in prospectu posita nostra circa *habitualem* gratiam sententia, aperte consequitur, recte à Tridentina Synodo dictum anathema sess. VI. can. 11. hæreticis, quorum alii in sola imputatione justitiæ Christi, alii in sola peccatorum remissione, aut externo Dei favore gratiam, qua justificamur, constituerunt, exclusa gratia & charitate, quæ per Spiritum sanctum in cordibus nostris diffundantur, nobisque inhæreant. Ac prima hæretica opinio quod justitia statuenda sit in sola remissione peccatorum est inter Lutheranos fere communis; quod statui debeat in imputatione justitiæ Christi, est error Calvinistarum. Martinus Becanus lib. 1. de Justific. ait Calvinum pugnantia docere, & quasi jugulare se ipsum, eoquod in libro de vera rat. reform. Eccl. meminerit inhærentis justitiæ, atque aliis in locis inhærentis etiam charitatis: sed ostendi supra verbis Petri Martyris duplicem ab hæreticis tradi justitiam, neque denegari *habitus* inhærentes virtutum: discrepare autem illorum sententiam à nostra, quod illi negent virtutum habitus ad veram justitiam spectare, & nolint hanc per formam inhærentem constitui; atque nihil aliud esse contendant, quam extrinsecam & *quasi forensem* condonationem. Spectare hanc condonationem & externum favorem Dei ad causam justificationis *formalem* etiam nonnulli Catholici cum Alberto Pighio propugnarunt, at non exclusa charitate, & gratia inhærente; de qua tantum cum hæreticis disputamus. Pighius videtur efficientem causam confundere cum *formali*; quam *unicam* esse declarat Tridentinum Concilium eadem sess. VI. cap. 7.

2. Justificantur impii per gratiam & charitatem.

PROPOSITIO: Justificantur impii per Gratiam, & charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhæret.

Thesim istam iisdem plane verbis Synodus Tridentina definit: *Si quis dixerit hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundantur, atque illis inhæreant, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Eandem vero thesim hæc scripturarum loca commonstrant. In veteri testamento Sanctus David justificationis gratiam expostulans, *Asperges me* (inquit Ps. L. 11. 11.) *hyssopo & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. . . . Omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Atque Ezechiel spiritum sanctificationis promittens cap. 36. versu 25. ait: *Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris, mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, &c.* In novo pariter testamento Apostolus justificatos alloquens scribit ad Rom. V. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ipse Dominus ita Apostolos paulo ante mortem consolatus est Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Illis itaque qui justificantur mundities, & spiritalis candor infunditur, & in eis veluti hyssopo purgatricem vim habente purificabatur infectus lepra, peccati macula virtute supernaturali abstergitur. In illis cor immutatur, sordes abscedunt, innovatur spiritus, & nova interior habitudo producitur. Apud illos diffusa charitate Deus inhabitat, scilicet peculiari munere præsens adest, nec sola inspiratione actualis gratiæ pertransit, sed ornatu justitiæ animam induens in ea consistit ac permanet. Neque majori vocabulorum expressione designari poterat Spiritus sanctus inhabitans, justitia inhærens, & *formaliter* justificans Gratia.

3. Probatur ex effectibus gratiæ.

Deinde expendamus, quæso, effectus gratiæ superius recensitos, atque ex iisdem Scripturis depromptos. Redduntur justi *Dei filii*, per adoptionem quidem, at non legalem & declaratoriam, sed sublimioris generis, quæ novam in nobis generationem, nativitatem, vitam, salutem, ac spiritum efficit. Ait de justificandis Joan. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est.* Inquit Apostolus ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Addit ad Rom. VIII. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* Ut ergo naturaliter nobis inhæret natura hominis, per quam nascimur carne, per quam generamur filii Adæ, per quam filio-

filiorum voces emittimus : ita per gratiam justificationis inhæret nobis supernaturaliter naturæ divinæ participatio, qua renascimur spiritu, qua regeneramur in filios Dei, qua voce Spiritus vivificantis clamamus, *Abba*, Pater.

4. Probatur id ulteriùs ex scriptura.

Idem evincunt charismata, quæ Spiritus sanctus dicitur impertiri. Per ipsum justi, tanquam sigillo, *signati sunt spiritu promissionis sancto*, ad Ephes. I. 13. *acceperunt pignus Spiritus*, 2. ad Corinth. I. 22. fiunt *templum Spiritus sancti*, 1. ad Corinth. VI. 19. Hæc quidem inhærentem sanctitatem significant. *Signari* enim non est in sola imputatione, aut favore externo haberi acceptum, sed signaculo quodam, & quasi charactere ab improbis separari. *Arrha* quoque, vel *pignus*, non sola promissio est, aut sola legis præscriptio; sed quædam portio ejusdem rei, quæ promittitur, auctore Augustino serm. de verbis Apostoli XIII. Inhabitatio denique & permanentia Spiritus sancti, non est sola divina substantia, aut immensitas; alias non in justificatis tantummodo, verum etiam in impiis ac damnatis Deus tanquam *in templo* maneret: sed est etiam energia, effectus, charisma, quo anima afficitur, inungitur, exornatur. Ex scripturis itaque constat impium per gratiam inhærentem justificari.

5. Et authoritate sanctorum.

Demonstratur Catholica veritas etiam auctoritate Sanctorum. Veniunt primo loco antiqui Patres, qui ea verba Geneseos, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, non de sola rationalis animæ creatione sed de justitia ac sanctitate præsertim interpretantur, ut Cyrillus Dialogo V. de Trinit. Nazianzenus Orat. 36. Severianus de Opificio mundi, & alii. Hi sanctitatem nihil aliud esse definiunt, quam effigiem quamdam & similitudinem Dei communicatione Spiritus sancti, quasi impressione formatam, ita ut Adam per creationem revera factus fuerit in animam viventem; per inspirationem charitatis evaserit spiritalis, & gratia Spiritus sancti vivificatus. In quam opinionem olim inclinasse Augustinum, liquet ex ejus libro 2. de Genesi contra Manichæos cap. 8. Et quamquam dicendum est Adamum ab initio gratiam sanctificantem accepisse, ut demonstravi libro XII. cap. 7. attamen qui in hac gratia Dei similitudinem cum laudatis Patribus statuunt, supponunt illam intrinsecam, atque inhærentem. Deinde S. P. Augustinus cujus verba exscripsisse videtur Synodus Tridentina, de Spiritu & litera cap. 9. n. 15. ait: *Sicut fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem dum justificat impium.* Vide Trident. Sess. VI. cap. 7. & can. 10. *Formalis* ergo justificationis causa, non est justitia, qua Deus justus est, sed qua nos justos facit: ideoque non est justitia Christi nobis imputata, sed intrinsecus inhærens; sive charitas sit, sive *habitus* alius à charitate sejunctus: quod postremum ad fidem nequaquam spectat. Deinde Chrysostomus Hom. I. in Epist. ad Ephesios comparatione ista gratiam sanctificantem declarat: *Si quis acceptum quemdam scabiosum, & peste ac morbo, senioque, paupertate ac fame confectum & perditum, statim formosum fecerit juvenem omnes homines pulchritudine vincentem . . . . deinde eum constituerit in ipso flore ætatis, & postea eum purpura induerit, & diadema imposuerit, & omni ornatu ornaverit: ita nostram inunxit, & ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, & amabilem.* Quis non videt his verbis justificationem ita describi, ut sit interior animæ renovatio, superadditum ornamentum, atque inhærens pulchritudo? Vide hujus voluminis pag. 24. quo pacto idem Chrysostomus describit gratiam per lavacrum regenerationis collatam.

6. Ac rationibus.

Accedunt argumentationes à ratione petitæ, & Augustini verbis corroboratæ. Negari non potest, quod sicut per Adam nascimur filii iræ, ita per Christum justificemur; cum hoc discrimine, quod per Adam contrahimus propagatione naturæ solum originale peccatum, & per Christum delentur etiam illa, quæ propria voluntate patravimus. Legatur in quinto ad Romanos Capite Paulus Apostolus. At Adam, in quo omnes moriuntur, præter quod eis, qui divina transgrediuntur præcepta, imitationis exemplum est, occulta etiam concupiscentiæ lue tabificavit omnes per seminalem originem de stirpe sua venientes. Igitur & Christus, præter quod se ad justitiam imitantibus præbuit exemplum, dat etiam iis, quos justificat, occultissimam Spiritus sui gratiam, quam latenter infundit: quare ait S. Pater lib. I. de Peccat. meritis cap. 10. *Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino unus spiritus est.* Similia docet S. Pater proximo capite XV. Præterea quemadmodum impius exhibet se immundi spiritus hospitium, quando reatu nectitur concupiscentiæ; ita justus fit Dei templum, dum in corde ejus charitas

per Spiritum sanctum diffunditur. Itaque, ut ratiocinatur S. Pater in celebri Epistola ad Sixtum, *nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus, & erunt novissima hominis illius pejora, quam erant prima? Ut autem habitet Spiritus sanctus, nonne ubi vult spirat, & charitas Dei, sine qua nemo bene vivit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?* Insuper Domino tam salus, quam justitia tribuitur; sed non dicitur homo salvatus, nisi Deus illi impertiendo æternam vitam ipsum vera propriaque salute donaverit: non ergo dicendus erit justificatus, nisi Deus vere iniquitatem delendo, ei veram justitiam, qua interius exornatus sit, impertiatur: unde inquit Augustinus de Spiritu, & lit. cap. 11. *Ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut Domini est salus, qua salvos facit.* Denique nisi justificatio fiat per justitiam inhærentem, fiet profecto aut per favorem extrinsecum, aut per justitiam qua Deus justus est, aut per solam remissionem peccatorum, aut per imputationem justitiæ Christi. At justificatio, si fit Spiritu sancto inhabitante, & charitate in cordibus nostris diffusa, intrinsecus hæret, ideoque non consistit in solo favore extrinseco; ut S. Pater demonstrat citato libro de Spiritu & litera cap. 17. Justitia autem, qua Deus justus est, quoniam pacto nos justificare potest, nisi *efficienter*, scilicet impertiendo interioris hominis pulchritudinem, qua Deo cohærentes ipsius habitaculum efficiamur? Ita quidem docet S. P. Epistola 85. ad Consentium, nunc 120. Illis vero, quos Deus justificat, non solum remittit peccata, verum etiam inspirando virtutem, & diffundendo charitatem, sanat animi languores, non solum ut deleat quod peccaverunt, sed ut præstet etiam ne peccent, auctore ipsomet Augustino de Nat. & Grat. cap. 26. Ac tandem per Christum utique nobis justitia donatur; sed justitia, qua induti non nudi inveniamur, qua nobis confertur pignus spiritus, qua efficimur per renovationem filii Dei, & induentes novum hominem recipimus quod perdidit primus homo; ut docet S. Doctor de Spirit. & lit. cap. 18. de Trinit. lib. x. c. 7. & de Civit. Dei lib. xxii. cap. 28. Hæc argumenta tanti sunt ponderis, ut etiam aliqui Protestantium partibus addicti justificationem constare dixerint remissione peccatorum, & regeneratione, sanctificatione, ac donatione Spiritus sancti, ut Joannes Æpinus, Andreas Fricius, Bucerus, & Ratisbonensis hæreticorum Conventus; de quibus Cassander in Consultatione de Controversiis inter Catholicos & Protestantes ad iv. Art. Confess. Augustanæ, Grotius in Annotatis ad Cassandrum, & Bossuet in Hist. Variat lib. iii. num. 35. lib. xiv. num. 43. & lib. xv. num. 142.

Objectiones solvuntur.

Hæretici opponunt primo verba Apostoli ad Rom. iv. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*; & versu 5. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Versu etiam 7. afferuntur verba Davidis, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* His, inquiunt, constat justificari impium per imputationem justitiæ Christi, & per non imputationem peccati. 7. Objectio ima.

Resp. sensum verborum Apostoli esse, quod ideo Abraham reputatus est justus, quoniam in tentatione fidelis inventus est, & justificatio non ex operibus legis, sed ex fide & gratia suum habet initium. Redarguit enim illos, qui autumabant non ex fide in Deum, sed ex observatione legis, & absque fide haberi justificationem. Explicant Apostoli verba textus Scripturæ, quibus propriam sententiam expressit. Etenim Gen. xv. 6. facta Abrahæ à Deo promissione nascituri Isaac, & numerosæ posteritatis, legimus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Macchab. i. cap. 2. v. 52. *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est illi ad justitiam?* Præterea Apostolus utitur eadem sententia ad Galatas iii. 6. ut demonstret ex fide in Christum, non ex operibus legis datum esse Spiritum sanctum, retundens illorum opinionem, qui jactabant homines per carnis circumcisionem justificari. Itaque justitiæ originem, fontem divinarum gratiarum, aliarumque virtutum fidem altricem esse, Paulus demonstrat; sed inhærentem justitiam nobis conferri non denegat, & ibidem inquit: *Hoc solum à vobis volo discere: Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Nec opera ad justificationem pertinere negat Apostolus, sed docet fidem cooperari operibus, & ex operibus consummari, ita, ut qui operatur, & qui occasione & viribus destitutus operari 8. Solvitur.

non

non poteſt, ex fide juſtificetur. Habemus fideliſſimum Pauli interpretem alium Apoſtolum, Jacobum nempe cap. II. 21. Idem tradit Clemens Romanus in Epiſt. ad Corinth. S. P. Auguſtinus in I. de Peccatorum meritis cap. 14. & etiam in libro de Abraham Philo Judæus. Verum de Operibus poſtea. In verſu 5. ait Apoſtolus, quod *credenti reputatur fides ejus ad juſtitiam*; non fides Chriſti, ſed *fides ejus*, qui credit in Chriſtum, ἡ πίστις αὐτοῦ, oſtendens fidem plurimum prodeſſe, atque propter illam opera magni æſtimari. In Pſalmo denique 31. non *imputari peccatum*, idem eſt, ac non inveniri in impio, cui juſtificationem Deus impertitur, maculam culpæ. Hanc ſignificationem habet verbum hebraicum חָשַׁב. Si velis *non imputari*, idem eſſe, ac non exigi ab homine juſtificato pœnam peccati, neque id diffiteor. Allata modo Apoſtolicorum verborum explicatione, reſpondeo Scholaſtica methodo. Laudatis verbis docet Paulus fidem eſſe juſtificationis initium, per eam opera hominum reputari & æſtimari, atque Abraham fuiſſe Deo acceptum, quia in tentatione fidelis inventus eſt; concedo. Docet aut impium juſtificari per ſolam fidem, aut per ſolam juſtitiam Dei, aut per ſolam non imputationem peccati; nego.

9. Objectio 2da rejicitur.

Opp. 2. Idem Apoſtolus ad Rom. v. 19. inquit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi.* Eſt igitur juſtificatio obedientia Chriſti nobis imputata.

Reſp. retorquendo argumentum. Qui conſtituuntur peccatores per obedientiam Adæ, propagatione naturæ contrahunt peccatum, quod non eſt imputatio prædictæ inobedientiæ, ſed reatus & macula, per quam naſcuntur filii iræ, filii gehennæ, filii vindictæ; ut diximus pag. 43. Igitur qui conſtituuntur juſti per obeditionem Chriſti recipiunt regenerationem ſpiritali occultiſſimam gratiam, quæ non eſt imputatio hujus obeditionis, ſed inhærens juſtitia, & charitas à Spiritu ſancto inhabitante diffuſa, per quam efficimur filii Dei, filii promiſſionis, filii adoptivi; ut demonſtratum eſt paulo ſupra. Deinde reſpondeo diſtinguendo ant. Per inobedientiam Adæ conſtituimur peccatores, & per obeditionem Chriſti conſtituimur juſti, tanquam per cauſam *efficientem ac meritoriam*, concedo: tanquam per cauſam *formalem*, nego antecedens.

Opp. 3. Juſtificari impium per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti, doctrina eſt Apoſtolica Sanctorum Patrum auctoritatibus confirmata. Enimvero Paulus in I. ad Corinth. de Chriſto ait cap. I. 30. *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Et I. ad Eph. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* Hæc verba exponens Bernardus in Epiſt. ad Innoc. ait, *Chriſtum factum nobis eſſe juſtitiam à Deo Patre.* 10. Objectio 3tia refutatur.

Reſp. Chriſtum factum nobis eſſe ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, redemptionem, atque in ipſo nos Deo Patri eſſe gratificatos, quatenus eſt cauſa *efficiens*, per quam ſapiamus, per quam à peccatis purgemur, per quam donemur gratia Spiritus ſancti; ea ſcilicet figura metonymiæ, qua Deus in Pſalmis dicitur fortitudo noſtra, virtus, ſpes, ſalus, protectio; qua Joannis XII. 50. mandatum ejus dicitur vita æterna; qua ad Rom. VIII. 6. prudentia carnis mors dicitur, prudentia autem ſpiritus vita, & pax; qua Mich. I. 5. Samaria dicitur prævaricatio Jacobi, &c. Et quidem in I. ad Corinth. hortatur Apoſtolus, ne gloriemur in nobis, quoniam *Chriſtus factus nobis eſt ſapientia à Deo, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*: quorum verborum liquet hunc ſenſum eſſe, non propriis viribus, ſed beneficio mortis Chriſti, in quo ſumus nova creatura, novumque figmentum, & in quo ſignati ſumus Spiritu promiſſionis ſancto, accepiſſe nos doctrinam fidei, juſtitiam, aliaque gratiarum munera. Præterea ex quo Chriſtus factus ſit nobis ſapientia à Deo, ſequiturne fidelibus minime inhærere ſcientiam Chriſti, fideique virtutem? Minime. Itaque ex quo Chriſtus dicatur noſtra juſtitia, noſtraque juſtificatio, non conſequitur nobis juſtificationis gratiam nequaquam infundi. Pari jure Bern. in eadem Epiſtola aſſerit Chriſtum factum nobis juſtitiam à Deo Patre, quoniam illius meritis nobis juſtitia donatur, neque hæc nobis *innata eſt, ſed indulta*; ibique etiam ipſe affert exemplum culpæ, quæ in nos per Adam traducitur. Explicatur eodem pacto locus ex Epiſtola ad Epheſios depromptus, cujus ſupra attulimus inſignem Chryſoſtomi expoſitionem. Addimus hic & gratiæ fieri mentionem; nam habetur, *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*: extat in antiquis Mſs. ἧς ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *qua gratia nos affecit.* Demum propoſitio *In*, ſæpe ponitur ab Apoſtolo pro *Per*, hoc eodem

capite versu 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* v. 10. *instaurare omnia in Christo;* vers. 11. *in quo & nos sorte vocati sumus*, versu 13. *in quo credentes signati estis*, &c. Fatetur id Glassius Lutheranus, probatque quindecim aliis exemplis De Præposit. Canone VI. num. 5. Itaque brevi argumentum diluentes negamus antecedens; quoniam appellatur Christus justitia, & sanctificatio nostra *efficienter*, non autem *formaliter*.

11. Objectio 4ta repellitur.

Opp. 4. In eadem ad Ephes. Epist. IV. 24. ait Apostolus: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* At indumentum extrinsecum est. Igitur & justitia.

Resp. Argumentum in hæreticos retorquendo; primo, quia indumentum revera adjacet corpori; itaque justitia revera adhæret animæ. Deinde, quia ita hortamur, ut induamus novum hominem, quemadmodum ut deponamus hominem veterem, hoc eodem loco versu 22. & ad Coloss. cap. III. 9. Atqui veterem hominem induimus contrahendo peccatum, & obsequendo desideriis carnis, iræ, indignationi, malitiæ, cæterisque malæ concupiscentiæ affectionibus. Ergo induimus novum hominem, gratiam recipientes, atque virtutes, quarum Christus exemplum nobis est, exercentes. Præterea, quia Apostolus ad Ephes. IV. docet nos induere novum hominem, dum renovamur spiritu mentis nostræ, & ad Coloss. dum reformamur secundum divinam imaginem. Renovatio autem spiritus, divinæque imaginis reformatio important interiorem animæ pulchritudinem. Insuper distinguo minorem: Indumentum extrinsecum est; indumentum corporis, transeat; indumentum animi, nego. Usitata enim Scripturarum phrasi virtutum *habitus* indumentis æquiparantur. Occurrit exemplum Sap. v. 18. Esaiæ XLI. 10. 2. ad Corinth. X. 4. 1. ad Thessalon. v. 8. & citato cap. III. ad Coloss. versu 12. Vide Augustinum lib. 1. de moribus Eccles. cap. XIX. num. 36. & Serm. CLXVI. alias 25. de diversis num. 4.

12. Objectio 5ta.

Opp. ultimo. In 2. ad Corinth. v. 21. inquit Apostolus: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* At Christus peccatum fecit solum imputatione; Nos ergo sola imputatione justitia efficimur. Confirmatur hoc argumentum ex Augustino scribente cap. XLI. Enchir. num. 13. *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia: nec nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.*

13. Tollitur.

Resp. peccatum non dici hoc loco ab Apostolo ipsam peccati maculam, sed sacrificium, quod in ara crucis Christus obtulit, ut nos Patri reconciliaret, & moriens in carne, in qua erat similitudo peccati, nobis spiritalem vitam elargiretur. Id liquet ex verbis Apostoli, & ex citato cap. XLI. Ench. Non enim ait Paulus, *Is, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, tanquam pro nobis Christus ipse peccaverit; sed, *Eum, qui non noverat peccatum*, id est, Christum, *pro nobis peccatum fecit.* Quid est autem, *Fecit Deus Christum pro nobis peccatum*, nisi, Fecit pro nobis sacrificium pro peccatis? Hinc S. P. *Propter similitudinem carnis peccati* (inquit) *in qua venerat, dictus est & ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis: quod vere iste factus est, cujus umbra erant illa.* Sensus ergo apertissimus verborum Apostoli, & Augustini est, quod sicuti causa efficiens, ac meritoria passionis Christi, qua mortuus est in similitudine carnis peccati, non est peccatum quod ei inerat, quia nunquam vixerat secundum vetustatem peccati, sed peccatum in nobis constitutum ac nostrum; ita causa efficiens ac meritoria, per quam mundati lavacro baptismatis renascimur, non est justitia nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso; eo quod mortui peccato morte Christi reviviscentem gratiam adepti sumus. Cæterum ut Christus ob peccatum, quod nobis inerat, vere mortuus est, & vere factus est sacrificium pro peccatis: ita ob justitiam, quæ est in illo, vere nos peccato morimur, vere acquirimus spiritalem vitam, ac spiritus novitatem: ideoque argumentum istud, quod prima fronte videtur difficile, confirmat Catholicorum sententiam. Quare in forma, ut inquiunt, distinguo majorem: Efficimur justi justitia Dei in Christo, *efficienter*, ac meritorie, concedo: *formaliter*, nego. Atque hac distinctione cætera omnia, si tamen alia sunt, dispelluntur.

CAPUT

CAPUT III.

An Deus hominem impium justificans vere illi remittat peccata?

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. In justificatione vere remittuntur peccata.
3 & 4. probatur.
5. 6. 7. & 8. Solvuntur objectiones.
9. An Deus possit sine gratia dimittere peccata.
10. An Gratia habitualis & peccatum simul stare possint.

1. Ratio Ordinis.

CONSEQUITUR hoc fidei Catholicæ dogma ex præcedenti: si enim impio, dum gratia divina justificatur, revera infunditur Charitas ipsum Deo gratum reddens, atque illi cor novum, & spiritum novum impertiens, eique sanctitas inhæret intrinsecus; profecto non tegitur peccati nequitia hoc tantum sensu, quod *imputatione* justitiæ Christi non censeatur ad pœnam: ac, veluti Jacob hædina pelle contectus, peccator iniquus permanens, & indutus veste Agni, qui tollit peccata mundi, divinam benedictionem, æternamque hæreditatem accipiat; sed reapse justus redditur, sanctus, atque interiori pulchritudine, animique decore exornatus. Versemur nihilosecius in hac quæstione pauliſper, ne videamur necessarium aliquid prætermisisse.

2. In justificatione verè remittuntur peccata.

PROP. In justificatione impii a Deo vere remittuntur peccata.

Demonstratur primo Scripturis supra productis. Sanctus enim David Ps. L. sic Deum precatur: *Dele iniquitates meas: Cor mundum crea in me, Deus:* & per Ezechielem Dominus sanctificationis spiritum promittens cap. 36. *Mundabimini* (inquit) *ab omnibus inquinamentis vestris.* Hæc, aliaque loca, si in proprio, obvioque sensu accipiantur, (accipi autem debent, quum nulla sequatur repugnantia,) veram animi munditiem, innovationem, rectitudinem, pulchritudinemque significant.

3. Probatur ulterius.

Præterea nisi affirmemus vere justificatis remitti peccati maculam; consequuntur gravissima absurda eisdem sacris literis adversantia. Sequitur primo Ecclesiam Sanctorum, ad quam pertinent justi perseverantes in gratia, habere rugam & maculam, atque in cælesti Jerusalem habitare aliquos coinquinatos; neque mundos corde duntaxat, sed immundos etiam fœdosque frui purissimæ, divinæque lucis splendore. Deinde sequitur Deum non judicaturum esse homines secundum veritatem, neque secundum opera singulis retributurum esse mercedem; quum illos, quorum, Auctoribus hæreticis, anima inquinata est & immunda, & quorum opera perversa sunt & abominatione, odioque dignissima, sit Judex universorum laudibus & coronis cumulaturus. Tertio sequitur, ut animadvertit Martinus Becanus libro 1. Man. cap. 16. q. 3. justum comparandum esse, in Protestantium sententia, sepulcris dealbatis, in quibus fœtida cadavera latent: ac propterea justitiam, quam magnopere jactitant Calviniani, illam esse, quam in Pharisæis Christus Dominus execrabatur.

4. Probatur ratione.

Addam ratiocinationem testimonio Augustini confirmatam. Originale peccatum per lavacrum baptismatis, quantum ad reatum, & maculam penitus tollitur. Pariter ergo deletur peccatum actuale in renatis per gratiam Sacramento pœnitentiæ collatam. Antecedens negatur ab Hæreticis; sed probatur Scripturis, in quibus baptizari dicuntur homines *in remissionem peccatorum*, Act. 11. 38. baptizati vocantur *abluti, sanctificati, vocati*, 1. ad Corinth. VI. 11. ipsumque baptismum Paulus appellat *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti*, ad Titum III. 5. Et confirmatur auctoritate Patrum, præsertim S. P. Augustini scribentis lib. 1. ad Bonif. cap. 12. *Dicunt etiam baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnem indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, &c.* Vide & Ench. ad Laurent. cap. LXIV. Jure itaque, meritoque Tridentina Synodus sess. v. can. 5. sic definit: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Argumenta autem petita à concupiscentia, quæ rema-

net in renatis, soluta sunt lib. XIII. cap. 5. neque enim concupiscentia ad luctam permanens peccatum est, ut ibidem declaravimus.

5. Objectio 1ma solvitur.

AD OBJECTA RESPONSIO.

Verum objiciunt hæretici I. In Psalm. XXXI. legimus: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Teguntur itaque scelera, non delentur.

Resp. Ita tegi peccata, ut deleantur, quemadmodum cooperiuntur cicatrices cataplasmate; nam contecta simul dicuntur peccata, & *iniquitates remissæ*, sive, ut legit Syrus, nec non Hieronymus, *dimissa est iniquitas.* Et quidem tali pacto remissa est iniquitas, ut peccati labes nequaquam permaneat; quum habeat Hebraicus Codex, פשעם אשרי נשוי: Græcus etiam, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. Est autem נשא, sive, ἀφίημι, *auferre*; & נשרי פשע, *Quorum scelus ablatum est.* S. P. Augustinus Enarat. 2. in hunc Psalm. num. 9. docet ideo peccata tegi, quoniam Deus non amplius illa intuetur, ut puniat. *Cooperta sunt* (inquit) *peccata, abolita sunt, tecta sunt. Si texit peccata, Deus noluit advertere; si noluit advertere, nolnit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Non sic intelligatis quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est Dei videre peccata quod punire peccata, quid ei dicitur? Averte faciem tuam a peccatis meis.* Distinguo itaque consequens; teguntur scelera, ut sanentur, nec puniantur, quemadmodum vulnera conteguntur emplastro, concedo: ut latitent & vivant, ut corpus cooperitur veste; nego consequentiam.

6. Objectio 2da rejicitur.

Opp. 2. Impius post justificationem coram Deo remanet turpis & inquinatus; Non ergo illius macula deleta est. Ant. probatur verbis Isaiæ LXIV. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et Psalm. 142. 2. *Et non intres in judicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Resp. nego antecedens. Ad Isaiæ locum respondeo, abjici post promulgationem Evangelii, tanquam immundas, purificationes legales, quas appellat *justificationes* etiam Paulus ad Hebræos IX. 1. atque post Christi adventum Judæos in lege sua merito haberi tanquam reos, & contaminatos: atque id ab Isaia prænuntiatum est. Hanc interpretationem confirmat A-lapide ex Versione Arabica, ex Comment. Hieronymi, atque ex confessione Musculi Lutherani. Addimus expositionem Forerii Tom. III. Sac. Critic. P. 2. pag. 723. Theologi Tridentini apud Pallav. lib. VIII. his Isaiæ verbis docuerunt demonstrari, non quod cuncta Judæorum opera forent contaminata & criminosa, sed quod multorum, quamvis viderentur honesta, quamplurimis noxarum maculis aspergebantur: atque hanc pariter expositionem probamus. Demum ipse Calvinus in hunc locum inquit: *Hic se nonnulli torquent, quod Propheta de sceleris inquinamentis loquens sine exceptione Judæos omnes exprimat; in quibus tamen nonnulli restabant puri Dei cultores: sed frustra quia non loquitur de singulis, sed de universo corpore, quod cum infra omnes abjectum, atque extrema clade affectum esset, panno sordido comparatur.* Vide I. B. Du-Hamel Tom. 3. pag. 767. Psalmista vero hoc unum demonstrat, justos in aliqua venialia peccata prolabi, ut etiam ipsi debeant divinam implorare clementiam, non autem de sua justitia præsumere: quamobrem ait etiam Job. IV. 17. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Recte Augustinus in citatum Psalmum: *Noli ergo mecum intrare in judicium. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & pravus inveniar.* Cæterum idem David, nisi justis innocentiam & rectitudinem existimasset inhærere, minime Psalmo XVII. 21. dixisset: *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam;* & versu 24. *Et ero immaculatus cum eo.*

7. Objectio 3.

Opp. 3. Hieronymus lib. III. in Hierem. vers. 13. allatis verbis Davidis, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait hæc verba referenda, *non ad comparationem Dei, ut veteres, & novi hæretici volunt, & patroni hæreticorum, sed ad scientiam ejus;* causam proferens, quoniam, *Homo videt in facie, & Deus in corde;* & *quod vitiis, atque peccatis omnis impletur humana condutio.* Etiam Gregorius libro XXXV. Moralium in fine omnia in homine *pura mala* esse declarat. Solet opponi etiam Ambrosius explicans libro 2. de Jacob justificationem exemplo ejusdem Jacob sese vestimentis Esau,

Esau, ac pelle hædina occultantis. Ex his inferunt Heterodoxi hominem semper esse contaminatum & impium, atque justitia Christi contegi tantum extrinsece.

8. Repellitur.

Resp. cum Vellosillo Adv. in v. Tom. Hieronymi q. 4. Sanctum Doctorem respexisse ad humanam conditionem Dei gratia destitutam, nec non ad venialia crimina, in quæ cadit etiam justus in corpore corruptibili ingemiscens. Novos ergo, ac veteres hæreticos appellat Hieronymus Origenistas, & Pelagianos; quorum dogma erat posse hominem vivere absque peccato; ut diximus libro XIV. cap. 2. Gregorius loquitur de bonis operibus, quæ nos approbamus & commendamus; in quibus appetitus laudis, typhusque superbiæ inficit honestatem. Ita respondet ad articulum 35. Lutheri Roffensis. In comparatione Jacob cum homine justificato deprompta ex Ambrosio (nisi tamen supposita sit,) sicut in aliis quibuslibet, necessum non est ut res rebus amussim respondeant. Dicimus præterea justitiam Christi, qua cooperimur, meritoriam justificationis causam esse, non *formalem*. Ac demum in hoc sitam esse comparationem illam putamus, quod sicut Jacob aliena veste indutus incessit, ita Christus factus in similitudinem carnis peccati vere languores nostros tulit, & attritus est propter scelera nostra. Quamobrem in libro contra Mendacium cap. 10. scribit Augustinus: *Per hædinas pelles peccata, per eum vero, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portavit.*

Prætermisi hæreticorum argumenta petita ex comparatione debiti quod sola Chirographi abolitione remittitur. Enimvero in peccato præter reatum pœnæ reperitur quoque reatus culpæ, sive macula, id est, inhærens animæ turpitudo, aversio à Deo, rectique ordinis carentia. Differam de hac peccati macula lib. XXI. cap. 8. Quamquam ergo debitum pœnæ quodammodo deleri intelligatur per Dei condonationem; tolli nequit animæ deformitas & nequitia nisi per infusam sanctificationis gratiam. Fieri quippe non potest, ut per solam denominationem extrinsecam justitiæ auferatur privatio, sicuti tenebræ dispelli non possunt nisi per lucem; aut saltem hac providentiæ lege ita impius justificatur, ut ejus macula per inhærentem gratiam abstergatur, ac deleatur.

APPENDIX.

9. An Deus possit sine gratia dimittere peccata.

Subnectunt hoc loco Scholastici quæstiones duas, unam an de potentia saltem absoluta possit Deus absque gratia inhærente peccata dimittere, alteram num *habitualis* gratia & peccatum consistere simul valeant, tenentibus in utraque quæstione affirmativam partem discipulis Scoti, negativam cum Thomistica schola nostratibus. His omnino subscribendum censeo. Quomodo enim mors tolli potest, nisi per vitam? Quomodo animæ vulnus, nisi per sanitatis instaurationem? Quomodo hominis carnalis vetustas, nisi per innovationem spiritus? Quomodo cor lapideum, nisi per carneum? Præterea cum reatus culpæ sit privatio justitiæ, privationes autem per solam *formam* abscedant; tam repugnat hominem impium absque gratia justificari, quam cæcum absque facultate visus illuminationem recipere, curvamque lineam sine rectitudine fieri directam. Defendi quidem posset Scotistarum opinio, si in peccato esset sola ratio debiti, sive reatus pœnæ; sed cum existat in illo etiam maculæ turpitudo, non video qua valida argumentatione possint iidem Scotistæ oppositam sententiam evertere.

10. An gratia habitualis & peccatum simul stare possint.

Idem de altera quæstione dicendum est. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, lucisque cum tenebris? Quomodo erit idem homo simul ac semel ad Deum conversus, & aversus ab illo; natus ex Deo, atque peccato mortuus; templum Spiritus sancti, ac Diaboli membrum, Dei filius, & filius Belial; Amicus, & hostis ejusdem Dei? Deinde cum gratia sanctificans sit a charitate individua, si peccatum & sanctitas simul existant; cur non poterit *habitualis* charitas stare cum reatu damnationis æternæ, ut commentus est prop. XXXI. & XXXII. Michael Bajus? Planior ergo, probabilior, ac vera est sententia Nostratium. Nam quod movet Mastrium, aliosque Scotistas, in Gratia rationem qualitatis physicæ *formaliter* differre ab eo, quod est esse animæ sanctitatem atque munditiem; aut deletionem peccati esse gratiæ effectum *secundarium*, quod potest divinitus impediri; aut posse justitiam & culpam eo pacto simul manere, quo fuit in Christo cum beatitudine tristitia; id me nihil penitus movet. Principio *formalem* illam distinctionem non probo; neque, si detur, gratia erit gratia spectatâ ratione *qualitatis*, sed ratione propria, quam dicunt *specificam*; quemadmodum albedo non est albedo, quoniam *qualitas* est, sed quoniam inter qualitates

litates propriam habet naturam, & subjectum afficit peculiari ratione; quam si auferas, perperam autumabis albedinem permanere. Atque ita nego in gratia distingui esse *qualitatem*, & esse munditiem animæ; & præterea, ut figmentum istud admittam, nego gratiam esse gratiam in quantum est *qualitas*, cum gratia sit, quatenus sanctificat animam, & illam Deo gratam reddit. Peccatum vero deletur quidem per gratiam, sed tanquam privatio per formam; nec fieri potest, ut forma ac privatio simul existant; sit in exemplo, vita & mors, lux & tenebræ, curvitas & rectitudo: unde affirmamus in Schola, quod potest Deus aliquam producens formam impedire effectum illius *positivum*, at non *privativum*. Beatitudo denique, ac tristitia fuerunt in Christo comparate ad diversas affectiones animæ, diversumque objectum. Beatus enim erat secundum superiorem rationem, quatenus mens divinitati adhærebat, & tristis quatenus corporali sensu suscipiebat illatam sibi passionem; ut exponam lib. XXVI. At quomodo eadem animæ voluntas potest esse a Deo aversa, & ad Deum conversa? Itaque non videntur ratiocinationes Scotistarum nimis validæ: & quamvis illorum opinio sit Catholica: nostra tamen majorem vim habet ad refellendos hæreticos oppugnantes inhærentem justitiam, ac simul statuentes justificationem & culpam.

CAPUT IV.

Quomodo adulti ad justificationem disponantur?

SUMMARIUM.

1. An justificatio fiat per solam fidem.
2. Opinio hæreticorum.
3. Non est quæstio de pueris, sed adultis.
4. Ad justificationem requiritur fides.
5. Quam sequuntur timor, & spes.
6. Ultimo dilectio Dei, & odium peccati.

1. An justificatio fiat per solam fidem.

TRIDENTINA Synodus sess. VI. cap. 5. & 6. adversus hæreticos, qui autumant fieri justificationem per solam fidem absque ulla prævia dispositione, motuque liberi arbitrii, declarat quid ex parte nostri necessarium sit, ut justificationis gratiam consequamur. Ac primo definit ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, damnans Pelagianos ac Semipelagianos errores, quod salutis initium sit ex nobis, atque ex humanæ voluntatis conatu. Neque enim putandum est, Catholicos, qui negant homines sola fide justificari, ad Pelagiana dogmata declinantes opinari, quod operibus sine præveniente gratia patratis insit ratio aliqua meriti. Nam si hoc sensu Protestantes contenderent, non ex operibus homines justificari, sed per fidem, quatenus fides est prima gratia, & opera legis absque fide sterilia sunt, facile posset inter nos illosque ratio concordiæ inveniri. Nullus quippe Scholasticorum unquam reclamavit adversus Paulum, qui redarguens Judæos sese inflantes, propterea quod onus legis tulerant, & ceremonias servaverant, scribit ad Romanos cap. IV. Abraham non ex operibus fuisse justificatum, statuens initium salutis fidem Christi. Nec reclamavit, dum similiter Ambrosius, Hilarius, aliique protulerunt gratiam non esse ex operibus, ne quis glorietur. Nihil enim verius, quam humanam naturam nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbutam, nihil naturaliter posse, quod pertineat ad sanctitatem veramque justitiam, ut docet S. Pater Augustinus de Nat. & Grat. cap. 2. de Prædest. SS. cap. 15. aliisque in locis compluribus. Egimus de hoc satis in libro de Hæresi Pelag. cap. 12. Merito ergo Tridentinum Concilium hæreticis caluminandi Catholicos tanquam Pelagianos occasionem omnem eripiens repetit justificationis exordium à gratia præveniente: atque ea cautione præmissa tradit quomodo adultus ad gratiam sanctificantem disponi debeat adversus Lutheri & Calvini assecias negantes necessariam esse ex parte peccatoris aliquam præparationem.

2. Opinio Hæreticorum.

Monstrum hoc hæreticorum assertum videri potest: nam Lutherus in Visitatione Saxonica, *Multi* (inquit) *dum audiunt, ut solummodo credatnr omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarii & securi.* Brentius in Lucam ait *fidem justificare, quæ sit per charitatem efficax, & absolvatur per pœnitentiam;* & Hieronymus Zanchius in Miscellaneis: *Nemo adultus potest salvari sine charitate in Deum, & proximum.* In Colloquio

loquio etiam Altenburgenſi an. 1568. inter alia traditum eſt, *Bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem*; quod & Philippus Melanchthon aſſentitur in Diatriba de Juſtif. Witembergenſes, & Proteſtantes alii in Miſena Urbe congregati an. 1548. ita ut conquerantur à Caniſio, & Bellarmino pleraque paradoxa ex libris ipſorum congeri quæ ibidem non extent. Sed redarguuntur jure, meritoque: nam Flacciani, id eſt, Jenenſes, ſic a Flaccio Illyrico dicti, omnia opera pernicioſa eſſe contendunt. Melanchthon, ut animadverrit ad IV. Confeſ. Auguſtanæ noſter Joannes Hoffmeiſterus, in Locis ſcribit propter ſolam Chriſti miſericordiam, non propter dignitatem operum remmitti peccata. Zanchium proterere ſtudet in examine Calvinianæ *ματαιολογίας* Hinkelmannus. Verum hanc inter partes hæreticas velitationem cenſemus eſſe logomachiam; ſiquidem qui neceſſitatem operum ad ſalutem concedunt, minime loquuntur de neceſſitate *efficientiæ*, quaſi ad ſalutem per ſe gignendam, & juſtificationem promerendam aliquid valeant, ſed de neceſſitate, quam Witembergenſes vocant *præſentiæ*, absque concurſu ad actum juſtificationis, quam haberi putant per ſolam in Chriſtum fiduciam. Quamobrem Synodus Tridentina opportune non ſolum actus juſtificationem præcedentes commemoravit, ſed etiam docuit, quod impii divina gratia excitati *ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo & operando diſponantur*. Verbo dicam: Opera hæretici nequaquam negant; bona eſſe, habere meritum, & ad iuſtificationem diſponere, id negant.

3. Non eſt quæſtio de pueris, ſed adultis.

Conſulto etiam Tridentini Patres de ſolis adultis loquuntur. Pueri enim ad gratiam baptiſmatis per actus liberi arbitrii diſponi non poſſunt: & fruſtra quidam hæreticorum in illis præcedere putant firmam in Chriſtum fiduciam; præveniente uſu rationis ætatem. Unde ſomnium iſtud, atque portentum? Opponentibus autem ad tollendam neceſſitatem diſpoſitionis puerorum exemplum reſpondet S. P. Auguſtinus libro I. de peccat. merit. cap. 19. *Si propterea pœnitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pœnitendi nondum habent; nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem verba geſtantium diabolo, & huic ſæculo renunciare monſtrantur? Totum hoc in ſpe fit vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Eccleſiæ. Cæterum quis ignorat, quod baptizatus parvulus ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit?* Exemplum itaque parvulorum ſi non demonſtrat quod in adultis ad juſtificationem neceſſaria non ſit fides; neque demonſtrat quod in eisdem neceſſariæ non ſint reliquæ diſpoſitiones.

4. Ad juſtificationem requiritur fides.

Eſt itaque harum diſpoſitionum prima, Fides. Hanc minime Catholici excludunt, fatentes homines juſtificari *ex fide, & ſine fide neminem poſſe placere Deo*, ut ad Rom. v. & ad Heb. XI. docet Apoſtolus: nec ignorantes etiam Apoſtolis fuiſſe præſcriptum, ut priusquam gentes baptiſmate tingerent, illas Evangelicis imbuerent veritatibus. Ab ipſa fide initium eſſe ſalutis, illamque donum Dei eſſe, ne quis glorietur, poſtremo Capite de H. Semipelagiana oſtendi collectis ex Auguſtino argumentis. Putant Hæretici fidem, qua juſtificamur, eſſe fiduciam, & certitudinem, qua absque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis certe credamus remitti nobis peccata. At recte Concilium cap. 6. fidem, à qua ſumitur juſtificationis exordium, illam eſſe declarat, qua credimus *vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt, atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Eam autem Hæreticorum fiduciam expungit ſeq. cap. 9. & Canone 13. Enimvero licet ad juſtificationem etiam ſpes, humilisque ſine jactantia fiducia neceſſaria ſit, cum & nobis dicatur quod olim Paralytico Mat. IX. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; tamen fiducia iſta in fide fundata eſt, quia ideo in aliquo fiduciam collocamus, quoniam credimus illum fidelem eſſe, ac veracem. Fiducia itaque nequit eſſe fundamentum ſalutis, neque prima ad juſtificationem diſpoſitio.

5. Quam ſequuntur timor, & ſpes.

Ad fidem ergo, qua in Deum credimus, timor & ſpes conſequantur neceſſe eſt: timor, quo peccatorum noſtrorum conſideratione utiliter concutiamur; ſpes vero, per quam ad conſiderandam Dei miſericordiam animum convertentes ſperemus nobis Deum propter Chriſtum propitium fore. Ac de timore legimus Prov. XIV. *Timor Domini fons vitæ:* de ſpe ad Rom. VIII. *Spe ſalvi facti ſumus.* Ubi ergo per fidem intelligit homo ſe legem tranſgreſſum &

damnationis sempiternæ reum esse, Deum autem misericordem ac justum, haud ignorans non posse impium, nisi resipiscat, vitare gehennæ supplicium, concutitur divinæ justitiæ timore; sed propriam infirmitatem, atque demeritum perpendens, ad Deum confugiens, quem scit nolle mortem peccatoris, & neminem in se sperantem deserere, cum regio Propheta, *Domine* (inquit) *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Ita fides timorem, timor spem, spes orationem gemitumque præcedit.

6. Ultimò Dilectio Dei, & oduim peccati.

Enumerat deinde sacrosancta Synodus dilectionem, qua Deum *tanquam justitiæ fontem* diligere incipiamus, nec non odium, & detestationem peccatorum, denique propositum suscipiendi Sacramentum, inchoandi novam vitam, & divina mandata servandi. De his, ubi disputabimus de Sacramento pœnitentiæ, erit singillatim pertractandum. Sat est modo animadvertere, quod sicuti à Deo per pravam cupiditatem aversi fuimus, ita ad ipsum debemus per sanctam dilectionem converti; nam scriptum est Ezech. XVIII. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas*: quibus exhortationibus plena sunt divinarum Scripturarum eloquia. Quoniam vero propositum novæ vitæ operibus comprobatur, nequaquam putandum est excludi à Tridentinis Patribus, præsertim in peccatoribus vetusta consuetudine gravatis, opera quædam præparatoria, quæ debeant aliquando justificationem præcedere. Etenim hortatur Dominus improbos per Joelem II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu;* & per Evangelicas Institutiones Lucæ III. ut faciant *fructus dignos pœnitentiæ:* & Petrus Israelitis compunctis corde Act. 2. versu 38. inquit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Hinc haud vulgares Theologi docent quibusdam peccatoribus absolutionem non esse impendendam, nisi etiam externis operibus studuerint se præparare; quod probant auctoritate Cypriani in libro de Lapsis, ex antiqua Ecclesiæ disciplina, juxta quam peccatores laboriosis operibus ante reconciliationem addicebantur, aliisque argumentationibus plurimis. Verum de his alibi. Nunc, quod institutum erat, exposuimus Catholicorum sententiam circa dispositiones ad justificationem necessarias, commonstrantes simul requiri ad illam actus liberi arbitrii.

CAPUT V.

Quo sensu affirmet Apostolus hominem gratis & per fidem justificari.

SUMMARIUM.

1. Opinio Sectariorum.
2. S. Paulus non docet, hominem justificari per solam fidem.
3. 4. 5 & 6. probatur diversimodè.
7. Fides, quæ est exordium justificationis, non est sola fides divinarum promissionum.
8. Usque ad 17. solvuntur objectiones.

1. Opinio Sectariorum.

OMNEM modo hæreticorum molem subvertemus, Paulinæ, cui nimium fidunt, sententiæ sensum ac scopum inquirentes. Tertio, & quarto capite Epistolæ ad Rom. scribit Apostolus, haberi justitiam per fidem Jesu Christi, justificari impium gratis per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & justificari per fidem sine operibus legis, Abraham non ex operibus justificatum, sed per fidem. His Apostolicis ducti momentis Sectarii nihil in impio, si fidem excipias, ad justificationem obtinendam requirunt. Ipsam quoque fidem pro suo arbitratu explanant & circumscribunt. Cum enim fide una Christi credamus Incarnationem & quidquid nobis aut Scriptura, aut Traditio proponit, nec non virtutem signa & prodigia patrandi, propositumque bonis præmium, atque remunerationem, sicuti eadem spe remissionem peccatorum, æternamque vitam expectamus, atque eadem virtute charitatis diligimus Deum, & proximum: dispescunt in triplicem illi fidem; *Historicam*, qua traditis mysteriis assentimur, *Miraculorum*, qua res mirandæ efficiuntur, fidemque *Promissionum*, qua firmissime tenemus imputari nobis justitiam Christi. Ac fidem, per quam justificamur, non fidem *historicam*, non fidem *miraculorum*, sed esse solam fidem *promissionum* divinarum, temere pugnaciterque contendunt. Dabo itaque operam, ut primum Pauli mentem percipiamus, commonstrans ab ipso nequaquam in justificationis negotio actus liberi arbitrii, aut supra enumeratas dispositiones expungi; evertam deinde Hæreticorum de sola fide *promissionis* commentum.

PRO-

2. S. Paulus non docet, hominem justificari per solam fidem.

Propositio I. Paulus Apostolus non eo sensu docet homines justificari per fidem sine operibus legis, ut solâ in Christum fiduciâ gratiam justificationis obtineant, neque ad hanc disponantur etiam spe, dilectione, cæterisque virtutibus.

Demonstratur 1. Hoc unum intendit Apostolus, ne Judæi ad fidem Christi conversi glorientur, quod fuerint semen Abrahæ, quod divinas acceperint promissiones, quod ob circumcisionem & reliqua legis opera, non per gratiam divinumque propositum, non per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, vocati fuerint ad Evangelium, dirigens in hunc scopum Epistolæ ad Romanos duo præcitata capita; in quibus docet, quod lex, exclusa fidei gratia, minime ad justitiam conducit, quod tam Gentium, quam Judæorum opera, per circumcisionem atque præputium expressa, ex fide, & per fidem, scilicet præveniente gratia, cujus primus effectus fides est, accepta sunt illi, qui est Deus non Judæorum tantum, sed & Gentium; quod Abraham non habet gloriam, nisi apud Deum, propterea quod non per carnis circumcisionem, sed per fidem Mediatoris factus est Pater multarum gentium. Hæc sola Epistolæ Paulinæ lectione comperta sunt. At qui talia, & ad hunc finem pronuntiat, à Justificatione excludit duntaxat opera, quæ fidem præcedunt, ac fiunt absque gratia præveniente; sive opera legis, aut Mosaicæ sint, aut naturalis, absque ulla Reparatoris fide patrata; non autem excludit opera fide directa, & facta divinæ gratiæ adjutorio. Paulus ergo, dum inquit hominem justificari per fidem, ex operibus legis, minime excludit opera gratiæ, timorem, spem, charitatem, pœnitentiam, & novæ vitæ propositum.

3. Probatur.

Præterea. Si Paulus quæcunque bona opera excludit, de nuda ac sola fide sermonem instituet, non de fide operante per dilectionem. Id vero quis sibi poterit persuadere? Principio idem Apostolus ad Galatas v. 6. ait: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et in priori ad Corinth. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quo pacto putat solam fidem justificare, qui tam aperte docet fidem absque charitate nihil prodesse? Deinde ad Hebræos XI. 17. inquit: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Eidem itaque in Abraham commendat non sterilem, & otiosam, sed cum obedientia & opere conjunctam. Recte Augustinus De Fide, & Operibus cap. 14. *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat, Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum, &c.* Et de Grat. & lib. arbitrio cap. 7. *Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & bona opera non habeat. Quod absit, ut sentiret Vas electionis, qui cum dixisset quodam loco, In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, mox addidit, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ipsa est fides, quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus; nam & ipsi, sicut dicit Apostolus Jacobus, credunt & contremiscunt, sed non bene operantur.*

4. Ac declaratur ulterius.

Insuper cum Paulus Apostolus scribens ad Romanos affirmasset justificari hominem per fidem sine operibus, nonnulli id ita acceperunt quasi credentes in Christum, etiamsi facinorose viverent, salvi esse possent per fidem: atque ad illorum retundendum errorem Epistola Judæ, prima Joannis, & secunda Petri scriptæ dicuntur. Id quidem censet Augustinus citato cap. XIV. de Fide & Op. & lib. LXXXIII. QQ. q. 76., consentiunt veterum multi, & potest ex eo demonstrari, quod Petrus ibidem cap. 3. versu 16. ait in Epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant*, ipsum tamen Paulum scripsisse, ut omnes satagerent inveniri immaculati & inviolati, *secundum datam sibi sapientiam.* Ac Jacobus cap. 2. versu 21. utitur eodem exemplo Abrahami, quo indocti illi, atque instabiles abutebantur. De Paulina ergo sententia juxta Jacobi, Joannis, ac Petri doctrinam æquum est judicare. At Petrus cap. III. horatur nos, ut simus *in sanctis conversationibus & pietatibus expectantes, & properantes in adventum diei Domini.* Joannes de charitate & observantia mandatorum specialiter tractat; Jacobus vero sic de Abraham loquitur: *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides* coope-

cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Certe absque impietate suspicari non possumus Paulum & Jacobum pugnantia conscribere, cum uterque fuerit divino Numine afflatus, atque unus alterius mentem expresserit. Deinceps, ut ratiocinatur Augustinus eadem q. 76. *Qui putant istam Jacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli Apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco, Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Et alio loco, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Et iterum, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, &c.* Consequens ergo est, ut Paulus redarguerit Judæos se Gentibus in Christum credentibus præferentes, quasi meritis bonorum operum, quæ in lege sunt, ad gratiam Evangelicam perveniissent. At legite citatis in locis Augustinum, nec non in Psalm. 31. & 67. prope finem, ac de Civ. Dei lib. XVI. cap. 23.

5. Demonstratur testimoniis Patrum

Rursus demonstratur Carholica veritas testimoniis Patrum, ad justificationem etiam spem, timorem, charitatemque necessariam esse affirmantium. Clemens Alex. lib. 2. Stromatum docet, *fidem præcedere, timorem ædificare, dilectionem perficere.* Basilius in Ps. 33. ait: *Timor salutaris ad pœnitentiam ducit.* Ambros. initio librorum de Pœnit. inquit: *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Hieronymus in cap. 3. Epist. ad Rom. *Non peccatorem dixit* (Paulus) *justificari per fidem, sed impium, id est non credentem.* Docent consimilia Patres alii apud Bellarminum lib. 1. De Justificat. cap. XIII. Neque audiendi sunt hæretici reponentes opera quidem comitari fidem, sed hanc solam salutem apprehendere; non enim alia vis justificandi inest fidei, nisi quam illi charitas impertitur; quum Apostolus fidem commendet, quæ per dilectionem operatur, neque fides ipsa sit forma virtutum, sed charitas fidei ac virtutibus reliquis conferat perfectionem. Charitas quippe legis plenitudo est: qui non diligit, manet in morte: & si quis tantam habeat fidem, ut montes transferat, non tamen diligat, nihil ei prodest; quod ex dictis, atque ex iis, quæ de virtutibus alibi disputamus, arbitror manifestum.

6. Ultimò denuo ex ipso S. Paulo.

Ut revertar ad Paulinam Epistolam, ita postremo loco ratiocinabor. Judæis observationem legis, & circumcisionem jactantibus; cur Apostolus ponit exemplum Abrahæ, repetitque verba Geneseos XV. 6. *Credidit Abram Deo: & reputatum est illi ad justitiam?* Hæc de Abrahamo prolata sunt annis XV. priusquam circumcideretur. *Priusquam enim est circumcisus, sic de eo promulgatum est, credidit Abraham Deo, &c.* inquit cum Tryphone disputans Justinus. At jam eo tempore Abraham Deo mandante exierant de terra sua, divinasque acceperat promissiones, atque, ut scribit Hom. VIII. in Epist. ad Hebr. Joan. Chrysost. *meritis, & recte factis eminebat.* Declarat itaque Apostolus Christianæ fidei vim ac robur, ut non ex circumcisione Judæi ad hanc eligi promeruerint, quandoquidem ex fide Abraham justificatus sit nondum circumcisus, sed ut fides ipsa circumcisioni, cæterisque bonis operibus intelligatur præcessisse. Forte dices: si longe ante circumcisionem ea verba prolata sunt; cur Jacobus scribit referenda esse ad Isaac immolationem? Id recte scribit. Divinæ promissiones factæ sunt Abraham Gen. XII. 3. quando de domo Patris sui egressus est: & confirmatæ Gen. XXII. 18. quando Isaac immolaturus montem conscenderat, in præmium utrobique singularis obedientiæ. Demonstraturus itaque Iacobus fidem Abrahami non fuisse inertem ac solam, illam in singulari Abrahæ obedientia proponit, non repugnans Geneſi, quoniam etiam post filii immolationem Abraham divinas promeruit benedictiones; neque Apostolo, quoniam & ille idem affirmat in Epistola ad Hebræos. Atque hæc magis, magisque commonstrant loqui Apostolum de fide operante, & obedientiæ adjuncta: ut dictum hactenus.

7. Fides, quæ est exordium Justificationis, non est sola fides divinarum promissionum.

Propositio II. Fides, quæ est justificationis exordium, non est sola fides divinarum promissionum.

Apertissimis Scripturæ locis ostenditur. Ac primo: Fides illa Deo pergrata est, divinamque uberiorem gratiam promeretur, qua credimus divina mysteria, Trinitatem præsertim, ac Verbi Incarnationem. Fides autem ista non est fides sola promissionum, ut liquet. Igitur fides promissionum ea non est, unde sumitur justificationis exordium. Prob. ma. nam Matth. XVI. 16. Petrus ob illam fidei confessionem, *Tu es Christus filius Dei vivi*, audire meruit, *Beatus es, Simon Bar-Jona, &c.* Marci ultimo 15. ait Dominus discipulis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ioan. VI. 69. Petrus ita Dominum allocutus est: *Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus,* &

& cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Joannis xx. 31. *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Act. viii. Philippus Spadoni baptismum petenti, posteaquam illi Jesum evangelizaverat exponens Isaiæ prophetiam, ait: *Si credis ex toto corde, licet.* Apostolus ad Rom. x. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Fides, qua Petrus confessus est Christi divinitatem, quam evangelizando Apostoli disseminarunt, ob quam Christi verba & opera literis mandata sunt, per quam credimus eundem Christum à mortuis resurrexisse, de qua vaticinati sunt Prophetæ, est fides divinorum mysteriorum. Itaque hæc fides ad consequendam salutem disponit. Ad hæc, ut præcedenti capite diximus, qualem fiduciam in Christi Redemptione habere possumus, nisi fides præcedat, qua credamus illum esse filium Dei, & pro hominum salute incarnatum & passum? Hæc ergo fides omnium gratiarum fundamentum est, nec aliud ponere possumus, ut inquit Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 3. & Augustinus de Fide, & Op. cap. xv.

Objectiones contrariæ refutantur.

8. Objectiones contra 1mam propositionem.

Multa quidem adversus primam propositionem objiciunt hæretici, sed possunt omnia ad tria capita reduci. Primum est, quod Apostolus ad Rom. iii. 28. docet *justificari hominem per fidem sine operibus legis*; de quo loco plura in prima propositione: & quod præsertim objectant, scopus Apostoli est demonstrare justificationem gratis haberi, quoniam si quis ex operibus justificatur, *habet gloriam, sed non apud Deum.* Hinc est, quod etiam Tridentinum Concilium Sess. vi. cap. 8. definit, *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereri.* Et Augustinus de Fide, & Operib. cap. xiv. num. 21. inquit: *Sciat quisque per fidem se posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.* Alterum caput est, quod plura Scripturæ loca fidei justificationem, atque salutem tribuunt, ut ad Rom. i. 17. *Justus ex fide vivit.* x. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Matth. ix. 22. *Fides tua te salvam fecit.* Et si dixeris hæc accipienda esse de fide, quæ operatur per dilectionem, extat Lucæ viii. 50. apertus textus solam fidem commemorans, nempe: *Crede tantum, & salva erit.* Quare Augustinus lib. i. ad Bonif. cap. 21. de Sanctis veteris testamenti ait: *Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris.* Tertium caput est, quod Patres à sola fide salutem agnoscunt. Legatur Chrysostomus Orat. de Fide & lege, Tertullianus de Baptismo, Augustinus ipse quæst. 76. ex lxxxiii. Ex his talis objectatio consurgit. Si justificationem præcederet aliqua liberi arbitrii dispositio, non esset gratia, sed merces; neque recte Scripturæ ac Patres fidei tantùm ipsam justificationem tribuerent. Id omni procul dubio falsum est. Nulla ergo liberi arbitrii dispositio justificationem præcedit.

Resp. juxta Apostolum justificari quidem hominem per fidem, sed per illam fidem, quæ per dilectionem operatur; atque eo tantum sensu excludi opera, quatenus in se inspecta nullatenus ad justitiam perducunt, omnemque vim ac roburà præveniente gratia recipiunt. Explicatum id paulo supra ejusdem Apostoli, & S. P. Augustini expressissimis verbis. Affirmamus propterea hominem justificari gratis per fidem, etiamsi justificationem præcedat timor, spes, dilectio, & contritio, *Quia ipsa fides, unde incipiunt bona, quæcunque sunt, merita, gratuitum donum Dei est*: inquit Epistola ad Sixtum 150. nunc 194. num. 9., Gratiæ prædicator Augustinus. *Et quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera justitiæ, à quo est fides, de qua dictum est, Justus ex fide vivit*, inquit idem Augustinus de Grat. & libro cap. vii. num. 18. Atque recte monet Apostolus, *ne quis glorietur;* quoniam, cum ipsa fides sit donum Dei, non possunt homines dicere: *Ideo accepimus gratiam, quia credimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo*, inquit eo loco Sanctus Pater: quemadmodum inaniter quidam Judæorum jactabant se ad fidem Christi ob circumcisionem fuisse vocatos. 9. Solvuntur

Eadem profecto mens est Tridentinorum Patrum; nam sacrosancta Synodus paulo ante ea verba, *Nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur*, dispositiones, quas justificatio consequitur, enumerat. Deinde per omnia Augustino cohærens inquit: *Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu* 10. Per

intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium. Illam quoque rationem addit, quam affert Apostolus, *Quoniam si justificatio gratia est, jam non ex operibus, ut idem Apostolus inquit, alioquin gratia jam non est gratia.* Cum itaque dictum illud Apostolicum non sit accipiendum de operibus à gratia Christi profectis, quibus ineſſe rationem meriti Synodus ipsa definit, sed tantum de iis, quæ fiunt absque prævenientis gratiæ adjutorio, à quo justificationis exordium sumendum est; sequitur apertissime Concilium, ubi ait neque fidem, neque opera justificationis gratiam promereri, aut loqui de fide prorsus informi & mortua, quæ ad justitiam nihil magis, quàm donum linguarum, aut prophetiæ, aut scientiæ, si nihil adsit Christianæ dilectionis, potest conferre; aut saltem de merito *de condigno*, quo carent opera ante justificationis gratiam patrata. Legite Estium in III. & IV. caput Paulinæ ad Romanos Epistolæ.

II. Singula

Habent sensum eundem verba Augustini scribentis de Fide & Op. cap. XIV. num. 21. quod opera non præcedunt, sed sequuntur justificatum: opera nempe, quibus æterna vita tanquam merces rependitur. Enimvero ibidem inquit Apostolum tribuentem justificationem fidei, definire, *non quamlibet fidem, qua in Deum creditur sed eam salubrem planeque Evangelicam, cujus opera ex dilectione procedunt.* Deinde supra cap. VIII. num. 8. ostenderat in baptizandis requiri pœnitentiam ex verbis Act. II. 38. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum, &c.* Requirit etiam cap. IX. & seq. servandi mandata propositum. Ait præterea citato num. 21. se de hac quæstione prolixius in libro de Spiritu & litera disputasse. Quid autem hoc in loco Augustinus? Cap. IX. num. 15. ait: *Justificati gratis per gratiam. Non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem; sed justificati gratis per gratiam ipsius, non quod sine voluntate nostra fiat; sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, &c.* Apertissime itaque docet Augustinus hominem gratis justificari, & opera justificationem non præcedere, quoniam prior est gratia, quàm meritum; ac bona voluntas, & quidquid justificationem præcedit præsupponunt gratiam prævenientem.

12. Membra

Solvuntur ex dictis, quæ secundo loco objiciuntur. Dum enim Scripturæ ac Patres fidei justificandi vim tribuunt, accipiendi sunt de fide, quæ per dilectionem operatur, & in quantum fides est primum gratiæ donum, per quod cætera impetrantur. Superiori capite consimiles Scripturæ textus protulimus, etiam timorem Domini, spem, charitatem, & conversionem cordis præcipientes. Fidem ergo justificare fatemur, solam atque informem negamus ad justificationem sufficere. Oppositum sane non evincunt ea verba apud Lucam VIII. 50. crede tantùm, *& salva erit.* De salute filiæ principis synagogæ, ejusque à mortuis excitatione, non de sanctificationis gratia, ista prolata sunt: ac possunt etiam operarii iniquitatis, ut colligitur ex Matth. VII. 22. virtutes multas in Christi nomine operari; ideoque alia fides ad patranda miracula, alia ad sanctificandas animas est necessaria. Sanctus autem Augustinus dum I. libro ad Bonif. cap. XXI. ait antiquos justos nonnisi fide Mediatoris salutem consecutos, redarguit Pelagianos autumantes, quod veteres Patriarchæ salvi facti fuerint absque Christi gratia; quare per τὸ, *nisi fides*, excludit opera solius naturæ viribus facta, non auxilio gratiæ, ac per fidem in futurum Reparatorem perfecta: quod commonstrant hæc verba paulo post appositа: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvos fieri, quemadmodum & illi: hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, ut eadem gratia Jesu Christi salvi facti credantur antiqui; sed distribuitis tempora secundum Pelagium, in cujus libris hoc legitur; & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, & in lege, sanguis Christi non fuerit necessarius &c.*

13. Fusius

Eadem plane significatione affirmarunt Patres hominem sola fide justificari exclusis operibus factis absque gratia; aut si mors, vel impedimentum aliquod superveniat, sola fide ab operum consummatione, sed non à bona voluntate, ac mandata servandi proposito sejuncta: id est, fide illa, quam Hieronymus in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani appellat *devotam in Deum animam*, & per quam dicimur in sacris literis credere, non mente tantum, sed etiam *corde*; ut Act. VIII. 37. & ad Rom. X. 10. *In Evangelio enim voluntas quæritur, quæ etiamsi*

etiamsi effectum non habuerit, præmium non amittit : inquit idem Hieronymus in caput XII. Matthæi. Hanc esse Augustini mentem in libro LXXXIII. quæst. Q. 76. præter ea, quæ supra ex eodem loco produximus, hæc verba confirmant: *Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus ejus operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non finitur.* Idem docet Chrysostomus pertractans eo loci de Latrone, qui tempus recte operandi non habuit; propriam tamen iniquitatem confessus est, & regnum Christi speravit & petiit, ut narrat Evangelica Historia, & in eloquentissima de ipso Latrone Homilia idem Chrysostomus. Inquit de hoc Latrone Cyrillus Hierosolym. Catech. XIII. *Vellet juste agere latro, sed venit mors.* Tertullianus denique loquitur de fide per charitatem formata, quam *integram* vocat. Tribus ergo hæreticarum objectionum capitibus hæc tria Orthodoxæ doctrinæ opponuntur; quibus præmissæ argumentationis explicatur major propositio, minor autem apertissime refutatur.

14. Objectiones contra 2dam propositionem.

Argumenta, quæ urgentur ab hæreticis adversus secundam propositionem, possunt pariter ad tria capita revocari, ad exemplum Paralytici ex Evangelio depromptum, ad Apostolicam Divi Pauli doctrinam, atque ad fidei definitionem & firmitudinem. I. De Paralytico legimus Matth. IX. 2. dictum illi à Domino: *Confide filii, remittuntur tibi peccata tua.* Fides itaque per quam delentur peccata, nihil est aliud, quam firma in Christum fiducia. II. Apostolus in prælaudata ad Romanos Epistola de fide, qua justificatus est Abraham, cap. IV. 16. ait: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio* : his verbis commendat Paulus fidem duntaxat promissionis divinæ. Addit versu 18. *Qui contra spem in spem credidit*; atque hic pariter spes firmissima designatur. Sequitur versu 20. 21. 22. *In promissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit potens est facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.* En majori verborum expressione declaratur, quod Abraham justificatus sit, ob fidem plenissimam, & certam sine animi fluctuatione fidentiam. III. Fidem ita nobis describit idem Apostolus in Epistola ad Hebræos cap. XI. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum;* ubi Græcum vocabulum ὑποστασις, *substantia*, commonstrat fiduciæ constantiam, ac firmitatem: de qua etiam Jacobus cap. 1. 6. inquit: *Postulet autem in fide nihil hæsitans*; ubi ostendit fidentiæ firmitudinem à Deo omnium gratiarum dona impetrare. Exemplum itaque Evangelium, doctrina Apostolica, ipsaque Fidei natura ac potestas demonstrant, quod justificationis exordium à sola fide divinarum promissionum sit repetendum.

Resp. ad 1. nos pariter, ut diximus cap. præcedenti, spem & fidentiam exigere ad justificationem obtinendam; cum Tridentina Synodus iisdem verbis Matth. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, doceat sess. VI. cap. 6. disponi ad justificationem impios, dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. *De hac dispositione scriptum est* (inquit ibidem sacrosancta Synodus) *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Negamus tamen probari exemplo Paralytici, quod initium justificationis sit fides *promissionum*, & quod hæc debeat in nobis excludere omnem formidinem. Cur enim tanta in Paralytico, & in iis, qui eum ad Christum adduxerant, spes & fiducia, ut una cum grabato submitterent illum è tecto; nisi quia Redemptoris fama longe, lateque diffusa, & accedente fidei illuslustratione, credebant revera ipsum esse Christum, & omnipotentia esse præditum? Hæc ergo spes, hæc fiducia non fuit collati beneficii prior causa, quia jam fidem Christi ex auditu conceperant. Quod si potuit paralyticus omnem exuere dubitationem, quoniam sine verborum ambiguitate Dominus illi impendebat remissionem peccatorum; non est idem affirmandum de nobis, quibus non tribuit absolutionem ipse Christus videns, ut in paralytico, fidem nostram, spem, animique dolorem: sed absolutionem nobis impendunt Sacerdotes, quos latet interior cordis nostri contritio; ideoque non expellunt à nobis omnem prorsus formidinem. Ergo paralytici exemplum perperam opponitur ab hæreticis. 15. Refutantur.

Idem asserendum est de verbis Apostoli, quorum sensus liquet ex præcedentibus responsionibus. Ait enim Paulus firmam esse promissionem *ex fide*: quia ad Chri- 16. Per omnia.

Christi hæreditatem non solum vocantur Judæi, quorum Abraham est Pater secundum carnem; sed etiam Gentes, qui per fidem reputantur in semine; ideoque promissio facta Abrahæ etiam super nos confirmatur, quia non per circumcisionem, sed per fidem dictus est *Pater multarum gentium.* Quid hæc, quæso, ad inanem fiduciam hæreticorum, cum Apostolus in genere tantum affirmet factam promissionem *omni semini*, non autem singulos in individuo posse firmiter credere, se nactos esse gratiam Abrahæ semini repromissam? Quod addidit, *Contra spem in spem credidit*, significat tantum Abraham præter *spem naturæ* credidisse se consecuturum à Domino sobolem, tametsi erat corpus ejus emortuum, cum fere centum esset annorum, & emortua pariter esset vulva Saræ, ut ipse Apostolus ibidem ait. Atque his confirmat, quæ supra dixerat, nonnisi per gratiam, & per fidem constitui Abrahami posteros, adversus Judæos carnalem propagationem, & carnis circumcisionem jactantibus. Ea autem, quæ sequuntur versu 20. & sequentibus, retorquentur in Adversarios. Primo, quia per Apostolum, Abraham *non hæsitavit diffidentia*, sed credidit nasciturum sibi filium, cum fere centum esset annorum, quoniam plenissime sciebat posse Deum facere quæcunque promisit; non fuit ergo fidentia Abrahami initium justificationis ipsius, sed potius effectus fidei, qua in Dei veracitatem, & omnipotentiam credebat. Deinde huic fidentiæ accesserat obedientia, qua jam ambulaverat coram Domino, & exierat de cognatione sua; quomodo ergo hæc sola fiducia Abrahamum justificavit? Præterea si Abraham non hæsitavit diffidentia, quia tam aperte Deus ei revelavit futurum, ut Sara nonagenaria pareret filium; quo pacto secluſa revelatione divina potest haberi firmissima sine ullo timore fiducia? Demum si Apostolus de fide, qua Abraham credidit Deo prænuntianti partum Saræ, Gen. XVII. cum esset annorum 99. ait: *Ideo reputatum est illi ad justitiam*; ergo idem Apostolus non loquitur de prima Abrahami justificatione, & hæc recipit augmentum, quod hæretici negant; quia de ipso Abraham dictum est, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, Genes. xv. 6. cum ageret annum ætatis suæ 84 Sed de justitiæ certitudine atque incremento plura cap. ultimo.

Postremum argumentum nihil probat, & in hæreticos retorquetur. Si consulamus Græcos Patres, fides dicitur ὑπόστασις ἐλπιζομένων, *Sperandarum rerum substantia*, metonymice, in quantum præstat ut menti firmiter hæreant quæ non videntur, & nondum subsistunt, ut est resurrectio mortuorum, & immortalitas corporum. Ita Chrysostomus, Theophylactus, & Theodoretus in caput XI. Epist. ad Heb. nec repugnat Augustinus Tract. LXXIX. in Joannem. Alii ita hunc locum interpretantur, ut fides sit spei nostræ basis & fundamentum. Jacobus docet, ut orans Deum non sit hæsitans, nihil disceptans de fide, & quemadmodum habet Græcus, διακρινόμενος, dijudicans, atque in dubium revocans Dei potentiam, & promissionem. Profecto nequit ex his inferri, aut solam fiduciam justificare, aut orantes Deum non posse de propria conscientia titubare ac timere. 17. Membra.

CAPUT VI.

Exponitur Hæreticorum, atque Catholicorum de bonis operibus, illorumque meritis dogma.

SUMMARIUM.

1. Mens Hæreticorum.
2. Doctrina Catholicorum.
3. Refutatur prima propositio Hæreticorum.
4. Rejicitur altera propositio Hæreticorum.
5. Probatur veritas Catholica.
6. Quid sit meritum.
7. Rejicitur opinio Calvini
8. Meritum de condigno, & de congruo.
9. & 10. Prima conditio ab Hæreticis ad opus meritorium requisita rejicitur.
11. 2da conditio irritatur.
12. & 13. Tertia conditio refutatur.
14. Explicatur textus S. Pauli.
15. 4ta conditio reprobatur.
16. Addunt aliqui Hæretici conditionem 5tam.
17. Quot requirantur conditiones ad opus meritorium in sensu catholicorum.
18. usque 26. examinantur conditiones.
27. Quid requiratur ad meritum de congruo.

HÆRE-

1. Mens Hæreticorum.

HÆRETICORUM circa bona opera hæc est sententia: Omnia hominum opera, si in sua dignitate censeantur, nihil esse aliud, quam sordes & inquinamenta. Ita scribit libro III. Instit. Calvinus. Et Lutherus pariter art. 33. asserit, justum in omni opere bono peccare. Moventur illi ex quo nemo possit in hac vita perfecte legem implere, ut divina Scriptura, & Patres omnes testantur. *In multis labimur omnes*, inquit cap. III. Jacobus; & Salom. VIII. primi Regum, *Non est homo, qui non peccet.* Justitias nostras panno menstruatæ æquiparari à Propheta, diximus supra cap. 3. Etiam justis orandum esse, *Dimitte nobis debita nostra*, demonstratum est cap. 6. præcedentis libri. Ex Græcis Patribus, non esse aliquem inter homines qui non delinquat, docet in XI. caput ad Rom., in XIII. Epist. I. ad Corinth. Chrysostomus. Ex Latinis Cyprianus in Exposit. orat. Dominic. August. de Peccat. merit. lib. 2. cap. 7. Greg. lib. IX. moral. cap. 26. Horum autem, aliorumque testimonia tam aperta sunt, ut nequeant in dubium revocari.

2. Doctrina catholicorum.

Catholici econtra plura dari opera, quæ nullatenus peccata sunt, longe meliori sensu propugnant, ac talia esse censent illa omnia, quæ à nobis fiunt secundum legis præscripta, neque à malæ cupiditatis radice proficiscuntur. Id probant literarum sanctarum, ac Patrum auctoritate suffulti. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, ut legitur cap. IV. Gen. id est, *grata hæc habuit, ac laudavit*; quemadmodum exponit Hom. 18. Chrysostomus. Dicitur Noe cap. 6. *invenisse gratiam coram Domino*: ac deinceps alii Patriarchæ dignis laudibus celebrantur. Job appellatur cap. I. *homo simplex & rectus, timens Deum, ac recedens à malo.* Ait de se ipso David Ps. 118. *Ab omni via mala prohibui pedes meos.* Magdalena Christi pedes inungens dicitur Matth. 26. *bonum opus operata.* Paulus ad Titum III. dicit fidelium opera *bona & utilia hominibus.* Jacobus cap. 2. repetit justificationem ab ipsis operibus. Patres quidem omnes ad bene operandum nos vehementer hortantur; Justinus disputans cum Tryphone, Irenæus lib. IV. H. 71. Chrysostomus Hom. 30. in Joan. Augustinus toto libro de Fide & Operibus. Fieri istiusmodi hortationes ut magis sceleribus inquinemur, superat rationem ac fidem nostram.

3. Refutatur 1ma propositio Hæreticorum.

Momenta sane hæreticorum difficile non est refutare; si advertas aliud esse, hominem quamvis justum aut negligentia, aut alia causa, dum etiam sanctis operibus incumbit, plura venialia peccata committere; aliud sancta opera vel à mala radice procedere, vel esse legis, præceptorumque transgressiones, vel esse inspecta dignitate sua damnabilia. Hoc postremum jure negamus; quoniam quisquis recte operatur, ducitur spiritu Dei, servat mandata, redditque se dignum remuneratione & corona. At primum non diffitemur; nam à radice alia, à qua minime exoriuntur opera bona, id est ab infirmitate atque ab inhærente concupiscentia, facile oritur defectus aliquis, pro quo nobis divina misericordia est continuo imploranda. Hac ratione in multis omnes labimur, & oramus quotidie, *Dimitte nobis debita nostra*: sed vide præcedentis libri caput 2. ac 6. Porro quod inquiunt Heterodoxi, quolibet peccato, quantumvis minimo, penitus justitiam labefactari, diluetur libro XXI. cap. 8. ubi demonstrabimus dari peccata naturâ suâ venialia. Locus Isaiæ LXIV. expositus est paulo supra cap. 3. Ibidem præterea propheta commendat justorum opera, dum ait versu proximo: *Occurristi lætanti, & facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui.* Prior itaque hæreticorum assertio, quod omnia opera hominum inquinata sint, merito à Tridentina Synodo fuit proscripta sess. VI. can. 25. meritoque à nobis refellitur.

4. Rejicitur altera propositio Hæreticorum.

Altera hæreticorum propositio est, bona opera non esse ad salutem necessaria: quod Novatores solent diversa ratione explicare. Nam quidam autumant justum non adstringi ad præceptorum observationem; quod scriptum sit ab Apostolo 2. ad Corinth. v. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*: & 1. ad Timot. I. *Justo non est lex posita.* Verum hæc, & consimlia ita sunt accipienda, ut justi non coacte, sed lubenter impleant mandata, ut exponam cap. 2. libri proximi. Hanc ergo hæreticorum assertionem nunc ommitto. Flacci, Jenensium, & Hinckelmanni opinatio, quod bona opera ad salutem nullo pacto sint necessaria, ut vidimus cap. IV., rejicitur à cæteris Protestantibus. Hinc necessitatem bonorum operum confessi sunt in Confess. Saxonica de qua legendus Du-Hamel Tom. 3. pag. 796. Videtur mihi Gerardus Vossius in Thesibus habitis in Academia Leidensi omnem suorum fraudem detegere. Is inquit bona opera esse homini Christiano triplici nomine necessaria, primo ut Christum glorificet; deinde ne ob bonorum ope-

rum neglectum amittat bonam conscientiam, tandem ut proximum charitatis officiis studeat lucrifacere. Negant igitur necessitatem bonorum operum, quasi his apprehendatur vita æterna, quam nulla ratione bonis operibus hominem justum promereri opinantur.

5. Probatur Veritas Catholica.

Ergo doctrinam illorum, qui bona opera prorsus rejiciunt, sensu unanimi Catholici omnes repellunt. Ducuntur invictissimis argumentis. Primum est, quod nobis, ut bene operemur, præcipitur, Is. 58. Matth. 5. Marc. 8. Joan. 15. ad Colos. 3. atque in omni fere Scripturarum sanctarum pagina. Sufficit animadvertere, quod non sit amicus Christi, qui ejus mandata non servat, dicente eodem humani generis Reparatore apud Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Quare sapienter unumquemque commonet beatus Jacobus cap. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Alterum argumentum est, quod fides sola ad salutem non sufficit, dicente eodem Apostolo in fine sequentis capitis, *Fides sine operibus mortua est.* Plura huc spectantia fuerunt in articulo superiori producta. Tertium argumentum est, quod vita æterna nonnisi bonis operibus reperditur; summus enim Judex Matth. 25. dicturus est electis: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* De iniquis vero S. Petrus in altera Epistola cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* De quo, aliisque Scripturarum locis, legendus est Augustinus capite de Fide & Operibus quarto ac vicesimo. Postremum argumentum peti potest ex Patrum traditione. Nam Chrysostomus orat. v. adv. Anomæos ait: *Dogmatum salubritati addamus illam, quæ in vita & operibus est, puritatem, ne dimidiata tantum habeamus ea, quæ ad salutem perducunt.* In Epistolam ad Romanos cap. VIII. *Fieri non potest, ut salvetur, qui post fidem torpescit.* Et libro IV. de Sacerd. *Nihil lucri ex sana fide, si vita sit corrupta.* Ambros. in cap. IV. Epist. ad Hebræos; *Non sufficit fides, sed debet addi vita fidei condigna.* Augustinus cap. VII. de Grat. & lib. arb. eos reprehendit, qui putant asserere Apostolum scribentem ad Romanos: *Sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, quod absit, ut sentiret Vas electionis.* Magnus Gregorius in Epist. ad Francorum Reges Theodoricum, & Theobertum: *Si vita deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui dicit, Fides sine operibus mortua est.* Atque huc spectant omnia, quæ dicta sunt capite præcedenti. Quum hæc satis aperta sint, & consentientem habeamus magnam Adversariorum partem, minime negantium bonorum operum necessitatem; totum, ni fallor, dissidium in hoc situm est, quod hæretici denegent homines per bona opera posse aliquid promereri, & ad æternam vitam illa tantum requirant, vel quatenus sunt signa fidei, vel ob triplicem rationem superius à Vossio explicatam; Catholici autem firmiter teneant ipsam æternam vitam bonis operibus ut causæ meritoriæ à Deo promitti, atque rependi. Quam ob rem puto hæc perpauca tali methodo atque ordine de necessitate operum à me exposita sufficere ad dirimendam omnem in hac materia controversiam, si accurate attendantur quæ de operum merito nunc proponam.

De merito.

6. Quid sit meritum.

Ut à ratione nominis exordiar; Calvinus in III. Instit. cap. 15. nomen meriti ait fastuosissimum esse, à Scripturis extraneum, & ab aliquo *Sophista rabula* inductam. Nimium profecto in Scholasticos homo iste excandescit, rabula ipse, ravusque latrator. Ajebat Hugo Grotius in Animadversiones Riveti Artic. 6. de hoc vocabulo meriti, *Voces ab omni antiquitate usurpatas commode interpretari, non autem morose rejicere, piæ est modestiæ.* Jam unde Meriti nomen derivatum sit, Calvino demonstretur. Illud accepimus ex sacris literis: ex Eccles. XVI. *Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum:* ex innumeris aliis locis, quæ commemorant justorum *mercedem*, capite proximo proferendis. Unde enim præmium, quod datur pro labore, *merces* dicitur, nisi *à merendo?* Eadem voce usi sunt fere omnes Ecclesiæ Patres. Cyprianus de Præceptis Eccles. inquit: *Præceptis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* Ambros. 1. de Officiis cap. 15. *Meritorum præmia remanent post mortem.* Augustinus Epist. ad Sixtum: *Vita æterna meritis præcedentibus redditur.* Meriti ergo nomen nobis Dei verbum ac Patrum sententiæ tradiderunt.

7. Rejicitur opinio Calvini.

At quoniam Calvinus parum sibi constans postea inquit vetustos Ecclesiæ Scriptores hujus voculæ abusu materiam erroris posteris tribuisse; vindicato

Meriti

Meriti nomine, de ipsa jam re differamus. Nos meritum hac definitione describimus: *Meritum est bonorum operum, quæ sunt ex gratia, quædam dignitas aut præstantia, ob quam illis sive ex decentia, sive ex justitia rependitur aliquod præmium pertinens ad vitam æternam.* Diximus *ad vitam æternam*, nam bona temporalia, cum bonis æque ac malis communia sint, nequeunt esse bonorum operum retributio, nisi sub ea tantum ratione, quod ad salutem æternam possunt auxiliante gratia ordinari, veluti dum quis utitur divitiis eleemosynam largiendo, corporis animique valetudine, orando, atque exercendo pietatis, aliarumque virtutum officia. Diximus etiam, *quæ sunt ex gratia*; quoniam, ut constat ex disputationibus adversus Pelagianam, ac Semipelagianam hæresim, nullum sine gratia opus aut fidem, aut justificationem, aut æternam vitam promeretur. Diximus præterea, sive, *ex decentia, sive ex justitia*; quippe non omne meritum talem habet dignitatem, ut illi merces ac præmium servatâ æquitate debeatur, sed complura sunt imperfecta & exigua, quibus præcedentibus dona largitoris ob profusam ejus liberalitatem solent rependi; ut dum bonæ voluntatis conatibus retribuitur gratia operationis, huic vero justificatio.

8. Meritum de condigno & de congruo.

Duplex propterea *meriti* genus distinguimus; quorum unum appellatur *meritum de condigno*; alterum *meritum de congruo*. Meritum *de condigno* est illud, cui ex justitia retribuitur æterna vita; atque locum habet in solis justificatis, & *habitualem* gratiam supponit. De hoc merito ait Apostolus ad Tim. IV. *Reposita est mihi corona justitiæ.* At meritum *de congruo* illud est, cui ex sola decentia remuneratio confertur: & tale meritum habetur etiam in peccatoribus, dum gratia præveniente excitati, fide, spe, & dilectione ad justificationem disponuntur. De hoc merito loquuntur Concilia & Patres, dum definiunt contra Pelagianos: *Gratiam non dari secundum merita nostra*; ut demonstravimus supra libro XIV. de H. Pelag. cap. 12. Non sunt hæc nomina, *Meritum de congruo*, & *Meritum de condigno*, alicujus recentioris Scholastici commentatio; cum iisdem utatur etiam Guilelmus Arvernus apud Isacium Habertum in Theologia Græcorum Patrum pag. 445. Floruit autem Guilelmus circa annum 1240. duobus integris sæculis, antequam Lutherus & Calvinus ad Religionis, & Christiani nominis dedecus nascerentur. Ac meritum *de condigno*, quod proprium meritum est, etiam ex sacris literis nomen accepit, ubi dicitur operarius *dignus mercede sua*, Matth. X. & qui non sunt inquinati, appellantur *digni* ut cum Agno ambulent *in Albis*, Apoc. III. Meritum vero de *congruo* necessum fuit, ut à priori distingueretur, & Pelagiana præsertim dogmata secernerentur à Catholicis, hoc ipso vocabulo, aut alio consimili designare. Id nos, dum pronuntiamus vocem *meriti*, volumus insinuare auditoribus.

Hæretici merendi vocabulum prorsus damnare non audent, eoque utuntur in Confessionibus suis, ut liquet ex Harmonia Confess. sect. 9. Respuunt tamen illud, tanquam ambiguum, & superbiæ nomine periculosum. Atque ad rem quod attinet, statuunt falso, & impie sentire, quotquot bonis operibus censent æternam vitam retribui justitiæ debito. Hoc est præcipuum inter nos, illosque dissidium, in quo an nostra, an illorum melior sit causa, nequit definiri, nisi attendantur necessariæ ad meritum conditiones.

OPERIS MERITORII CONDITIONES JUXTA DOCTRINAM HÆRETICAM.

9. Prima conditio ab hæreticis ad opus meritorium requisita.

Quatuor sunt conditiones, quas requirunt hæretici, ut bona opera possint mereri vitam æternam; illasque præ cæteris enumerant, atque exponunt Forbesius de Justificat lib. v. cap. 3. & Vossius disput. IV. Leidensi. Prima conditio est, inquiunt, quod opera sint undequaque perfecta, tam graduum, quam partium ratione. Videtur hæc conditio consentanea rationi, eoquod justitia postulet inter datum atque acceptum æqualitatem. Præterea si opera bona non merentur *ex condigno* justificationem, quia sunt imperfecta, neque habent eandem dignitatem; multo minus promereri poterunt vitam æternam, cum hæc sit ipsa justificatione longe perfectior. Victoriam canit Vossius ob quamdam Joannis Feri sententiam in Act. cap. XV. *Apostoli concludunt, quod fides justificat, non opera, neque lex. Cur fides? Quia innititur gratiæ, & misericordiæ Dei, promissis Dei, meritis Christi. Cur non justificat lex? Quia nemo eam servavit. Cur non opera? Quia imperfecta sunt. Hæc quidem summa totius Concilii Apostolici.*

10. Rejicitur.

Hanc priorem conditionem perperam ſtatuere nituntur. Quamquam enim opera in ſe ſpectata, atque, ut Scholaſtici loquuntur, *materialiter* imperfecta ſint, & juſtus ſæpenumero in venialia crimina prolabatur; ut per bona opera vitam conſequatur æternam, ſat eſt, quod juſtus operans habeat per gratiam *habitualem* tantam dignitatem ac perfectionem, ut per iſtam opera poſſint cum promiſſa mercede æquiparari, ac ſint æternæ vitæ quaſi radix & ſemen. Nam etiam Chriſti paſſio, ſi tantum attendas patibulum Crucis, ſanguinisque effuſionem, finita eſt, nec omnium Martyrum excedit cruciatus; at inſpecta tamen dignitate perſonæ, omnem exaltationem promeruit, & magis efficax fuit, quam paſſiones Martyrum univerſorum. Ergo non opera juſtorum quantum ad ſolam officiorum exhibitionem ſpectanda erunt, ſed quantum ad excellentiam virtutis illis dignitatem tribuentis. Minimum quidem eſt ſemen quercus, at producit proceram arborem; & aqua ſuapte natura per meatus terræ dilabitur, ſed in canali compreſſa aſcendit ad altitudinem ſcaturiginis. Reperitur in juſto Spiritus ſancti chariſma, atque *ſemen Dei manet in eo*, 1. Joan. 3. in eo pariter eſt *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, Joan. 4. Igitur ad hæreticorum argumentum petitum ex definitione juſtitiæ, etſi reſponderi poſſet cum D. Thoma in 2. diſt. 27. art. 3. non reperiri inter Deum & creaturam juſtitiam *commutativam*, quæ exigit inter datum, & acceptum æqualitatem, ſed ſolam juſtitiam *diſtributivam*, quæ poſtulat ſolam condignitatem, proportionis ſervandæ in diſtributione præmiorum, ita, ut majori merito major compenſatio, minori minor retribuatur; reſpondeo dari inter bona opera, & vitam æternam æqualitatem, non *entitatis*, ſed virtutis. Id non valet de operibus, quæ præcedunt juſtificationem; quoniam in iis deeſt principalis conditio ad meritum *de condigno*, id eſt, ſtatus gratiæ ſanctificantis. Joannis Feri doctrinam ab Hiſpanis Cenſoribus in Complutenſi editione pluribus in locis caſtigatam non tenemur amplecti. Locus tamen, quem Voſſius tantâ confidentia objectat, accipiendus eſt de operibus ſine gratia patratis, quæ *gratiæ & meritis Chriſti* non innituntur, quemadmodum commonſtrat verborum ac ſententiarum antitheſis.

II.

II. 2da conditio irritatur.

Altera ad meritum conditio juxta hæreticos eſt, quod opus meritorium ſit prorſus indebitum, quia ſub meritum non cadunt ea, ad quæ obſtringimur. Conditionem iſtam requiri putant, quoniam Chriſtus Lucæ XVII. 10. inquit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus.* Deinde Theophylactus in hunc locum ait: *Servus ſi non operabitur, dignus eſt multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus ſit quod plagas effugerit.* Præterea Bernardus in libro de quadruplici debito docet ſic opera noſtra deberi Deo, ut poſſet illa citra præmii ſpem exigere à nobis. Addunt exemplum, quoniam ſubditus non meretur, ſi præſtet principi obedientiam; nec filius, ſi parentibus debitum exhibeat obſequium.

Verum & hæc conditio male conſtituta eſt. Si enim admittatur; nec opera Chriſti fuerunt meritoria, propterea quod debebat ipſe quoque præcepta Patris implere. Oportet ergo in bonis operibus diſtinguere ipſorum debitum à merito bonæ voluntatis: cum enim Deus hominem condiderit liberi arbitrii, ac dominum ſuorum actuum, neque ad bene operandum quemquam impellat neceſſitate; habetur ratio meriti non à conditione ſervili, ſed à dominio liberæ voluntatis. Ac ideo in his, quæ neceſſitate fiunt, nihil eſſe meriti non ſolum fatemur, verum etiam contra Janſenianos tanquam dogma fidei argumentis pluribus demonſtravimus. Itaque allatum ſervorum, filiorumque exemplum in hæreticos retorquetur. Merentur plane; & magis filius, quam ſervus; quia licet plus debeat patri, majori amore & alacritate mandatis ejus obtemperat. Cauſa itaque meriti non eſt opus quod debetur; ſed operis quod debetur libera & non coacta executio. At ad textum Lucæ reſpondendum eſt modo. Ipſum duplici ratione adverſus Heterodoxos urgere poſſumus. Ait Evangeliſta: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis;* igitur omnia præcepta ſervari poſſunt. Addit: *Quod debuimus facere fecimus;* igitur qui ſervat præcepta non peccat, ſed facit quod debet. Debemus autem dicere etiam poſt præceptorum obſervationem, *Servi inutiles ſumus;* primum quia ex opere noſtro nihil Deo acceſſit utilitatis & lucri: deinde quia nullum bonum opus propriis viribus ſine gratia auxiliante potuiſſemus efficere; inſuper quia cavendum nobis eſt, ne conſurgat ex bonorum

norum operum æstimatione tumor superbiæ: ulterius quia poterat nobis Deus mandata proponere, nulla repromissa mercede: quo sensu loquuntur Theophylactus ac Bernardus. Vulgatis his responsionibus addo, Christum apud Lucam exemplo servi, qui tantum imperata domini facit, hortari Apostolos cupientes fidei virtutisque augmentum ad solicitudinem ac vigilantiam, ne ad instar servorum nutum ac præceptum attenderent; cum sit inutile operari invito animo, voluntatis autem bonæ indicium sit studiosa solicitudo. Sic & Petrus hortatur Pastores Ecclesiæ Ep. 1. cap. v. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Consimilem habet sententiam Chrysostomus in 1. ad Corinth. IX. 16. ac Plautus Sticho:

Qui manet ut moneatur semper servus homo officium suum,
Non voluntate id facere meminit, servus is habitus haud probus est.

Denique hortatur Dominus etiam ad perseverantiam; nam servus *inutilis* hic, & Matth. xxv. 30. idem est ac *cessator*, vertente Syro apud Grotium בטילא. Qui ergo mandata servaverit, non coacte, sed voluntarie, ac perseveraverit usque in finem, non erit servus inutilis, sed audiet à Domino: *Euge serve bone, & fidelis, &c.* Matthæi xxv. 21.

III.

12. 3tia Conditio.

Tertiam Bonorum operum merita, juxta hæreticos, conditionem habere debent, ut illa plane vel imprimis sint nostra, non ejus, à quo expectamus mercedem. Bona autem opera, licet sint à nobis tanquam à voluntario instrumento, sunt principaliter Dei: quod ostendit testimonium illud Apostoli 1. ad Corinth. xv. 10. *Amplius quam omnes illi laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Hinc vita æterna dicitur *Gratia* ab eodem Apostolo ad Rom. 6. atque ab Augustino in Epist. ad Sixtum, de Grat. & lib. arbitrio cap. 8. in Enchirid. cap. 107. in Psalm 70. Enarrat. 2. & aliis in locis. Gloriantur propterea Novatores, quod sibi consentiant Paulus Apostolus, & magnus Hipponensis Antistes.

13. Refutatur.

In hac quoque conditione assignanda labuntur errore maximo. Opus patratum à gratia nostrum esse negant immerito. Est quidem rationalis creatura instrumentum Dei, sed animatum, liberum, se movens, propria præditum potestate, & potens dissentire gratiæ illam moventi atque excitanti. Opus ergo meritorium debet etiam nostrum reputari. Demonstratur id apertissime Evangelicis verbis, apud Joannem xv. 5. ubi Salvator ait: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* Arescentem palmitem, atque à vite recisum non germinare uvas, atque impium non manentem in Christo æternam vitam non promereri, certissimum quidem est, dicente Domino, *Sine me nihil potestis facere*: sed uvas non produci à palmite, licet nequeat *ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite*; à justo nimirum non ferri fructum bonorum operum, repugnat dominicæ sententiæ, *Hic fert fructum multum.* Hac eadem vitis & palmitis similitudine usi sunt Tridentini Concilii Patres apud Pallavic. lib. VIII. cap. 4. addito experimento, quo si uvæ nigræ palmes inseratur viti uvæ candidæ, uvam inde prognatam nigram esse conspicimus: ideoque trahit uva certam qualitatem etiam à palmite. Attulerunt ibidem Jurisconsulti legem, quæ incipit, *Servi electione*, tit. de Legat. & Fidei commmiss. & alteram, cujus initium est, *In re communi*, tit. de Servit. Urb. præd. pronuntiantes, *Id quod non est tantummodo meum, sed mihi cum alio commune, meum absolute dici potest.* Allata ibidem fuerunt & verba Cælestini Papæ in Epist. ad Episcopos Galliæ, Augustini in Psalm. 145. Basilii in Summa Moralium cap. 4. diserte asserentium bona opera à nobis fieri, licet non sine gratiæ supernaturalis inspiratione. Ne repetamus omnia, arbitramur satis esse, si cum magno Augustino de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. dixerimus: *Certum est nos mandata servare, si volumus: certum est nos velle cum volumus: certum est nos facere cum facimus.* Itaque præparari voluntatem nostram à Domino, ipsumque per gratiam prævenientem facere ut faciamus, bonorum quoque operum causam principem Deum esse, absque ulla repugnantia concedimus: eadem autem opera nostra non esse, utilia non esse, meritoria non esse, jure meritoque negamus.

14. Explicatur textus S. Pauli.

Ne glorientur hæretici tam audacter Pauli Apostoli, & Hipponensis Episcopi patrocinio; observandum est vitam æternam recte dici mercedem simul & gratiam. *Gratia* est, si ad divinam prædestinatio-

ſtinationem referatur, qua Deus ſtatuit electis conferre gratiam, ſine qua recte agere & perſeverare non poſſent; *merces*, ſi referatur ad juſtitiam, qua recte agentes & perſeverantes coronat. *Gratia*, ſi attendatur quod opera bona præcedit; *merces*, ſi quod illa conſequitur, inſpiciatur. Apoſtolus ad Rom. VI. poſtquam demonſtravit quomodo fuimus ſervi peccati, cujus ſtipendium eſt mors, inquit: *Gratia autem Dei vita æterna;* ſed ad Timoth. IV. poſtquam ait ſe curſum ſuum conſummaſſe, addidit, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Itaque Gloria, ſi ſpectetur quod fuimus ante electionem ſecundum propoſitum, *gratia* eſt; ſi attendatur conſummatio bonorum operum, *corona juſtitiæ.* Nam in electione ac præparatione gratiæ nihil quod noſtrum ſit poſſumus invenire; at ſervata lege, inveniemus aliquid noſtrum, nimirum obedientiam. Atque hæc eſt Doctrina Auguſtini in locis, quæ objectant hæretici, probantis contra Pelagianos gratiæ prævenientis neceſſitatem. *Ipſa vita æterna* (inquit citata Epiſtola ad Sixtum) *meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur; nec ideo, quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur.* Plura ibidem S. Doctor, quæ repetit de Gratia & libero arbitrio capite IX. & de Corrept. & Gratia cap. XIII. demonſtrans vitam æternam eſſe mercedem, quia redditur bonis operibus; licet ſit gratia, in quantum Deus bona opera in bonis operatur. Neque aſſerere poſſumus ſolam gratiam operari, non liberum arbitrium, propterea quod ſcribat Apoſtolus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Quomodo enim hanc hæreticam interpretationem patiuntur proxima verba, *Amplius; quam omnes illi, laboravi?* Quomodo ait Paulus, *Gratia Dei mecum,* niſi & ipſe ſit operatus? Hoc unum ergo demonſtrat, nihil ſe feciſſe abſque divinæ gratiæ auxilio; quo ſenſu Matth. X. 20. legitur: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis;* non quod Apoſtoli minime loquerentur, ſed quia loquebantur, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Act. II. 4.

IV.

15. 4ta conditio reprobatur.

Quartam operis meritorii conditionem parum à prima diſſimilem hæretici hanc eſſe ajunt, ut opus non tantum ſit dignum atque perfectum, ſed etiam habeat cum mercede proportionem æqualitatis: quod probare nituntur ex idea juſtitiæ, atque ex Apoſtolica ſententia ad Rom. VIII. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Verum hæc ex ſupradictis refelluntur; ſive dixeris mercedem bonorum operum non ſpectare ad juſtitiam *commutativam*, ſed ad *diſtributivam*; ſive diſtinctionem feceris inter id quod ſpectat ad officium operis, & quod attinet ad principium, & dignitatem ortam ex gratia *habituali*, quæ eſt propter inhabitantem Spiritum ſanctum participatio divinitatis, conſtituitque hominem juſtum filium Dei & hæredem, ei tribuens æternæ vitæ arrham, & pignus. Atque hoc poſtremum aſſertum nos probamus, non denegantes inter Deum & hominem etiam juſtitiam *commutativam*, dummodo non ſit ſermo de illa juſtitia, quæ mutuæ utilitati, qualis inter homines intercedit, conjuncta eſt, & de qua accipiendum eſſe Divum Thomam contendunt haud vulgares Theologi. Eadem reſponſione ſententiam Apoſtolicam explicamus. Non ſunt utique paſſiones hujus ſæculi ſpectatæ in ſeipſis condignæ, ut æquiparentur futuræ gloriæ; illæ quippe leves ſunt & finem habent, & merces eſt bonorum omnium aggregatio nunquam fini, aut viciſſitudini ſubjecta. Digna tamen eſt hujus ſempiternæ mercedis retributio, ſi attendamus illum, qui patitur, eſſe filium Dei, & hæredem, eique repromiſſam eſſe conglorificationem cum Chriſto, dummodo cum Chriſto compatiatur. Quare ait Apoſtolus eodem loco: *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Vide ſis 2. Epiſtolam ad Corinth. IV. 17. Verbo dicam: non eſt æquiparatio inter opus atque mercedem, ſpectata operis ſubſtantia; concedo, inſpecta ſanctificantis gratiæ, unde meritum proficiſcitur, dignitate; id nego.

16. Addunt aliqui Hæretici conditionem 5tam.

Addunt nonnulli hæreticorum conditionem quintam, ut ille cujus gratia opus præſtatur, recipiat emolumentum aliquod vel honorem. Si aſſerant nullum operibus noſtris Deo accedere commodum, atque intrinſecum emolumentum, verum dicunt; nam Job. cap. XXXV. 7. inquit: *Porro ſi juſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* At conditione hac poſita quomodo invenient meritum in operibus Chriſti? aut quomodo invenient debitum in operibus malis,

malis, dicente Jobo ibidem: *Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Quod si affirment bonis operibus homines non præstare Deo honorem, gloriam & laudem, mentiuntur plane; atque refutantur verbis Christi Matth. v. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*; & Joan. xv. 8. *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis:* nec non Apostoli 1. ad Corinth. VI. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

CONDITIONES OPERIS MERITORII JUXTA DOCTRINAM CATHOLICAM.

17. Quot requirantur Conditiones ad opus meritorium in sensu catholicorum.

Expunctis conditionibus, quas ad meritum requirunt Hæretici, de his agendum modo est, quas constanter admittunt Catholici, & septem connumerantur. Sunt autem, ut Opus meritorium sit bonum, sit liberum, sit supernaturale, sit elicitum in statu viæ, sit ex charitate profectum, sit cum divina promissione conjunctum, sit hominis justi, atque gratia *habituali* exornati; etsi, ut dicam infra, non omnes hæ conditiones requirantur ad meritum *de congruo*. Ajunt Calviniani nos in agsignandis hisce conditionibus certare more Andabatarum, neque inter nos convenire, quoniam Robertus Holkot negat requiri libertatem, Michaël Bajus necessarium non putat statum gratiæ, nec promissionem divinam; hanc propugnare Scotum, Marsilium, & Vegam, negare Cajetanum, & plerosque Thomæ Aquinatis Sectatores: denique non opus esse, ut à charitate proficiscatur, quæ fuit opinio Guilelmi Antisiodorensis, & quorumdam Recentiorum. Sed frustra obganniunt Sectarii. Etenim, quod ad rem attinet, fatentur omnes Orthodoxi meritum bonorum operum: conditiones etiam præcipuas ex recensitis admittunt singuli, quod sit liberum, quod supernaturale, quod ex gratia sanctificante: atque his conditionibus positis aliæ, me judice, sequuntur suapte natura; quoniam opus bonum liberum in ultimum finem est referendum, ideoque fieri debet ex charitate. De statu viæ nulla oriri potest dubitatio, cum in termino sit bravium & corona, non cursus & labor. Roberti Holkot à nobis habetur ratio, & nulla pariter Baji. Divinam promissionem in sacris literis haberi, neque Scotus, nec Thomistæ negant, certantque de formali meritorum ratione, ut dicam infra. Sed missis iis, quæ parum necessaria videntur, de ipsis conditionibus agendum est singillatim.

18. 1ma conditio explicatur.

Prima igitur conditio est, ut opus meritorium sit *bonum*. Neminem fore puto, qui conditionem istam explodat. Ait enim Dominus ad Cain Gen. IV. 7. *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Et Apostolus ad Rom. II. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*: & infra cap. VI. 23. *Stipendia enim peccati mors.* A citandis aliis textibus supersedeo; quid enim frequentius legimus, quam impios thesaurizare sibi iram, habere odio animam suam, arcendos esse à regno Dei, atque sempiternis gehennæ suppliciis damnandos? Ratio etiam hoc demonstrat, quoniam accepta sunt Deo duntaxat opera sua, quæ illum laudant, & æternæ legi conveniunt: at mala opera Deus nec prædefinit, nec præcipit, nec approbat, eaque tantum permittit ad ostensionem justitiæ, profectumque bonorum. Qui ergo rejicit priorem hanc meriti conditionem, is neque Christianam fidem habet, neque rectam conscientiam, neque communem rationem. Scisscitanti autem quodnam sit opus bonum, lib. XXI. satisfacere curabimus. Nunc sat est, si reponamus illud bonum opus censeri, quod ab æquitatis regula non deflectit, quo fruimur Deo & utimur creaturis, cujus non solum officium commendatur, sed etiam finis recte dirigitur. Qui enim justitiam faciunt ut videantur ab hominibus, *mercedem non habent apud Patrem, qui in cœlis est*; & qui gloriam suam quærunt, & laudem captant, *receperunt mercedem suam.* Matth. VI. 1. 5.

II.

19. 2da conditio declaratur.

Præterea necesse est, ut opus meritorium sit *liberum*, non sola libertate voluntatis immunis à coactione, sed etiam voluntate arbitrii non obstricti necessitate: ea nempe libertate, qua homo suorum actuum habet potestatem atque dominium, & de qua pluribus in locis, sed præsertim libro XVI. cap. 2. ac 3. instituimus disputationem. Hanc libertatem requiri ad meritum constat ex verbis Eccles. XXXI 10. *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino:* constat ex Augustino, qui de Grat. & lib. arb. cap. 2. postquam demonstravit exigi in divinis monitis ad aliquid faciendum, vel non faciendum opus voluntatis, concludit; *Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis mercès*

ces ab eo, de quo dictum est. Qui reddet unicuique secundum opera sua: constat ex damnatione tertiæ propositionis Jansenii, & articulorum Michaëlis Baji, & ex canone 4. Sess. VI. Concilii Tridentini, quæ non semel sunt repetita: constat ex ratione, quoniam nequit ad meritum imputari quidquid non est sub potestate hominis operantis: constat denique ex Gentilium Philosophorum consensu, inter quos ajebat Euryphamus Pythagoricus hominem promereri vituperationes ac laudes, honores & ignominias, in quantum *pro jure suo potest aut virtuti studere, aut vitium sectari*. Certissimum est itaque quod recte hæc secunda meriti conditio sit constituta, cum quisque mereatur aut demereatur, quoniam libertas, ut inquit in primo contra Symmachum libro Prudentius,

Concessa est homini, formam cui flectere vitæ,
Atque voluntatis licitum est; seu tramite dextro
Scandere, seu lævo malit decurrere campo.

At hæc omnia juxta doctrinam libro XVI. propugnatam dicta sunto.

III.

26. 3tia conditio inquiritur.

Tertia operis meritorii conditio est, ut sit *supernaturale*, idest factum prævenientis gratiæ auxilio. Probant hujus conditionis necessitatem præmissæ adversus Pelagianos & Semipelagianos disputationes, atque libri proxime præcedentis priora capitula. Recte Arausicana 2. Synodus canone 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu.* Et Tridentina Sess. VI. canone 2. *Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, & difficulter possit; anathema sit.* Plura sunt argumenta Augustini; sed modo sufficiat repetere illud, quod urget contra Julianum lib. IV. cap. 3. gratis esse mortuum Christum, si possimus absque ipsius gratia ad regnum pervenire. Neque prætereundum est quod tradit D. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3. opus meritorium, in quantum ex libero arbitrio procedit, maximam habere cum vita æterna inæqualitatem; ideoque requiritur, ut valorem suum accipiat à virtute Spiritus sancti moventis. Postremum argumentum est, quod homo gratia destitutus, ut inquit Prosper adversus Collat. cap. XXII. *Bonis suis male utitur*;

Et licet eximias studeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet;
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsa virtute potest:

inquit de humana voluntate idem Prosper in Carm. de Ingratis.

IV.

21. 4ta conditio exploratur.

Quarta conditio est *status viæ*. De hac Ecclesiastes cap. XI. 3. ait: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Et Christus Dominus apud Joannem IX. 4. *Venit nox quando nemo potest operari.* In hunc locum apposite Joannis Commentator illustris Augustinus Tract. XLIV. *Aliud est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique secundum opera sua. Cum vivis fac, si facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios. Sed & modo omnis infidelis quando moritur, illa nocte suscipitur, & non est ut illic aliquid operetur.* Lege & Augustinianam ad Hesychium Epistolam, & ex Græcis Olympiodorum super Ecclesiasten. Hujus conditionis causam esse præordinationem divinam, est communis sententia Theologorum. Ac illius præordinationis possumus hanc afferre rationem, quod cum Deus temporalem hominum vitam militiæ & laboribus destinarit, statuit in altera vita coronam atque mercedem. Quam ob rem dissoluta hujus habitationis domo, quibus nihil restat diluendum, ad perpetuam & non manufactam transeundum est; ac vicissim qui induuntur purpura & bysso, epulantur splendide, atque voluptuosa fruuntur vita, impingunt in illius calamitatem, de quo Lucæ XVI. 22. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Defectu hujus conditionis neque Sancti majorem gloriam, neque damnati gravius supplicium promerentur. Sancti quidem pro nobis intercedunt; sed illorum oratio obtinet nobis beneficia potius per modum impetrationis, quam meriti: quamquam sunt aliqui negantes hanc Sanctorum impetrationem recte non dici meritum, ob illorum dignitatem intimamque cum Deo unitionem. Verum hæc dignitas ac præstantia ex meritis, quæ consumma-

ſummarint in via, non ex iis, quæ in patria ſuperaddiderint, ortum habet. Etiam Chriſtus ſempiternum habens Sacerdotium, ſemel ſe ipſum offerendo, vi hujus ſacrificii, operisque jam peracti ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemet ipſum ad Deum, *ſemper vivens* (inquit Apoſtolus ad Hebræos VII. 25.) *ad interpellandum pro nobis.* Omnium ergo meritorum cumulus virtute comparatur, ut inquit Juvencus Presbyter,

Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ.

V.

22. 5ta Conditio examinatur.

Præterea nos ad meritum *de condigno* neceſſarium putamus, quod proficiſcatur *ex charitate.* Et charitatem quidem *habitualem*, cum ſit vel à gratia ſanctificante indiſtincta, vel ſaltem ab illa indivulſa, puto à Theologis univerſis requiri. Illa etiam charitas, quæ eſt inſpiratio bonæ voluntatis præveniens omne opus ſalutare, cum ſit ipſamet actualis gratia, debet opera meritoria, nullo Theologo diſſentiente, præcedere. Ego neceſſariam puto illam quoque charitatem, quæ virtus ſpecialis eſt, nimirum dilectionem, ſaltem *virtualiter* exiſtentem. Certe Apoſtolus neceſſitatem charitatis inſinuat locis productis cap. v. prop. I. Eandem commendat, eique æternam vitam repromiſſam affirmat Chriſtus apud Joannem XIV. 21. dicens: *Qui diligit me diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Et Jacobus cap. I. 12. de viro, qui in tentatione probatur, ait; *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Hanc eſſe mentem Divi Patris Auguſtini demonſtrabo libro XXI. cap. 4. Illud tantum nunc dico eſſe apertiſſimam ejus ſententiam, *Amorem, quo pervenitur ad Deum non eſſe niſi à Deo, & ſine hoc amore Creatoris nullum bene uti creaturis*; lib. IV. contra Jul. cap. 3. *Per legem adduci hominem ad fidem, per fidem impetrare ſpiritum largiorem, per ſpiritum diffundi charitatem, per charitatem impleri legem;* Epiſt. 144. ad Anaſtaſium: *Bonum non eſſe fructum, qui de charitatis radice non ſurgit*; de Spirit. & lit. cap. 14. Vide quæ ſupra diximus de H. Pelag. cap. 7. S. Thomæ ſententia liquet ex I. 2. q. 114. act. 4. ubi ait: *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes ſecundario, ſecundum quod earum actus à charitate imperantur.* Ratione demum hæc veritas comprobatur. Primo quoniam gloria magis dilectioni, quam operibus rependitur; alioqui non foret Beata Virgo ſublimior Apoſtolis, qui pro nomine Chriſti contumelias ac mortem perpeſſi Evangelium ubique prædicaverunt. Deinde quia charitas, cum ſit plenitudo legis, non ſolum præcepta omnia comprehendit, atque ad illa ſervanda voluntatem inflammat; verum etiam finem dirigit, unde in moralibus pullulat decus, pretiumque virtutis. Poſtremo quia merces omnium ampliſſima & præſtantiſſima actibus virtutis omnium maximæ debet rependi. Atque ex his colligitur actus cæterarum virtutum, quidquid ſentiant è Schola aliqui, non promereri *de condigno* vitam æternam, niſi à charitate ſint *eliciti*, vel *imperati.*

VI.

23. 6ta conditio inveſtigatur.

Sextam conditionem ſtatuimus divinam promiſſionem. Illam neceſſariam putant Scotus, Bellarminus, Suareſius, alii; cum aliquo tamen diſcrimine, quod velit Scotus hanc eſſe meriti rationem *formalem*, alii autem ſolummodo *conditionem.* Illam minime neceſſariam putat cum paucis aliis Vasqueſius. Thomiſtæ complures diſtinguunt inter ordinationem Dei, & extrinſecam promiſſionem, illam quidem, non iſtam prærequirentes ad meritum. Quoniam non vacat momenta expendere ſingulorum; dico divinam promiſſionem ad meritum *de condigno* recte exigi. Videtur primo id conforme Tridentino decreto ſeſſ. VI. cap. 16. *Bene operantibus usque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Videtur etiam huc ſpectare articulus Baji ab Apoſtolica Sede proſcriptus: *Sicut opus malum eſt ſua natura mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium.* In multis locis deberi æternam mercedem ex divina promiſſione, ſcribit Magnus Auguſtinus. Enarrat. in Pſalm 109. ait: *Fidelis Dominus, qui ſe nobis debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia promittendo.* Et ſerm. 16. de verbis Apoſtoli, nunc 158. *Debitor factus eſt Deus non à nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo.* Idem ſcribit Fulgentius in prologo lib. ad Monimum: *Se ipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem.* Idem Cyprianus in Epiſtola de Opere & eleemoſyna: idem ſcribens ad Victricium Paulinus. Atque iſtorum auctoritati accedit ratio. 1. Quia ſumus naturâ Dei ſervi, à quibus poteſt ille omnia opera ſervato

vato æquitatis jure sine remuneratione aliqua exigere. 2. Quia nullo alio pacto potest Deus constitui hominum debitor, nisi quatenus rationi & veritati maxime convenit, ut sit fidelis, ac stet promissis. 3. Quia bona opera dignitatem quidem, & proportionem habent cum æterna mercede ob gratiam sanctificantem; sed nulli operanti, tametsi portaverit pondus diei & æstus, debetur ex justitia merces, nisi fuerit conductus, nisi pactum cum Domino intercesserit, nisi conventione facta persolvendi denarium diurnum. Legite Evangelicam parabolam Matth. cap. xx. 4. Quia ideo peccator absque ullo pacto per opera iniquitatis fit debitor justitiæ, quoniam ad contrahendum debitum sufficit, si creatura Domini sui legibus teneatur; sed per opera bona, nisi adsit liberalis promissio, nequit Deus fieri debitor creaturarum, quoniam universorum Dominus nullius obligationis capax est, nisi ex liberali conventione, ac promisso.

24. Opinio Authoris.

Lubenter his positis omnium Scholasticorum, quamvis invicem pugnare videantur, subscribo sententiis. Ac probo doctrinam Scoti, in quantum promissio *formaliter* necessaria est, ut merces ex justitia sit persolvenda. Verum quoque docent Thomistæ, quatenus hæc promissio extrinseca est, nec tribuit operibus illam pretii, ac valoris dignitatem, quam habent ab inhærente justitia. Assentior Bellarmino ac Suaresio, quatenus conventio aut promissio inducunt inter Dominum ac famulum obligationem. Neque dicas promissionem istam etiam ab hæreticis agnosci; hi enim eo modo asserunt reddi æternam vitam ex promissione divina, *quo levanti festucam deberetur regnum, si illi promitteretur*. Hac similitudine utitur Vossius disp. iv. Thesi 1. num. 6. abusus verbis quorundam veterum Scholasticorum, negantium bonorum operum & vitæ æternæ condignitatem, sed spectata ut dictum supra, ipsorum operum *substantia*, non operantis in Dei filium adoptione, atque inhabitatione Spiritus sancti. At nos ita divinam promissionem statuimus, ut etiam fateamur bonorum operum dignitatem, atque de præmio vitæ æternæ asseramus cum Bernardo extremo libro de Grat. & libero arbitrio, *Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum.*

VII.

Tandem ad meritum de condigno requiritur *habitualis gratia*. Ita Tridentina Synodus sess. 6. cap. 16. idque probat ex quo nullum meritum haberi possit, nisi Christus *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos virtutem influat*. Proferri potest hujus veritatis multiplex ratio: ac prima quoniam hæreditas non ad servos pertinet, sed ad filios; & constituimur filii Dei adoptivi per gratiam. Sequitur alia ratio, propterea quod iniquitas dividat inter Deum, & hominem, atque impiorum munera reprobet Altissimus. Accedit tertia, eoquod gratanter nihil recipitur, nisi exhibitum sit ab amico. Additur ratio quarta; nam nulla est inter gloriam, & opera nostra æqualitatis proportio, nisi ob inhærentem justitiam. Postrema ratio sit, quod nec nummi valorem habent, nisi impressa Principis imagine, aut insculpto aliquo charactere, ac præsertim si fuerint ex viliori materia conflati. Quæ omnia cum ex hactenus dictis perspicua sint; consequitur septem has conditiones ad meritum *de condigno* fuisse à nobis rectissime constitutas.

26. 7ma conditio enarratur.

Ad meritum autem *de congruo* sufficit, si opus bonum sit, liberum, atque ex gratia actuali, & aliquo Dei amore procedens. Gratia autem *habitualis* non est ad hoc meritum necessaria, quia non ex operis dignitate, sed ex sola decentia divina beneficia hoc meritum consequuntur. Quare impii, dum fide, spe & charitate ad justificationem disponuntur, hanc promerentur tantum *de congruo*. Neque meritis istiusmodi redditur divina gratia semper, atque infallibiliter, sed pro Dei beneplacito, atque si ex parte recipientis nullum ponatur impedimentum. Stat autem meritum *de congruo* etiam cum gratia sanctificante, dum justus aut aliis gratiam promeretur, aut sibi donum finalis perseverantiæ, quæ non ex justitia conferuntur, sed ex liberalitate divina. Promissionem denique meritum *de congruo* neque requirit necessario, neque excludit: ad tale enim meritum sufficit, si opus habeat aliquam rectitudinem, cujus intuitu Deus beneficium aliquod impertiatur.

27. Quid requiratur ad meritum de congruo.

CAPUT

CAPUT VII.

De merito bonorum operum, quæ juſtificationem præcedunt, & ſubſequuntur.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Opera præcedentia juſtificationem quale habeant meritum.
3. Non habent meritum de condigno.
4. Hominis juſtificati opera bona habent meritum de condigno.
5. & 6. Hoc probatur, & declaratur ulterius
7. Bona opera juſtorum merentur meritum de condigno.
8. Usque 13. ſatisfit objectionibus.
14. De his, qui habent ſpem in bonis operibus.

1. Ratio Ordinis.

EXPOSITA Hæreticorum, & Catholicorum doctrina circa meritum bonorum operum, atque explicatis conditionibus ſingulis, erroribusque Proteſtantium refutatis, haud operoſum eſt omnem controverſiam dirimere. Cum vero operibus absque gratia Patratis, etiamſi honeſta cenſeantur, & bona ſint ex *objecto* atque officio, nullum ineſſe meritum doceat Catholica Fides, & præmiſſa Pelagianorum dogmatum confutatio; coarctatur quæſtio ad opera, quæ fiunt præveniente Spiritus ſancti adjutorio; & quorum aliqua præcedunt juſtificationem, ut ſalutaris timor, oratio, actus Theologalium virtutum, contritio, & peccatorum confeſſio; aliqua ſubſequuntur, ut juſtorum pœnitentia, eleemoſyna, divinorumque omnium præceptorum obſervatio.

2. Opera præcedentia juſtificationem quale habeant meritum.

PROPOSITIO I. Opera, quæ præcedunt juſtificationem, habent meritum *de congruo*, non *de condigno*.

Hujus theſeos, cui omnes, etſi aliqui excipiunt Sotum, ſubſcribunt, veritas primo demonſtratur; quoniam opera, quæ juſtificationem præcedunt, ex definitione Tridentini ſeſſ. VI. cap. 6. atque ex Scripturis allatis ſuperiori cap. IV. ad ipſam juſtificationem diſponunt, & Deus convertitur ad impium, ſe, dum gratia excitatur, convertentem ad Deum. Atqui iſtiusmodi diſpoſitionibus ineſt ratio meriti *de congruo*; quia, ut oſtendimus lib. XIV. auctoritate & ratione, non eſt reputanda nullius meriti petentis fides, quærentis pietas, & pulſantis inſtantia, præcipue ſi quærendo, petendo, & pulſando invenire, accipere, & intrare dicatur. Igitur opera, quæ fiunt ante juſtificationem cum auxilio prævenientis gratiæ, promerentur juſtificationem ipſam *de congruo*. Atque hoc argumentum corroboratur ſequenti. Si præveniens gratia conatus bonæ voluntatis exigeret aut expectaret, ut Pelagiani primum, deinde Semipelagiani affirmarunt, gratia daretur ſecundum merita noſtra: nam idcirco hoc Pelagianum aſſertum damnatum eſt, quia tollitur gratia, ſi a libero præveniatur arbitrio. Itaque ſi Deus ut hominem juſtificet, exigit atque expectat motus liberi arbitrii per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ſe diſponentis; nequeunt iſtiusmodi motus omnino expoliari ratione meriti. Accedit expreſſa S. P. Auguſtini auctoritas. Ait enim Epiſtola non ſemel laudata ad Sixtum: *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui ſe humiliat exaltatur.* Et de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?*

3. Non habent meritum de condigno.

Quod vero eadem opera, quæ juſtificationem præcedunt, habere nequeant meritum *de condigno*, conſtat ex capite præcedenti. Deeſt quippe illis princeps conditio, ſcilicet ſtatus gratiæ, & filii adoptivi dignitas, ac divinæ naturæ participatio. Quare citata Epiſtola ait S. Pater: *Poſſunt quidem dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores?* Hanc tantum aſſertionis noſtræ partem confirmant argumenta, quæ pro ſententia Soto attributa poſſunt afferri. Ubicunque enim Patres, Theologi, ac præſertim laudatus Auguſtinus, & D. Thomas docent hominem impium nihil mereri, ita accipiendi ſunt, ut nihil mereri dicatur tali merito, quod innitatur juſtitiæ; habeatque cum remuneratione æquiparandam dignitatem. Etenim hoc meritum quod verum propriumque meritum eſt, comitatur duntaxat bona opera hominis juſtificati. Aut certe ita accipiendi ſunt, ut gratia non dicatur conferri operibus naturalibus, *nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæ-*

cunque sunt merita; inquit eodem loco Augustinus. Vide quæ scripsimus supra cap. v. ad Hæreticorum objectiones.

4. Hominis justificati opera bona habent meritum de condigno.

Propositio II. Hominis justificati bona opera vere promerentur vitam æternam, non tantum *de congruo*, sed etiam *de condigno*.

Quod bona opera justi æternam vitam promereantur probatur I. ex divinis Scripturis. Sap. v. 16. legitur: *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Matth. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*; & xxv. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, &c.* Lucæ vi. 23. *Ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Ad Rom. ii. 64. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* II. ad Timoth. i. 12. *Potens est depositum meum servare in illum diem justus Judex.* Aqocalyp. ultimo 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Apparet ex his æternam vitam esse bonorum operum mercedem. Merces autem meritis rependitur; ideoque bona opera à merito non sunt disjuncta.

5. Probatur hoc ex Patribus.

Eadem est perpetua & constans Sanctorum Patrum Traditio. Etenim ut aliquorum sententias proferam, Martyr Ignatius in Ep. ad Romanos, *Sinite* (inquit) *ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Basilius in Psalm. 33. *Omnis actio justi digna est, quam Deus respiciat.* Et de Sp. S. cap. 24. *Homo ex operibus justitiæ salvatur.* Greg. Nazian. Orat. 31. & 40. nos ad *bona opera* hortatur, *ut non solum habeamus gratiæ donum, sed etiam præmium consequamur.* Chrysostomus Hom. 2. in Epist. 2. ad Timoth. *Vitæ ratione, & bonorum operum Deum habemus debitorem.* Cyrillus in Thes. 26. docet *præmium gloriæ certantium laboribus respondere.* Idem docent Latini Patres. Cypriani, Ambrosii, & Augustini testimonia produximus capite præcedenti. Prosper ad 6. ob Gallorum inquit: *Justificatus homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.* Bern. denique serm. 81. in Cant. *Omne quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum deputatur.* Cum ergo tam Scriptura, quam Patres bonorum operum merita contestentur; jure optimo Tridentina Synodus in Spiritu sancto congregata propositionem nostram sess. vi. can. 32. dicto hæreticis anathemate definivit.

6. Ac declaratur ulterius.

Quamquam autem laudata Synodus expresse meritum *de condigno* non commemoret, in gratiam, uti arbitramur, quorumdam antiquiorum Scholasticorum, qui affirmarunt nullum dari in creatura condignum meritum, propterea quod nequeat Deus ejusdem creaturæ constitui debitor; nihilo tamen minus nos etiam meritum ipsum *de condigno* majori pobabilitate defendimus. Cum vero bona justorum opera mereri vitam æternam sit dogma Catholicum, atque præmissis argumentis valide propugnatum; addam aliqua, quæ demonstrant in bonis operibus hominis justificati non meritum qualecunque, sed habens cum repromissa mercede condigoitatem. Ac primum sit, quod citato Canone Tridentini statutum est justorum opera *verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c.* quæ sane verba *verum meritum* commonstrant, non solam congruitatem, atque decentiam. Deinde Hæretici meritum *de congruo* nequaquam negant. Etenim Bucerus in disput. Ratisbonæ an. 1546. inquit: *Si sancti Patres aut alii intelligant per mereri facere ex fide gratiæ bona opera, quibus Deus mercedem promisit, hoc sensu usurpare illud verbum minime damnabimus.* Vossius etiam, ut supra diximus, testatur aliquod meritum agnosci etiam à Confessione Wittembergensi, & Augustana, & Ecclesias Reformatas tantum negare, quod bona opera vere proprieque, non ex promissione solum, sed etiam justitiæ debito propter æqualitatem operis & mercedis censenda sint vitæ æternæ meritoria. Atque id, ni fallor, sequitur directe ex hæretico de justificatione dogmate superius impugnato: nam ideo negant Sectarii æqualitatem operis & mercedis, quoniam non admittunt justitiam inhærentem, quæ tribuat bonis operibus dignitatem. Nisi ergo meritum *de condigno* necessum sit propugnare, cur hac in parte cum Novatoribus tam acerba contentio? Præterea Theologi Tridentini, Auctore Pallavicino lib. viii. cap. iv. *Operibus post acceptam justitiam peractis, adeoque divinæ gratia informatis, redditisque ob merita Christi potentioribus, cujus vivum membrum effectus est is, qui ea peragit, omnes concedebant rationem meriti condigni, ad conservandam, augendamque eandem gratiam, æternamque felicitatem consequendam.* Idem docuerunt Theologi posteriores: quorum profecto doctrina, cum scripserint post exortam hæresim Lutheranam & Calvinianam, placitis Durandi, aliorumque paucorum est præferenda. Insuper nec veterum quo-

quorundam placitum re ipsa discrepat à communi recentiorum Theologorum sententia. Si qui enim justorum opera mereri *de condigno* negarunt, & vitam æternam gratiam tantum, non justam retributionem esse dixerunt, locuti sunt verbis à Scriptura non penitus alienis, & præcisa ordinatione ac promissione divina. His quippe argumentationibus ducebantur; quod non repugnet Deum conservare justos in hac mortali vita, & nunquam illos ad cælestem hæreditatem adsumere; quod possit illos absoluta potentia reducere in nihilum; quod plenissima libertate creaturas producat, & pro suo beneplacito prædestinatorum numero accenseat; quod supremus Dominus nihil debeat servulis, nihilque ab his capere possit emolumenti; quod denique æterna vita dicatur ab Apostolo *gratia*, neque sine beneficio Creatoris possit obtineri. Urget hæc argumenta peracutus Theologus Arimensis in I. sent. dist. XVII. q. I. art. 2. At hæc non valere ordinatione divina, ac promissione suppositâ, liquet ex dictis; neque id negat Gregorius noster ibidem in solutione primæ argumentationis Aureoli. Ex quibus infertur Scholasticos verbotenus, non re invicem dissentire, eorumque discrepantiam frustra nobis ab heterodoxis opponi; recte demum Tridentinos Theologos monuisse, ut principio hujus libri dictum est, in his quæstionibus veritatem majori in luce à Scriptoribus collocatam, qui serpentes hæreses subsecuti ex instituto illas exagitarunt.

7. Bona opera justorum merentur meritum de condigno.

His permoveor ut non solum bonis justorum operibus verum meritum cum universis Catholicis tribuam, sed etiam meritum condignum; etsi ad evitandam inanem gloriam nonnulli cum Thoma Valdensi & Paulo Burgensi putent ab hujusmodi vocabulo esse abstinendum. Confirmant assertum nostrum quæ hactenus dicta sunt. Sacræ enim literæ æternam vitam appellant coronam justitiæ, depositum, bravium, mercedem, & denarium diurnum: quibus sane verbis significatur retributio; qua, servata æquitate, non debet operarius defraudari. Appellatur præterea justus filius Dei, regni hæres, palmes adhærens viti, & obsignatus spiritu promissionis, qui est arrha & pignus hæreditatis. Atque his justorum dignitas, & jus ad gloriam, qua nequeant, si permaneant in gratia, expoliari, satis aperte declaratur. Patres etiam tradunt Deum se justis debitorem fecisse, licet non accipiendo aliquid, sed quod ipsi placuit promittendo: unde sequitur Dominum, qui est largitor gratiarum, esse debitorem coronæ; ut Enarrat. in Psalm. LXXXIII. ait Augustinus. Denique in bonis operibus hominis justificati reperiuntur omnes conditiones, quas requiri ad meritum *de condigno* paulo supra fuit demonstratum. His itaque nunc in Epitomen redactis, sed jam stilo fusiori explanatis, positum theorema valide propugnatur.

Ad Objecta hæreticorum responsio.

8. Objectio 1ma Hæreticorum.

Sequitur ut respondeamus hæreticis brevi, nec prolixo sermone, cum fuerint præcedenti capite soluta omnia fere illorum sophismata. Opponunt nobis priori loco sacras literas, in quibus vita æterna appellatur *Gratia & misericordia*, ut Psalm. CII. *Coronat te in misericordia, & miserationibus.* Is. LV. I. *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac.* Ad Rom. VI. 23. *Stipendia enim peccati, mors: Gratia autem Dei vita æterna.* Et ad Ephes. II. 8. *Gratia enim salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

9. Solvitur.

Hæc soluta sunt in refutatione II. Conditionis ab Hæreticis pro opere meritorio statutæ: ubi ostendimus quomodo æterna vita sit misericordia simul, & merces; misericordia ob gratiam prævenientem: merces propter liberam hominis obedientiam. Ita Augustinus in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 9. exponit verba Psalmistæ. *Nunquid non corona* (inquit) *bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est, Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate, ideo dixit Psalmus: Coronat te in miseratione & misericordia; quia ejus miseratione bona opera operamur, quibus corona reddetur.* Esaiæ textus literaliter de terra promissionis, mystice de fide in Christum, & vocatione ad Ecclesiam est accipiendus: & utrumque beneficium est. Si velis illum de gloria exponere; nota verborum proprietatem. *Emite*, inquit Propheta; pretium itaque est exhibendum. Addit *sine argento*, quoniam regnum cœlorum comparatur, non bonis fortunæ, sed libertatis. Ait *sine commutatione*, quoniam Deus nihil à nobis accipit emolumenti. Quod habetur ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna*, eandem postulat interpretationem. Ut enim S. Pater scribit eodem

loco, & in Epist. ad Sixtum, *Cum posset* (Apostolus) *dicere, & recte dicere, Stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere, Gratia autem Dei vita æterna.* Cur autem? *Quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur*, inquit Augustinus priori loco: *Deinde ne justitia de humano se extolleret bono merito*; addit S. Pater Epistola nuper laudata. Verbis depromptis ex cap. 2. ad Ephesios eadem est adhibenda responsio. Nisi enim gratia foret ad actus singulos necessaria; *possent* homines *dicere: Ideo accepimus gratiam, quia credimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo: propter hoc Apostolus cum dixisset, Per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse; continuo subjecit, Non ex operibus, ne forte quis extollatur: non quia negavit, aut evacuavit opera bona, cum dicat Deum unicuique reddere secundum opera ejus; sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides.* Ita S. Pater eodem libro de Grat. & lib. arbitrio cap. 7. Itaque in nobis gloriari non possumus, quia licet vitam æternam promereamur; omne meritum à divina gratia procedit, neque coronam redderet justus Judex, nisi gratiam largitus esset misericors Pater.

10. Objectio 2da. Deinde Heterodoxi objiciunt quædam testimonia Sanctorum scribentium divina miseratione nobis æternam gloriam conferri; beatitudinem nihil aliud esse, quam munificentissimam Dei gratiam; Deum non merita nostra coronare, sed dona sua: ipsum Deum nulli facturum injuriam, etiamsi justis nollet cœlestem gloriam largiri. Ita scribit Hilarius in Psalm. LI. Basilius in Psalm. XIV. August. Conc. 2. in Psalm. LXX. & Bern. Serm. 1. de Annunt.

11. Rejicitur. Quoniam hæc conformia sunt productis supra Scripturis, eandem quoque postulant responsionem. Confertur ergo nobis beatitudo miseratione divina, quia Deus elegit nos ante mundi constitutionem in Christo, ut essemus sancti & immaculati; quia misericordia ejus prævenit nos; quia nemo venit ad fidem, nemo ad gratiam, nemo ad coronam, nisi Pater traxerit illum. Dicitur beatitudo munificentissima Dei gratia, propterea quod prædestinatio Sanctorum, non hominis volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; neque sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed misericordia Dei prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, excitat dormientes, adjuvat operantes, & reddit coronam justitiæ perseverantibus. Coronat Deus dona sua, non merita nostra, quia ipse operatur in nobis velle & perficere; & ejus adjutorio operamur bona, quibus merces sempiterna rependitur. Nulli utique faceret Deus injuriam, si gloriam, cujus absolutus Dominus est, nec justis concederet; si vel opera tantum spectemus, vel solam Domini auctoritatem: at si operibus accedat divina præordinatio, & liberalis promissio, fidelis est, nec aliquem fraudat mercede; justus est, & reddet unicuique secundum opera ejus.

12. Objectio 3tia. Objiciunt denique hæretici: Pontificiorum dogma secum pugnat, ac sese evertit; est Christo injuriosum & impium, sacrilegum demum, & superbiæ atque arrogantiæ plenissimum. Repugnans est, & se ipsum evertit, quia si bona opera habent meritum ex gratia, & ex divina promissione, quomodo coronam promerentur suamet dignitate? Est præterea injuriosum Christo, quoniam imminuit vim & efficaciam passionis ipsius: & cum solius Redemptoris nostri obedientiæ, mortisque merito, tum gratia, tum gloria sit tribuenda; Pontificiorum scitum hanc saltem concedit summæ operum efficaciæ. Item impium est, atque sacrilegum; evacuat enim divinam misericordiam, & Dominum universorum facit debitorem creaturarum. Viam tandem aperit ad humani spiritus fastum; cum fas sit, hoc statuto dogmate, in operibus nostris, meritisque confidere.

13. Reprobatur. Verum & hæc parum urgent, atque ex dictis facile refelluntur. Non repugnat Catholicum dogma, eoquod divina promissio (quam tamen ut diximus, non omnes Communionis nostræ Theologi ad meritum *de condigno* requirunt) non est necessaria ut bonis operibus conferat dignitatem, sed ut Deus æternam vitam justis tanquam coronam justitiæ rependat; eo pacto, quo paterfamilias non tenetur ad solvendum operariis denarium diurnum, nisi facta cum illis conventione. Cum gratia autem stat meritum, quia etiam liberum arbitrium operatur, licet operari recte non valeat sine ipsa gratia: quemadmodum palmes viti insitus producit fructum; etiamsi fructum ferre, nisi manserit in vite, non possit. Constat hoc exemplo nullam à nobis irrogari injuriam passioni & meritis Christi; qui semetipsum *viti*, & justum *palmiti* comparavit. A vite enim provenit, si palmites fructum ferant: à gratia Christi, si justificatorum opera vitam sempiternam promereantur.

reantur. Ob hanc eandem rationem non evacuatur à nobis gratia; quia licet asseramus vitam æternam conferri meritis, dicimus tamen hæc merita absque gratia non comparari. Sed neque nos Deum facimus debitorem, qui ex nobis aliquid captet utilitatis & commodi: illum dicimus se facere debitorem nostrum, non aliquid à nobis accipiendo, sed promittendo, ita ut possint justi consummato cursu proferre verba Augustini serm. XVI. de Verbis Apostoli, nunc CLVIII. cap. 2. *Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* At hæc omnia ex præcedenti capite sunt manifesta: iterum, si hæc videantur summatim dicta, illud perlegas.

14. De his, qui habent spem in bonis operibus.

Restat ut aliquid dicamus de iis, qui in bonis operibus habent spem ac fiduciam. Principio nefas est spem locare in operibus, quasi à sola liberi arbitrii facultate procedant, cum ad malum quisque se ipso sufficiat, ad bonum vero nihil sit, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Deinde non debemus peracta opera, quamvis bona videantur, ita æstimare, ut nullo concutiamur timore; cum nesciat homo utrum amore, vel odio sit dignus, atque etiam justis quotidie divina misericordia sit imploranda. Præterea cum Deus operetur in nobis velle & perficere, ac facillimum sit justitiam deperdere, maxime si relinquatur sibi ipsi humana infirmitas, sic vero deseratur qui nimium præsumit; æquum est, ut cum timore, & tremore operemur salutem nostram. Ad hæc, quia divina auxiliante gratia factum est, si quid boni peregimus; debemus exercere humilitatem, vitantes superbiam illius qui dicebat, *Non sum sicuti cæteri hominum*; & imitantes Apostolum dicentem, *Non ego, sed gratia Dei mecum.* His servatis, dicimus in bonis operibus locandam esse spem divinæ retributionis, uti collocarunt Nehemias, David, Paulus, aliique viri sanctissimi. Ad excitandum fervorem, torporemque expellendum debet quisque firmissime credere, quod non ibunt in vitam æternam, nisi qui bona egerunt; atque si ipse bene agere studuit, & bonam conscientiam gerit, repetat cum Davide Psalm. XVII. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam.* Ne appetitus laudis subrepat, indigere se divina misericordia, & meritis passionis Christi sedulo animadvertat. Demum ne præsumat, meminerit non cuilibet justo, sed ei, qui perseveraverit usque in finem paratam esse æternæ salutis retributionem. Videntur mihi Tridentini Patres hæc omnia comprehendisse Canone XXVI. Sess. 6. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.*

CAPUT VIII.

Explicatur quid possimus *de congruo*, & quid *de condigno* apud Deum promereri.

SUMMARIUM.

1. Series gratiarum, quæ conferuntur ad Beatitudinem consequendam.
2. Justificatio diversimodè consideratur.
3. Dicta extenduntur ad gratiam perseverantiæ finalis.
4. Quare Justus possit mereri vitam æternam de condigno, non item perseverantiam finalem.
5. & 6. An neque de congruo.
7. An possint justi aliis mereri gratiam de congruo.

1. Series gratiarum, quæ conferuntur ad beatitudinem consequendam.

IN serie auxiliorum omnium, atque gratiarum, quæ nobis ad consequendam beatitudinem conferuntur, connumeratur primo divina prædestinatio, deinde gratia fidem præveniens; atque hæc duo cum sint absque præscientia meritorum, fide Catholica certum est bonis operibus non rependi. Loquor autem de prædestinatione ad Gratiam, quoniam de electione ad gloriam non est una Scholasticorum opinio: nostraque priori volumine fuit sufficienter exposita. Consequuntur vocationem ad fidem liber voluntatis assensus, timor, spes, charitas, & peccatorum detestatio, quibus cap. IV. ostendimus homines ad justificationem disponi, & in præcedenti demonstratum est, quomodo hæc justificationem ipsam promereantur *de congruo*, id est, moveant divinam misericordiam ad remittendum peccatum, & ad impertiendam charitatem,

tem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem: idque Deus ſemper præſtat, dummodo humana voluntas ſe recte diſponat, neque divinarum gratiarum virtuti aut malitia, aut pervicacia opponat obicem.

2. Juſtificatio diverſimodè conſideratur.

Spectare poſſumus in ipſa juſtificationis gratia primum ipſius in animam ingreſſum, deinde juſtitiæ augmentum, poſtea diuturnam in ſanctitate perſiſtentiam, inſuper reparationem poſt lapſum, & denique finalem perſeverantiam. Ac primam ſanctificationis gratiæ collationem nemo meretur *de condigno*; quoniam hoc meritum, ut liquet ex dictis, non reperitur in peccatore. Augmentum vero juſtitiæ poteſt homo juſtificatus etiam *de condigno* promereri, ut declarat Tridentina Synodus Seſſ. 6. can. 32. dummodo ire ſatagat de virtute in virtutem, & aſcenſiones in corde ſuo diſponat; nam qui Deo accepti ſunt, ſi magis diligant, magis in virtute meritoque proficiunt; atque *liberati à peccato, ſervi autem facti Deo*, habent *fructum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*; inquit Epiſtola ad Rom. VI. 22. Paulus Apoſtolus. Ut juſtus in gratia ſanctificante perſiſtat, nedum diuturno tempore, ſed exiguo etiam ac minimo, poteſt ſolum mereri *de congruo*, inſtans orationibus, & juxta monitum Apoſtolicum videns ne cadat: at id mereri *de condigno* non poteſt. Enimvero ut juſtitiam ſervet, & tentationibus non ſuccumbat, indiget auxilio gratiæ efficacis; iſtud vero cur uni detur, non alteri, inſcrutabilia ſunt judicia Dei: & quamvis Deus juſtum non deſerat, niſi prius ab eo deſeratur; nemo ſe continet ab injuſtitia ſine adjutorio, quod cui datur miſericorditer datur, cui non datur juſto judicio non datur. Reparationem poſt lapſum nemo poteſt *de condigno* mereri, dicente Domino per Ezechielem cap. XVIII. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo qui ſanctitatis jacturam fecerit, ſi miſericorditer trahatur ad pœnitentiam, gratiam iterum conſequetur, non merito *condigno* præcedentis juſtitiæ, quæ deperiit; ſed merito *de congruo* præſentis contritionis & gemitus. Iſtius quippe deſiderium, & oratio *non innititur juſtitiæ, ſed tantum miſericordiæ*, ut aſſeruit 1. 2. q. 104. art. 6. Doctor Angelicus; & rationem tradidit Epiſtola VII. Cyprianus, *quoniam recedente diſciplina Dominica receſſit & gratia.*

3. Dicta extenduntur ad gratiam perſeverantiæ finalis.

Quod dixi de perſiſtentia in gratia ad aliquod tempus, multo magis affirmandum eſt de perſeverantia finali. Hanc itaque non poteſt juſtus *condigne* mereri, cum ſit ſpecialiſſimum donum divino beneplacito præparatum electis, ut demonſtravi præcedentis libri capite VII. Poteſt enim Deus recto judicio homini juſto efficacem gratiam ſubtrahere, atque convertentem ſe ad deſideria cordis ſui abſque injuſtitia deſerere: & quemadmodum rapit parvulum, ne malitia mutet intellectum ejus, ita aliquando permittit juſtificatum delinquere in ſenectutis maturitate, & abſque juſtitia, à qua mala voluntate receſſit, in æternum perire. Habet enim figulus poteſtatem alia vaſa in honorem, & alia in contumeliam efformandi: & Deus elegit vaſa miſericordiæ, in quæ effundit divitias gratiæ, & ſuſtinet vaſa iræ ad oſtenſionem juſtitiæ. Hinc de electis, reprobisque naturæ concedentibus ſcripſit Honorius Fortunatus,

Quale placet figulo, vas fictile tale paratur;
Quando placet figulo, vaſa ſoluta ruunt.

4. Quare juſtus poſſit mereri vitam æternam de condigno, non item perſeverantiam finalem.

Si nunc petas quare juſtus poſſit mereri *de condigno* vitam æternam, & non finalem perſeverantiam; reſpondeo quod utique vita æterna debetur bonis operibus, dummodo accedat ipſa perſeverantia, cui repromiſſa eſt ſalus, & corona juſtitiæ. Attamen placuit Deo promittere vitam æternam tanquam bravium bonis juſtorum operibus, ut omnes ſic currerent ut comprehenderent; non placuit promittere perſeverantiam ipſam, ut nemo præſumeret, ſed unusquisque propriam ſalutem operaretur cum timore & tremore. Denique non eſt conſequens, ut ſi merces ſit finis, merces etiam debeat eſſe medium ad ipſum finem perducens; ſed pro ſua liberalitate Dominus talenta diſpenſat, & pro libitu vocat operarios; at pro juſtitia ſervum fidelem de reportato lucro remunerat, & pro conventione ſolvit ſtatutum denarium. Non eſt ergo de perſeverantia, & de gloria eodem pacto ratiocinandum; quoniam hæc finis eſt, illa medium. At citato capite ſeptimo plura huc ſpectantia.

5. An neque de congruo.

Verum *de congruo* hoc magnum perſeverantiæ donum juſti mereri poſſunt; reprehendit quippe Auguſtinus in libro, quem de hoc argumento conſcripſit cap. 6. eos, qui volunt *ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.*

Neque

Neque aliud petimus, dum verbis Davidicis Deum deprecamur, *Ne des in commotionem pedes meos;* aut in quotidiana oratione, *Et ne nos inducas in tentationem.* Hæc oratio demonstrat perseverantiam esse gratiæ divinæ beneficium, neque ulli mortalium deberi ex justitia: impetrari tamen orando, ideoque cadere sub merito, quod appellamus *de congruo.* Quod si dixeris peti à nobis etiam vitam æternam, dum oramus, *Adveniat regnum tuum*, & nihilominus illam nos promereri *de condigno;* respondemus cum Augustino citato loco Sanctos hac petitione nihil aliud orare, *nisi ut in ea sanctitate, quæ illis data est, perseverent; neque enim aliter veniet regnum Dei, quod non aliis, sed iis, qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.* Præterea sic orantes nescimus an odio, vel amore simus digni, ideoque regnum petimus titulo potius beneficii, quam depositi atque coronæ; ut si forte inquinati sumus occulta aliqua culpa, illam Deus misericorditer abstergat, & ita inveniamur idonei ipsi regno, in quod non intrat aliquid inquinatum vel immundum.

6. Explicatur ulterius.

Qui perseveraverit usque in finem, juxta Evangelicam sententiam Matth. x. 22. *hic salvus erit.* Itaque justus, si in gratia decesserit, *vere* promeretur vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Sunt è Schola aliqui, qui negant primum gloriæ gradum cadere sub merito *de condigno*, eoquod titulo hæreditatis debeatur homini exornato gratia sanctificante, cujus primus pariter gradus *condignum* meritum antecedit: at non repugnat gloriam esse simul hæreditatem atque mercedem; quia dum efficimur filii Dei per gratiam *habitualem*, constituimur quidem cohæredes Christi, sed hoc titulo, ut cum Christo crucem tollamus, & abnegemus nosmetipsos. Recte dirimit Scholasticorum illorum oppositionem divinus Apostolus ad Romanos VIII. 17. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quamobrem non solum gloriæ augmentum, sed etiam consecutio cadit sub meritum, ut aperte declarat Synodus Tridentina canone 32. non semel laudato.

7. An possint justi aliis mereri gratiam de congruo.

Regnantes in gloria electi, & etiam peregrinantes à Domino possunt *de congruo* promereri aliis primam gratiam; ut illam promeruit Stephanus Apostolo Paulo: quia charitatis virtute subnixus orans pro lapidantibus vicit Saulum crudeliter sævientem; & ita *quem habuit in terra persecutorem, in cœlis meruit habere consortem;* inquit Serm. de S. Stephano Fulgentius. De bonis temporalibus, quæ ne cupidius appetantur tam justis, quam impiis Deus voluit esse communia, dixi supra cadere sub meritum, quatenus præordinantur ad vitam æternam: sub qua ratione pertinent quoque ad effectus prædestinationis divinæ: atque ideo nefas est illa aut nobis, aut aliis expetere, ubi à summo Bono animum nostrum avertant, aut nos à proximi charitate divellant. *Hæc* enim *merces summa est, ut ipso Deo perfruamur, & omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur* His verbis Augustini lib. I. De Doctrina Christiana cap. 32. nostra de merito bonorum operum dissertatio concluditur.

CAPUT ULTIMUM.

Probatur, quòd possint justi excidere à gratia, quòd non habeant de illa certitudinem fidei, & quòd non sint omnes in justitia ac merito prorsus æquales.

SUMMARIUM.

1. De proprietatibus Justificationis.
2. Sensus Hæreticorum.
3. Justus potest excidere à sanctitate.
4. & 5. probatur.
6. Usque ad 12. solvuntur objectiones.
13. Nullus absque revelatione habet certitudinem de justitia.
14. & 15. Probatur.
16 Aliqua deducuntur.
17. & 18. Objectio solvitur.
19 Gratia Sanctificans non est æqualis in omnibus Justis.
20. Conclusio operis.

1. De proprietatibus justificationis.

DOCUERUNT Tridentini Theologi postremo loco inquirendum esse de proprietatibus Justificationis, quas tres enumerant Heterodoxi, indemutabilem persistentiam, firmissimam certitudinem, & æque magnam in singulis dignitatem; omnesque profluunt ex reprobato dogmate quod sola fiducia justificet,

eaque sit immobilis atque inextinguibilis, nec debeat statui inhærens justitia capax augmenti. Igitur post antiquos errores Joviniani, & Pelagii, quorum damnatum dogma fuit amitti non posse gratiam per Baptismum susceptam, docuit Calvinus lib. III. Institut. cap. 2. in electis omnibus quantumvis exigua sit fides, certam haberi arrham salutis, & tenui illi fidei æqualem tribui justitiam; propterea quod, ut explicat Vindelinus lib. 4. Theolog. cap. 24. justitia Christi per fidem apprehensa æqualiter imputetur. Nonnulli, præsertim Lutherani, excipiunt peccatum Apostasiæ; in quod, si quis animo prorsus libero, nec perterritus metu impendentis mali, neque spe allectus melioris fortunæ labatur, dicatur peccare in Spiritum sanctum, neque habere remissionem in hoc sæculo, neque in futuro, permixta cum aliarum hæresum colluvione etiam Novatiana.

2. Sensus Hæreticorum.

Sed quoniam inquiunt hæretici complures, immerito à Catholicis accusari, quod asserant semel justificatos nunquam peccare; dicam in quo conveniant, & in quo discrepent, brevi injustas querimonias repulsando. Quidam gravissima scelera justos patrare fatentur, sed tamen negant illos amittere Spiritum sanctum, atque excidere à gratia, eo ferme pacto, quo peccant amentes, atque destituti exercitio libertatis. Sentit id citato loco Calvinus, Theodorus Beza in Colloquio, quod habuit cum Jacobo Andrea Lutherano, Dordrectana Synodus contra Arminianos coacta anno 1619. canone 4. 5. & 6. Zanchius in Miscel. Chamierius Tom. 3. lib. VI. cap. 12. Rivetus in Apologetico, & alii. At nonnulli cum Pareo & Forbesio non negant aliquando justificatum ita deperdere sanctitatem, ut in reatu mortis æternæ permaneat, donec resipiscat, omnes tamen justos putant ad pœnitentiam adduci post scelera; quoniam licet actu iniquitatem operentur, retinent habitudine fidem & charitatem, quæ semen est vitæ æternæ. Atque hæc sentientes peccatum, spectato etiam debito damnationis, stare autumant cum gratia sanctificante. Ne ergo querantur Remonstrantes oppugnari à nobis quod ipsi non asserunt; affirmamus dari inter justos plures, qui, cum prædestinati non sunt, non solum in gravissima crimina voluntarie prolabuntur, verum etiam pessima morte decedunt, & de ipsis prædestinatis permultos sæpe cadere à sanctitate, quamvis his divinâ misericordiâ conferatur gratia conversionis, & finalis perseverantia: dicam verbo, non est semel arrepta justitia talis generis, ut non possit extingui; nec adeo certa, ut non debeat justificatus, quamdiu agit mortalem vitam, ullatenus pertimescere.

PROPOSITIO I. Justus vitam agens mortalem potest excidere à sanctitate.

3. Justus potest excidere à sanctitate.

Id primo evincitur è Scripturis. Si enim semel justificatus perire nequit, cur Ezechielis XXXIII. 18. scriptum est: *Cum recesserit justus à justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis?* Cur Apostolus ad Ephes. v. 5. hortatur filios lucis, & sanctos ad vitandum omne crimen, *Hoc intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei?* Cur iis qui Spiritus sancti templum sunt, in prima ad Corinth. III. 17. *Si quis* (inquit) *Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus?* Cur denique omnes ita alloquitur eadem Epistola X. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat?* Si justus non possit amittere Spiritum sanctum, cur talia monita urgeantur, non video. Deinde non exhortationibus tantum, sed parabolis atque sententiis in Evangelio Catholica Doctrina statuitur. Etenim Matth. XIII. 7. & Lucæ VIII. 14. proponens Dominus parabolam seminantis, docet multos esse qui credunt, sed ad instar seminis cadentis inter spinas, *à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Addit divina Scriptura in veritatis confirmationem exemplum multiplex. Primum est protoparentis Adæ, quem Deus cum bona voluntate & in gratia creaverat, & tamen inobedientia seipsum ac posteros perdidit. Alterum est Satanæ, aliorumque damnatorum Angelorum; quos licet conditos participes æternæ lucis, superbia tumidos tradidit Deus inferni rudentibus in perpetuum excruciandos. Alterum est Davidis, qui cum diu innocentiam servasset, prolapsus in adulterium atque homicidium se coram Deo ejusque Prophetâ Nathan confessus est impium & peccatorem. Petro etiam dixerat Jesus, quod mundus esset, & nihilominus negavit se nosse Magistrum anathematizando & jurando. De Simone Samarita legimus in Actibus Apostolicis, quod credidit, baptizatus est, & adhæsit Philippo, sed postea scelere, quod ab ipso Simoniacum dicitur, ruit in perditionem. Divinæ itaque literæ monitis, sententiis, exemplisque Remonstrantium

tium dogma redarguunt, damnant, eliminant.

4. Probatur ex Patribus.

Afferam nunc ex Patribus teſtimonia locupletiſſima. Chryſoſtomus in caput VIII. ad Romanos inquit: *Si dum hic es, depuleris à te Spiritus gratiam, & non ea ſervata abeas ex hac vita, periiſti quamquam reſurrexeras*: & in caput V. Epiſt. ad Epheſios; *Laus eſt*, inquit, *ſervare inimicos, ſed eos qui poſtquam facti ſunt amici, amici manent; ita ut, ſi ad inimicitias priores redeant, irrita ac vana fiant illa omnia.* Tertullianus de Pœnitentia ſcribit: *Nonne multi poſtea excidunt? nonne à multis donum illud aufertur?* Et Scorpiaco: *Proſpexerat Deus etiam poſt lavacrum, poſt editiorem fidem perituros plerosque rurſum poſt ſalutem.* Cyprianus de Exhortatione Martyrii ſcribit: *Ereptos de faucibus Diaboli, & de laqueis ſæculi liberatos non debere denuo ad ſæculum reverti, ne perdant quod evaſerint.* Hieronymus libro II. contra Jovinianum: *Si peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit Diabolus, protinus Chriſtus recedit.* Sed quoniam ab Hæreticis creditur in illorum opinione fuiſſe Auguſtinus, opus eſt, ut illos refellamus Sanctiſſimi Protoparentis auctoritate. Ergo S. Pater de Corrept. & Grat. cap. VIII. demonſtrat, *quod filiis ſuis Deus quibusdam, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam.* Et cap. XIII. ejusdem libri ait: *Propter hujus ergo utilitatem ſecreti, ne forte quis extollatur, ſed etiam eos qui bene currunt timeant, dum occultum eſt quo perveniant; credendum eſt quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur incipere vivere, & aliquamdiu fideliter & juſte vivere, & poſtea cadere.* Item de dono Perſev. cap. IX. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia usque in finem; illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei... Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci, unius ejusdemque naturæ animas acceperant? Nonne poſtremo utrique vocati fuerant & vocantem ſecuti, utrique ex impiis* JUSTIFICATI, *& per lavacrum regenerationis utrique renovati?* Idem docet S. Pater in Epiſt. ad Sixtum. Idem in poſtremis adverſus Julianum ſcriptis, libro I. num. 128. Idem Auguſtini fideliſſimus diſcipulus S. Proſper ad object. Gallorum III. & VII. Cum vero ex laudata Epiſtola ad Sixtum inferrent quidam Monachi Adrumetini, non eſſe corripiendos quibus non confertur donum perſeverantiæ, reſpondet S. Pater Auguſtinus citato libro de Corrept. & Grat. cap. 6. corripiendos utique eſſe, quia, *ſi nondum regenerati ſunt, prima cauſa cur objurgati quod ſint inobedientes Deo ſibi debeant diſplicere, eſt quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum . . . Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.*

5. Probatur ex ratione.

Verba hactenus ex Auguſtino producta non ſolum S. Patris mentem demonſtrant, verum etiam invictiſſimum ſuppeditant argumentum. Nam ſi ſemel juſtificatus non poſſet in ſe Spiritus ſancti gratiam extinguere, quilibet juſtus actu perſeveraret, nec eſſet perſeverantia ſpecialiſſimum donum, nec teneretur juſtus ad illam precibus aſſiduis petendam, nec deeſſet cauſa cur ſalutem ſuam operaretur cum timore & tremore, & revereretur Omnipotentem, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Atqui, ut docet divina Scriptura, docet Auguſtinus, docet experimentum, juſtorum quamplurimi non habent donum perſeverantiæ, illud petere debent, & quamvis bene currant, timere dum occultum eſt quo perveniant. Ergo poſſunt ſemel juſtificati gratiam, & charitatem amittere.

DILUUNTUR QUÆ OBJECTANT REMONSTRANTES.

6. Objectio I.

Nituntur hæretici errorem ſuum comprobare his ſcripturarum ſanctarum locis. David Pſ. XXXVI. 24. de homine juſto ait: *Cum ceciderit, non collidetur.* Et Pſ. CXVIII. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Hieremiæ XXXII. 40. de gratia novi teſtamenti prænuntiatum eſt: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Igitur ſemel juſtificatus etiamſi in gravia ſcelera cadat, non frangitur neque colliditur: igitur qui ſemel tenuerunt viam juſtitiæ, nunquam ab illa operando iniquitatem deflectunt: igitur qui ſemel ob merita Chriſti ſanctitate exornantur, poſthac à Domino non recedunt.

7. Solvitur.

Ad primum ex Pſalm 36. depromptum, etiamſi complures Theologi docent ſermonem

monem haberi de Justis, qui sedulo vitantes peccandi pericula, levia quidem peccata committunt, sed gratiæ præsidio muniti præservantur à turpioribus; nostra tamen responsio, eaque verissima est, loqui Psaltem de tribulationibus hujus vitæ, quibus, si Dominus supponat manum suam, animus justorum non frangitur. Ac responsionem istam confirmant, quæ ad locum huic similem dixi præcedenti libro cap. 6. Ita interpretatur Augustinus, serm. in eundem Psalmum num. 17. scribens: *Contingat illi, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, & cætera, quæ abundant in vita ista; proponat sibi Dominum suum quanta genera tentationum passus est, & non conturbabitur cum ceciderit, &c.* Ad secundum petitum ex Psalmo 118. ut omittam communem responsionem, quod ibi præteritum tempus ponitur pro præsenti; ita ut sensus sit, Qui operantur iniquitatem, non ambulant in viis ejus, quemadmodum Psalmo 1. versu 1. usurpatur pro præsenti idem præteritum הָלַךְ *ambulavit, abjit;* affero interpretationem S. P. Augustini serm. 2. in eundem Psalmum 118. num. 2: *Si ambulant, non operantur iniquitatem; si non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quia peccatum iniquitas est.* Qui ergo peccat, iniquitatem habet, non æquitatis, atque justitiæ ornamentum. Hieremiæ verba postremo loco producta Hugo Grotius in discussione Rivetiani Apologetici ita exponit, ut quia Hebræi fœdus initum in Aegypto multimodis violarunt, Deus ut ad pios mores redirent, renovavit idem fœdus, addens benefacta maxima, munitissimam urbem, & Doctores egregios, & contestans nullam apud se priorum criminum residere memoriam; sed quoniam hæc Riveti argumentum, me judice, non dissolvunt, eoquod in illo novo fœdere etiam gratia Evangelii prænuntiata est; respondeo propheticum textum, non de gratia *habituali*, sed de actuali, quæ facit ut faciamus, & aliquando deest justis, esse accipiendum, ut demonstrat Augustinus libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. VI. num. 14. & præsertim de magno dono perseverantiæ omnibus electis misericorditer præparato, at non, ut demonstravimus, justificatis omnibus: quod idem eximius Doctor tradit de dono persev. cap. VIII. num. 19. & cap. IX. num. 21.

8. Objectio 2da rejicitur.

Opponunt rursus hæretici. Legitur Matthæi VII. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Item Epistola 1. Joannis III. 6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat;* & versu 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & peccare non potest.* Præterea in eadem Epistola cap. 2. v. 19. de reprobis habetur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Atqui justi sunt arbor bona, sunt nati ex Deo, sunt ex numero illorum, quos Deus summa charitate complectitur. Igitur peccare non possunt, neque ex illo numero excidere.

Resp. Justos esse arborem bonam, quatenus habent charitatem, & bonam voluntatem, quæ est radix bonorum omnium; unde nequit produci fructus malus, quoniam hic non à charitate & voluntate bona, sed à cupiditate & voluntate mala procedit: atque hæc cupiditas in homine justificato potest rursus excitari, ideoque si illi obsecundet, fiet arbor mala. Responsio est S. Patris de Grat. Christi cap. XVIII. num. 19. Eadem ratione qui natus est ex Deo, & in se habet semen ejus, non potest peccare, quia peccatum non à gratia quæ est bonum semen, sed à malitia voluntatis derivat: ideoque recte scribit idem Augustinus Tract. IV. in Epist. 1. Joannis cap. 3. num. 8. *In quantum in ipso manet, in tantum non peccat.* Quid vero si bonum semen à sollicitudinibus, divitiis, & voluptatibus suffocetur? Addo utriusque sententiæ sensum esse, quod bona opera, & præsertim charitatis, distinguunt inter filios Dei, & filios Diaboli, quoniam qui male agit, & odit fratrem suum, non potest esse non improbus. Atque idcirco addit Matthæus, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos:* & Joannes, *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli.* Sunt ergo istiusmodi loca exponenda *in sensu composito*, videlicet, quod componi nequeat cum gratia sanctificante scelerum contaminatio. Tertium sic solvitur à S. Doctore de dono perseverantiæ cap. VIII. *Quid est, quæso, non erant ex nobis? Nonne vocati fuerunt, ex impiis justificati, & per lavacrum Regenerationis renovati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat proculdubio quod dicebat; respondere posset, & dicere, vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; veruntamen secundum aliam discretionem* (id est divinam ad regnum prædestinationem) *non erant ex nobis.* Corruit his interpretationibus admotis male architectata hæreticorum argumentatio.

Insu-

9. Objectio 3tia

Insuper ex perfectione charitatis hæc objiciunt. In ultimo Canticorum versu 7. legimus: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; Joannis IV. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: & Apostolus in 1. ad Corinth. XIII. 8. *Charitas nunquam excidit.* Si ergo justi charitate præstant, quomodo hæc extingui potest, quomodo exsiccari, quomodo excidere?

10. Refutatur.

Resp. quod *aquæ multæ non possunt extinguere charitatem*; quia si loquamur de justis, gratia sanctificans superat omnium cupiditatum impulsus, dummodo tamen adsit etiam gratia actualis, neque huic voluntas libera obsistat; ut dixi hujus voluminis pag. 101. Si autem loquamur de Ecclesia, cujus cum Christo unitionem delineat ibidem Canticum Canticorum, nequeunt aquæ multæ extinguere charitatem, quia neque ingruentibus hæresibus, neque sævientibus persecutionibus, neque vigentibus malis aliquorum moribus deserit Salvator Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Scribentem ad Corinthios Apostolum demonstrare præcellentiam Charitatis supra fidem & spem, & reliqua Dei dona, ex quo charitas diligenter in hac vita custodita permaneat in Patria, demonstrant quæ sequuntur: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, &c.* At posse in hac vita charitatem amitti docet idem Apostolus 1. ad Tessal. v. 19. aliisque in locis supra citatis. Quod legitur Joannis IV. accipiendum est conditionate, nimirum si fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam justificatus non deserat; nisi enim fontem illum plures peccato desererent, non dixisset Dominus per Jeremiam XVII. 13. *Dereliquerunt fontem aquarum viventium.* Observandum est insuper Christum Dominum comparatione aquæ, quam mulier Samaritana hauriebat è puteo, & illius, quam idem exhibuit semel ebibendam, uti ad prædicandum Evangelium, & fidem Reparatoris. Possumus ergo nomine hujus aquæ intelligere Baptismum, & novi Testamenti doctrinam, quorum unum non iteratur, altera perpetua est, & salit in vitam æternam: atque non abhorret hæc interpretatio à mente Cypriani, & Chrysostomi. Demum Augustinus Tractatu in Joannem XV. refert præcitatum locum ad Sanctorum beatitudinem, de qua in Psalmis legimus, *Apud te est fons vitæ*: & *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua*; necnon, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Sunt autem omnes hæ responsiones satis manifestæ, verissimæ, atque optimæ.

11. Objectio 4ta repellitur.

Perpauca sunt, quæ ex Patribus possunt ab hæreticis objectari. Gregorius hom. V. in Ezech. XI. in Matth. & XIII. in Joannem videtur affirmare quod charitas nunquam otiosa est, sed stabilis, operatrix & perseverans. Recte respondet in III. Sent. dist. 31. & 22. q. 24. S. Thomas, hæc attributa convenire charitati, quatenus à Deo procedit, non prout à suscipiente recipitur. Addo Gregorium priori loco agere duntaxat de charitate Electorum, quam eo sensu appellat permanentem, quia in patria non excidit, & in quantum ubi est charitas, est etiam gratia Spiritus sancti, quæ tamen non semper cum habitibus & officiis cæterarum virtutum conjuncta est. In aliis locis sermonem instituit de charitate actuali, quæ si efficax sit, superat terrena desideria, & operari non renuit. Vellosillus in Advert. ad IX. Quæst. in B. Gregorium profert quædam testimonia S. P. Augustini, quæ putat difficilia, nec ea ullatenus explicat. Primum depromptum est ex Tract. III. in Epist. 1. Joannis, ubi ait S. Pater: *Unctionis Sacramentum virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis Spiritus sanctus: unctio invisibilis charitas illa est, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore Solis, non arescit.* Alterum petitur ex proximo Tractatu VIII. *Radicata charitas est; securus esto, nihil mali procedere potest.*

12. Ac tollitur.

Verum hæc neque difficilia sunt, neque sententiam Augustini aliis in locis expressam arguere valent antilogiæ. Tractatu in Epist. Joannis tertio exponit ea verba: *Hæc scribo vobis de his, qui vos seducunt, ut sciatis quia unctionem habetis, & unctio quam accepimus ab eo permaneat in nobis.* Ea S. Pater ita interpretatur, ut non debeamus timere qui nos tentant seducere aut promittendo temporalia bona, aut carceres, catenas, ignes, aliaque tormenta minitando. *Nemo* (inquit Augustinus) *vos seducat ad mortem, promissionem vitæ æternæ desiderate. Quid potest mundus promittere? Quidquid promittat, for-*

tassis in crastino morituro promittit. Et qua fronte ad illum, qui manet in æternum, exiturus est? Sed quid minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam? quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias, nunquid ignem æternum? Cum ergo tam Joannes, quam Augustinus hortentur justos, ut permaneant in charitate; consequens est posse illos unctionem Spiritus sancti amittere. Quo ergo sensu ait S. Pater, *quamvis ardente sole non arescere?* Profecto non ait ipsam charitatem non arescere, sed non arescere id quod in charitate radicatum est; scilicet deperdi quæ operamur ducti fallaci spe temporalium bonorum, aut servili hominum timore, permanere autem fructum charitatis & dilectionis etiam post mortem. Atque hinc est, quod immutata Augustini sententia in cap. *Unctio* dist. 2. de Pœnit. ubi legitur, *Charitas est, quæ in quocunque fuerit arescere non potest*, apposita est in Correct. Romana hæc adnotatio: *Non negat* (Augustinus) *charitatem posse arescere, sed quod in charitate radicatum est.* Idem est sensus alterius loci ex Tract. VIII. Ibidem quippe Divus Pater distinguit inter opera, quæ bona videntur, sed fiunt superbia aut inani cupiditate, & illa, quæ ex radice dilectionis procedunt; affirmatque nunquam opera prioris generis esse bona, nunquam opera charitatis esse mala: at charitatem esse in hac vita indemutabilem, non asserit Augustinus: *Radicata est cupiditas.* inquit, *species potest esse bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt: radicata est charitas, securus esto; nihil mali procedere potest*: Denique charitatem non arescere, & nunquam excidere in Patria, verissimum est, ut diximus paulo supra.

13. Nullus absque revelatione habet certitudinem de justitia.

Propositio II. Nullus mortalium absque speciali revelatione habet certitudinem fidei de propria charitate & justitia.

Dixi *certitudinem fidei* cum Tridentina Synodo sess. 6. cap. 9. & can. 15. distinguenda est enim duplex certitudo, *fidei* nimirum, & *spei*: qua distinctione facta corruunt omnia hæreticorum sophismata. Itaque certitudo *fidei* est illa; qua ob divinæ revelationis auctoritatem orthodoxis veritatibus præbemus assensum; cumque veritates ipsæ non pendeant ab ulla mutabili conditione, credi debent absque fluctuatione ulla hæsitantis animi. Talis est certitudo, quam habemus de Trinitatis & Incarnationis mysteriis, cæterisque Symboli articulis. At certitudo *spei* illa est, qua bonam conscientiam habentes, neque nobis gravium scelerum conscii, bonis etiam operibus insudantes in spem erigimur repromissæ nobis certantibus & vincentibus retributionis. Hæc autem spes non solum innititur divinæ promissioni, sed etiam humano studio, & diligentiæ cum gratia Christi adhibendæ, quoniam Deus non absolute coronam promisit, sed certantibus & currentibus: ideoque comparate ad Deum Christiana spes erigitur & roboratur, sed attenta hominis infirmitate, non caret solicitudine atque timore. Quod de spe justorum in ordine ad gloriam dictum est modo, idem tenendum est de spe perseverandi usque in finem; nam qualis ante justificationem spes requiratur in peccatore, diximus præcedenti cap. IV. Plura de hac duplici certitudine Thomas Stapletonus Tom. 2. libro IX. cap. 11.

14. Probatur ex Scriptura.

Itaque propositionem demonstro 1. ex Scripturis. Proverbiorum XI. 2. legitur: *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus*; & præcedenti cap. V. 5. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Ecclesiastes cap. IX. 1. ait: *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Apostolus in 1. ad Corinth. IV. 4. 5. *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me Dominus est, Itaque nolite ante tempus judicare, &c.* Occurrit hoc loco in Græcis verbum δικαιοῦσθαι, *esse à vitiis purgatum & liberum;* ita enim accipitur Esajæ LIII. 11. Dan. XII. 3. Act. XIII. 38. ad Rom. VI. 7. & aliis in locis. Apostolicorum ergo verborum sensus est: Etsi nullius criminis mihi conscius sum, non propterea sum immunis ab omni culpa, fortassis enim habeo peccatum, quod me habere nescio. Atque hunc sensum optime assecutus est, exposuitque Chrysostomus, iisdem fere verbis; necnon S. Pater Augustinus in Psalmum XLI. 8. ubi etiam cor hominis comparat impenetrabili abysso. *Si profunditas est abyssus* (ait S. Pater) *putamus quod cor hominis abyssus est. Quid est profundius hac abysso? Abyssum invocant Sancti prædicatores verbi Dei. Nunquid & ipsi abyssus? Ut noveris, quia abyssus & ipsi, Apostolus ait: Minimum est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Quanta autem abyssus sit, audite amplius: Neque enim ego meipsum judico. Tantamne profunditatem creditis esse in homine,*

quæ

quæ lateat ipsum hominem, in quo est? Vide & Epistolam S. Bernardi n. 42. ad Archiepiscopum Senonensem.

15. Et ratione.

Addimus manifestæ rationis præsidia. Ac primum ex Tridentina Synodo locis citatis depromptum sit. Ad justificationem non solum requiritur divina misericordia, meritum Christi, & efficacia Sacramentorum; verum etiam conatus liberi arbitrii, & congruens voluntatis dispositio. Igitur quemadmodum nefas est dubitare de iis, quæ se tenent ex misericordia Dei, & Christi meritis atque institutione, sed hæc omnia sunt spei, fiduciæque nostræ fundamentum; ita si respiciamus propriam infirmitatem atque indispusitionem; possumus formidare ac timere, neque certi omnino sumus nos gratiam Dei esse consecutos; quoniam si in nosmetipsos animum convertamus, occurrit justa causa timoris atque formidinis. Sit alterum momentum: Inanis illa hæreticorum fiducia quemadmodum infert certitudinem justitiæ, ita infert certitudinem perseverantiæ, & prædestinationis divinæ. Et revera Heterodoxi opinantur hominem justificatum amplius peccare non posse, & certum esse de suamet prædestinatione, ut liquet ex canone xv. & xxiii. sess. vi. Trid. Atqui fiducia hæreticorum non recte infert certitudinem perseverantiæ, ut demonstravimus propos. præcedenti; neque certitudinem prædestinationis, ut docet S. P. Augustinus de dono pers. cap. 24. de Civit. Dei lib. xi. cap. 12. de Corrept. & Grat. cap. xiii. & ut apertissimâ consecutione deducitur ex prædictis. Igitur illa hæreticorum fiducia non recte infert certitudinem justificationis.

16. Aliqua deducuntur.

Ex his sequitur, non posse haberi talem certitudinem, quæ omnem excludat hæsitationem, absque revelatione speciali; qualem habuit felix latro, mulier peccatrix, & plurium opinione Moyses, Elias, Stephanus, & ipse Paulus: de quo non evincit oppositum Epistola superius citata ad Corinthios; tum quia hæc scripta videtur circa annum Vulgaris æræ 57. & Epistolæ ad Timotheum, in quibus occurrunt aliqua hujus certitudinis vestigia, datæ sunt vertente anno 66. tum etiam, quia potuit Apostolus ex Dei revelatione discere, quod non potuerat ex propria conscientia. In cæteris eximiæ sanctitatis viris potest esse certitudo moralis, & spei, quam paulo supra descripsimus; & quæ oritur ex frequentia bonorum operum, & conscientiæ tranquillitate, quemadmodum à fructibus dignoscitur arbor bona. At sicut inter fructus bonæ arboris potest aliquis infici aut attractione maligni succi, aut contactu animantis venefici; ita contingit, ut aliquando opus, quod optimum arbitramur, sit aut labe latentis concupiscentiæ, aut finis perversitate vitiatum. Qui tamen habet bonam conscientiam, ac studet recte operari, habet etiam spem bonam, ut scribit Enarrat. in Psalm. xxxi. Augustinus. Hanc solam certitudinem spei commendant aliqui Patres; quorum auctoritate perperam hæretici nobis litem intentant.

17. Objectio adversariorum.

Præcipua tamen ipsorum arma sunt sequentia literarum sanctarum loca. I. Joannis v. 13. legitur: *Qui credit, habet vitam æternam.* Et Apostolus ad Rom. vi. inquit: *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* In eadem Epist. cap. viii. 16. ait: *Ipse autem spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Et versu 38. *Certus sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli . . . neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, &c.* Ex his inferunt semel justificatum firmissima in Christum fiducia apprehendere vitam æternam, idque se certissime noscere ex Spiritus sancti præsentia.

18. Solvitur.

His respondentes dicimus scopum Joannis esse hortari Parthos, cæterosque fideles ad fidem Incarnationis & divinitatis Christi: hæc enim sola fides dilectioni conjuncta filios Dei ad vitam æternam perducit. Igitur qui credit, habet vitam æternam, non re, sed spe, & dummodo mandata custodiat, jure adoptionis. Extat consimilis phrasis, quam Rhetores appellant metonymiam, in ipsius Joannis Evangelio v. 24. vi. 47. xvii. 3. atque hoc ipso loco præced. versu 11. & 12. Apostoli verba in Epistola ad Romanos imperite ad stabiliendam justificationis certitudinem detorquent Sectarii; per εἰρήνην quippe, id est, *pacem*, Paulus significat reconcilationem & gratiam, non infallibilem hujus gratiæ notitiam. Quæ petuntur ex cap. viii. 16. ejusdem Epistolæ ita à Catholicis exponuntur: Ex Apostolicis verbis unum colligitur, Spiritum sanctum perhibere justis testimonium, quod sint filii Dei, non enim Spiritus sanctus inhabitans datur, nisi Dei amicis & justis. At non ait Apostolus, quod ipsis justis testimonium ipsum Spiritus sancti sit infallibiliter notum; cum nequeant justi certis indiciis discernere, num testimonium conscientiæ sit Spiritus sancti, an spiritus præsumptionis & cœnodoxiæ. In corde itaque justorum inhabitat Spiritus sanctus; hujus testimonium verax est;

sed

sed quemadmodum illa inhabitatio cognoscitur solis conjecturis, cujusmodi sunt absolutio Sacerdotalis, & bona conscientia; ita per solam probabilem conjecturam possumus agnoscere, num quod redditur Spiritui nostro sit testimonium Spiritus sancti. Si autem Spiritus sanctus expresse testificetur aut remissionem peccatorum per specialem revelationem, aut veritatem fidei per evidentiam miraculorum; fatemur huic testimonio certissimam fidem esse adhibendam. In postremo loco certitudo significat tantummodo firmum animi propositum, ut in eadem Epistola xv. 14. unde Hieronymus in Epist. ad Algasiam legit, *Confido enim;* & Græcus pariter habet, πέπεισμαι γὰρ, &c.

19. Gratia Sanctificans non est æqualis in omnibus justis.

Propositio III. Gratia sanctificans non est æqualis in omnibus omnino justis, & in singulis capax est augmenti.

Ab hac postrema thesi me paucis expediam, cum priori Volumine demonstraverim, in cœlesti Jerusalem diversas reperiri mansiones, quæ meritorum inæqualitati respondeant. Sequitur etiam hæc thesis ex præcedentibus; cum enim sanctitas sit *forma* quædam animæ inhærens, haud dubium, quin per opera pietatis majori accedente dispositione recipiat gratia incrementum, & efficiatur perfectior. Huc spectat quod legimus Prov. iv. 18. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem:* quod scribit Apostolus ad Philipp. i. 9. *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu:* quod scriptum est in postremo Apocalypseos versu 11. *Qui justus est justificetur adhuc & sanctus sanctificetur adhuc.* Quum insuper legem credendi statuat lex supplicandi; dari justitiæ cæterarumque virtutum incrementum commonstrat S. Mater Ecclesia, ita Deum exorans Dom. xiii. post Pentecosten: *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Idem docet S. Pater in libro de Sancta Virginitate, & Tract. 67. in Joannem, Fulgentius libro iii. ad Trasimundum, & Patres alii, quos necesse non est, ut iterum proferamus. Vide quæ scripsimus de Inæqualitate beatitudinis: ubi etiam plura diximus de Parabola Operariorum, quam post Jovinianum nobis objectant Sectarii: sed quam importuno, irritoque conatu, ostendimus eo loci. His ergo controversiis finem constituat Canon. xxiv. Sess. vi. Tridentini Concilii: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit, &c.*

20. Conclusio Operis.

Una cum dissertationibus de Gratia Christi Volumen tertium absolvimus; quod in lucem prodit, quamquam nobis universæ Theologiæ exornandæ occupatis neque ad utendum lima, neque ad spongiam adhibendam otium suppetit. Hinc est, quod duplici nomine imploramus Lectoris humanitatem; nimirum, quia divina inscienter tractamus, & quia inculte admodum, & impolite. Ut enim prelo committeretur Theologicum Opus elaboratum, atque perfectum, alio nobis ingenio opus erat, alio etiam temporis adjumento. Nunc, quoniam Exercitationes nostræ ad hunc modum se habent, ob oculos legentium statuimus verba Ovidii, De Ponto iii. Elegia 9.

Scribentem juvat ipse favor, minuitque laborem,
Cumque suo crescens pectore fervet opus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.

Explicit liber undevicesimus.

TERTII

TERTII VOLUMINIS PROPOSITIONES.

I. ORiginalis peccati transfusio evincitur ex veteri Testamento. 4

II. Eadem Catholica veritas confirmatur novi Testamenti locupletissima auctoritate. 7

III. Inique scribit Phereponus, Augustinum confidentius explicasse Caput v. Epistolæ Divi Pauli ad Romanos. *ibid.*

IV. Ex scriptis veterum Patrum depromi possunt pro Originali peccato apertissima testimonia. 12

V. Demonstratur ejusdem peccati transfusio ex Ecclesiasticis definitionibus. 14

VI. Ex miseriis etiam, quas modo patimur, comprobatur peccatum Originale. 19

VII. Contrahitur idem peccatum etiam à filiis Baptizatorum. 24

VIII. Originale peccatum non est mala quædam, ac perversa substantia, ut affirmavit Illyricus: 26

IX. Neque est ipsum Adæ personale delictum. 28

X. Sed est concupiscentia, cui inest reatus culpæ, seu privatio originalis justitiæ; adeo, ut concupiscentia sit originariæ culpæ quasi materies, reatus vero sit illud, quod Theologi appellant *formale* Peccati. 29

XI. Contrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eoquod concupiscentia & libidine seminetur corpus, cui lege providentiæ anima à Deo inseritur, unde hæc carnis consortio vitiatur. 35

XII. Non ergo transfunditur in Adæ posteros ob arbitrarium illud pactum, pro quo decertatur in Scholis. 37

XIII. Scelus Judæorum, quibus auctoribus Christus affixus est Cruci, nequit appellari peccatum naturæ pervadens in posteros. 43

XIV. Pueri sine baptismate decedentes minime potiuntur supernaturalis beatitudinis. 48

XV. Fictitia est quoque beatitudo illa naturalis, quam benigniores quidam iisdem infantibus pollicentur. 49

XVI. Hi enim parvuli morientes absque regenerationis lavacro dolore aliquo afficiuntur. *ibid.*

XVII. Imo & plectuntur pœna sensus, licet in comparatione adultorum, mitissima. 50

XVIII. Hæc est doctrina Augustini refellentis hæresim Pelagianam; cujus auctorem recte Norisius noster tradidit fuisse Origenem. 65

XIX. Rufinus, qui Pelagiano errore imbuit Cælestium, est Rufinus Aquilejensis, non Palæstinus, vel Syrus. 66

XX. Alter Pelagianorum Prodromus fuit Theodorus Mopsuestenus. 69

XXI. Pelagius, qui nomen sectæ & hæresi dedit, fuit patria Brittannus, & Monachus instituto. 70

XXII. Quæ scripsit Norisius de Cælestio, & Juliano Pelagianis, hujusque uxore filia Aemilii, haud merebantur recentiorum Criticorum castigationem. 73

XXIII. Nulla est hæresis, quæ tantis anathematismis & vellicationibus fuerit exagitata, quemadmodum Pelagiana. 77

XXIV. Hujus hæresis status tres distinguuntur: in quorum primo admisit Pelagius etiam legem, atque doctrinam, 80

XXV. In secundo autem erroris statu admisit etiam gratiam, quæ sanctam dilectionem inspirat, at non *ut simpliciter* necessariam. 81

XXVI. Tandem in tertio statu admisit Pelagius ut necessariam gratiam internæ illuminationis; at nunquam gratiam, quæ adjuvat voluntatem per inspirationem charitatis. *ibid.*

XXVII. Quartus status Pelagianæ hæreseos, in quo agnoverit veram gratiam consistentem cum indifferentia liberi arbitrii, commentum est Jansenianum. 85

XXVIII. *Habitualem* quidem gratiam Pelagius agnovit, at non sensu recto & Catholico. *ibid.*

XXIX. Præter *habitualem* ipsam gratiam, necessarium est ad actus supernaturales præmovens aliquod actuale adjutorium. 87

XXX. Adjutorium istud nihil aliud est, quam mentis illustratio, & inspiratio charitatis; sed magis in hac inspiratione, quam in illa illustratione consistit. 90

XXXI. Recte ergo Gratia ab Augustino definitur, *Est inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* 92

XXXII. Dividitur hæc Gratia in sufficientem, & efficacem; & hæc est inspiratio charitatis superans contrariam cupiditatem. 96

XXXIII. Habet hæc gratia gradus suos, ex quibus absque ullo præjudicio absolutæ Dei voluntatis dignoscitur una cum vera arbitrii nostri libertate mirabilis ejusdem gratiæ œconomia. 98.

XXXIV. Atque hæc sententia recte explicata nihil habet affinitatis cum hæresi Janseniana, in qua victrix delectatio libertatem evertit. 99

XXXV. In hoc infirmatis statu admittendam esse Gratiam *ab intrinseco* efficacem, demonstratur ex sacris literis. 106

XXXVI. Idem evincitur ex Orationibus Ecclesiæ. 111

XXXVII. Traditur eadem sententia à Gratiæ strenuissimo vindice D. Parento Augustino. 112

XXXVIII. Conspirant in eandem alii etiam Ecclesiæ Patres 113

XXXIX. Magis, magisque hæc sententia firmatur ex aliarum confutatione. 119

XL. Doctrinæ de Gratia per se efficaci nihil præjudicii, sed multum potius auctoritatis accessit tam occasione dissidiorum Belgii, quam ex institutis Congregationibus *De Auxiliis.* 121

XLI. Frustra quidam nituntur demonstrare, quod hæc doctrina liberi arbitrii potestatem, & indifferentiam interimat. 125

XLII. Est autem Gratia tale donum, quod solis operibus naturalibus nec *de condigno*, nec *de congruo* possumus promereri. 131

XLIII. Ad prævenientem gratiam nemo potest sese viribus naturæ *positive* disponere. & dispositionis *negativæ* nullam Deus rationem habet in suorum dispensatione donorum. 133

XLIV. Non extat lex aliqua, aut promissio, per quam Deus facienti quod in se est per naturales vires arbitrii gratiam supernaturalem elargiatur. *ibid.*

XLV. Itaque ex gratia est etiam bona voluntas, quæ fidem præcedit, quidquid opinati fuerint Semipelagiani, 139

XLVI. Quorum errori nequaquam præluxit S. Joannes Chrysostomus. 142

XLVII. At Cassianus ejusdem Chrysostomi discipulus nequit à Semipelagianismi nota purgari. 145

XLVIII. Etiam Faustus Rejensis fuit revera imbutus Semipelagianorum errore. 148

XLIX. Vincentius Lirinensis fuit & ipse Semipelagianus. 149

L. Quid vero de Hilario Arelatensi dicendum est? De sancto hoc viro judicium Cardinalis Norisii grave est, librarum, & verum. 153

LI. Ad Semipelagianos declinavit etiam Gennadius. 155

LII. Contra hos, aliosque Christi Gratia ad initium fidei asseritur necessaria. 157

LIII. Non admiserunt Semipelagiani necessariam ad fidei initia aliam gratiam, quam mentis illustrationem. 161

LIV. Debemus simul cum gratia defendere liberum arbitrium, & refellere quælibet perversa dogmata hæreticorum. 167

LV. Itaque idem liberum arbitrium etiam in homine lapso persistit. 171

LVI. Tradit hoc dogma Catholicum Augustinus & contra Manichæos, & contra Pelagianos decertans. 173

LVII. Ad libertatis essentiam pertinet posse agere, & non agere; non autem posse peccare: quod potius defectus est libertatis. 177

LVIII. Requiritur *libertas indifferentiæ* ad meritum, vel demeritum etiam in statu naturæ lapsæ 179

LIX. Indifferentia liberi arbitrii non est mere passiva, ut opinantur hæretici. 180

LX. Futile est quidquid adversus liberi arbitrii activam indifferentiam Lutherani, Calvinistæ, & Janseniani objectant. 181

LXI. Blasphemum est appellare Deum causam efficacem peccatorum. 192

LXII. Male de Gratia & libero arbitrio senserunt Bajus. Jansenius, & Quesnellius, 200

LXIII. Assertiones complures Baji anno 1560. revera proscriptæ fuerunt à sacra Facultate Parisiensi. 205

LXIV. Subreptitiæ non sunt Romanorum Pontificum adversus eundem Bajum Constitutiones. *ibid.*

LXV In Bulla Pii V. ejusque confirmationibus, articuli Baji vere ac proprie in sensu ab assertoribus intento reprobati fuerunt. 206

LXVI. Damnatis ni ipsorum articulorum nefas est refragari. 207

LXVII. Affirmavit Jansenius aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires esse impossibilia, & deesse illis gratiam, qua possibilia fiant. 210

LXVIII. Verum Augustinus oppositum tradidit: *ibid.*

LXIX. Et recte propositio illa Jansenii declarata est, *Temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica.* 211

LXX. Jansenius etiam asseruit, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resisti; 215

LXXI. At Augustinus contrarium docuit: *ibid.*

LXXII. Meritoque secunda hæc Jansenii posito *tanquam hæretica* proscripta est. 216

LXXIII. Protulit Jansenius & enunciationem illam hæreticam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione;* 220

LXXIV In qua assertione Jansenio opponitur Augustinus: *ibid.*

LXXV Debuitque hæc tertia Jansenii propositio eadem censoria animadversione damnari *ibid.*

LXXVI. Etiam in hoc absurdum Jansenius prolapsus est, ut scripserit Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ necessitatem etiam ad fidei initium, & in hoc fuisse hæreticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere, vel obtemperare; 221

LXXVII Quod est plane falsum, & à doctrina S. P. Augustini alienum: *ibid.*

LXXVIII. Ideoque hæc quarta propositio Jansenii recte damnata est *tanquam falsa & hæretica. ibid.*

LXXIX. Jansseniana est etiam hæc enuntiatio: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & sanguinem fudisse.* 222

LXXX. Verum Augustinus Christum pro omnibus & singulis pretiosum sanguinem effudisse, innumeris in locis asseruit, & commonstravit. *ibid.*

LXXXI. *Falsa* est autem hæc assertio Jansenii, *temeraria, scandalosa,* aliisque notis, quibus afficitur ab Ecclesia, jure meritoque confixa. 223

LXXXII. Quæ vero à Jansenistis adversus universorum redemptionem objiciuntur, non ex incertis quorumdam placitis, sed ex communi Conciliorum, & Patrum doctrina diluuntur, & refutantur. 225

LXXXIII. In hoc etiam Jansseniani decipiuntur, quod pugnaciter contendant judicium Romani Pontificis in *factis Dogmaticis* esse obnoxium errori. 231

LXXXIV. Denique se obstringunt gravissimo perjurii crimine, qui *obsequioso*, ut inquiunt, *silentio*, atque simulatione celebri *formulario* subscribunt. 239

LXXXV. Potest utcunque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem sine gratia servari. 242

LXXXVI Requiritur tamen ipsa gratia, ut mens piis studiis intenta juvetur ad æternam vitam capessendam. 243

LXXXVII Multa fiunt etiam ab infidelibus & impiis, quæ si inspiciantur officia virtutum, habent decus laudis, neque appellari debent peccata. 244

LXXXVIII. Sunt tamen virtutes infidelium, ut plurimum, germen inutile, & marcescens; quoniam vitio aut philautiæ, aut inhonestatis labefactantur. 246

LXXXIX. Alio quoque ex capite quæ sine Christi gratia

gratia ab infidelibus peraguntur, nequeunt inter virtutes connumerari; scilicet quia ad veram & Christianam pietatem nihil conferunt 247
XC. Quidquid igitur boni patraverunt infideles, non fuit à superna gratia disjunctum. *ibi*
XCI. At necessaria non est ad non peccandum fides *habitualis*, nec gratia remissionis peccatorum. *ibid.*
XCII. Utrum bonum opus morale sine gratia patratum careat vitio, disputant in utramque partem Scholastici: 252
XCIII Pe enim quid nos in hac gravi quæstione opinemur, respondemus subscribere utroque pollice Augustino, cujus sententiam exponimus. 256
XCIV. Ad observanda divina præcepta, *ut oportet*, cogimur divinum implorare auxilium; 258
XCV. Ne possumus absque gratia Deum super omnia diligere. 259
XCVI. Sine eadem gratia non possumus aut peccatum vitare, aut *undequaque* vincere tentationes. 267
XCVII. Ut vero vitentur peccata quælibet venialia, necessarium est gratiæ singularissimum beneficium. 270
XCVIII. Finalis quoque perseverantia est donum gratiæ magnum, & speciale. 274
XCIX. Deus pro omnibus ac singulis remedia salutis instituit, paravitque? exhibuit, & quantum est ex se, nulli prorsus mortalium denegat Gratiæ suæ beneficentissimam largitatem. 281
C. Non est de fide, quod singuli reapse recipiant auxilium gratiæ omnibus misericorditer exhibitum ac præparatum. *ibid.*
CI. Neque necessaria est ad imputationem peccati præsens & actualis inspiratio divinæ gratiæ. 282
CII. Cuilibet fideli, nisi libere ponat obicem, adest gratia orationis, qua impetrare potest auxilium immediate sufficiens ad implenda mandata. 284
CIII. At nemo absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu. *ibid.*
CIV. Est probabilior sententia, auxilia, quæ omnibus divina munificentia paravit, quibusdam aliquando deesse ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum. 285
CV. Denegatur enim sufficiens auxilium pueruli vitâ functis ante Baptismum. 286
CVI. Nonnullis etiam infidelibus deest eorum culpâ sufficiens gratia ad credendum. 287
CVII. Sunt & aliqui in scelera damnabili obstinatione ruentes, quibus gratia sufficiens aliquando subtrahitur. 289
CVIII. Cæterum quisquis non adjuvatur à Deo per subministrationem gratiæ actualis, queri debet de prava sua voluntate, non de ipso Deo beneficentissimo gratiarum suarum largitore. 290
CIX. Quod omnibus ac singulis hominibus nunquam denegetur sufficiens gratia, nec Augustinus asseruit, nec Prosper, nec Orosius, nec Divus Thomas. 293
CX. Etiamsi in Justis ipsa Persona Spiritus sancti inhabitet, 301
CXI. *Habitualis* tamen Gratia non est eadem Spiritus sancti persona; *ibid.*
CXII. Sed habitus charitatis, quæ in cordibus nostris per ipsum Spiritum sanctum diffunditur. 302
CXIII. Justificantur itaque impii per inhærentem gratiam, & non per solam imputationem justitiæ Christi, neque per solam peccatorum extrinsecam condonationem. 304
CXIV. Atque in iis, qui justificantur, vere peccata delentur; non ita tegunntur, ut adhuc inquinata sit anima. 309
CXV. Sanctificans gratia, & mortale peccatum nequeunt simul consistere. 311
CXVI. Neque peccati macula omnino deleri potest absque gratia inhærente. *ibid.*
CXVII. Disponuntur ad justificationem adulti fide, timore, spe, dilectione, cæterisque actibus, quos Tridentina Synodus singillatim enumerat. 312
CXVIII. Docens itaque Apostolus homines gratis, & per fidem justificari, non excludit opera, quæ fiunt præveniente actualis gratiæ adjutorio. 315
CXIX. Nec, ut impie sentiunt hæretici, repetit justificationem à sola fide divinarum promissionum, sive firma in Christum fiducia. 316
CXX. Opera bona nequaquam censenda sunt sordes, & animarum inquinamenta; 321
CXXI. Et necessaria omnino sunt, ut adulti æternam salutem adipiscantur. *ibid.*
CXXII. Fastosum non est, ut inquiunt hæretici, nomen *meriti*, sed recte illo utuntur Catholici, recte illud describunt & dividunt. 322
CXXIII. Decipiuntur vero Sectarii, dum putant primam meritorii operis conditionem esse, ut in se perfectum sit, tam graduum, quam partium ratione. 324
CXXIV. Errant quoque statuentes conditionem alteram, quod opus meritorium sit illi, cui impenditur, prorsus indebitum. *ibid.*
CXXV. Male etiam requirunt conditionem tertiam, ut opus plane ac in primis sit nostrum, & nulla ratione sit ejus, à quo expectamus mercedem. 325
CXXVI. Frustra & quartam conditionem statuminant, ut opus in se spectatum habeat cum mercede proportionem æqualitatis. 326
CXXVII. His itaque conditionibus rejectis, requiritur primo ad meritum, ut opus sit bonum, ac liberum; 327
CXXVIII Deinde, ut fiat prævenientis gratiæ auxilio. 328
CXXIX. Insuper, ut patratum sit in statu viæ, & proficiscatur ex charitate, *ibid.*
CXXX. Ulterius, ut interfit divina promissio: 329
CXXXI. Ad meritum denique *de condigno* requiritur habitualis gratia, per quam filii Dei constituimur. 330
CXXXII. Statuis autem his conditionibus, affirmandum est opera, quæ justificationem præcedunt, habere quidem meritum *de congruo*, at non *de condigno*; 331
CXXXIII. At quæ justificationem consequuntur, non *de congruo* tantum, sed etiam *de condigno* mereri vitam æternam. 332
CXXXIV. Promeretur etiam justus *de condigno* sanctificantis gratiæ augmentum, sed non ejusdem gratiæ perfistentiam, & finalem perseverantiam. 336
CXXXV. Quamdiu justus mortalem hanc vitam agit, potest excidere à sanctitate; 338
CXXXVI. Et absque speciali revelatione nequit habere de sua justitia certitudinem fidei. 342
CXXXVII. Status denique gratiæ sanctificantis potest magis perfici, atque augeri. 344

INDEX

RERUM, ET MATERIARUM

IN

TERTIO HOC LIRRO CONTENTARUM

NB. *Primus numerus sub Litt.* P. *Denotat paginam. Alter sub Litt.* N. *Significat Numerum marginalem.*

A.

Abraham. an fuerit justificatus per Solam fidem? p. 314. n. 1. & seq.

Academia. refertur concertatio habita inter Academiam Lovaniensem, & P. P. Societatis JEsu circa Sententiam Molinæ. p. 121. n. 1. & seq. Academia Bariensis reprobavit assertiones Baij ad instantiam FF. Minorum p. 205. n. 2.

Actualis. v. *Gratia.*

Actus. Quid requiratur ad actus supernaturales? p. 87. n. 7. & seq. v. *opus.*

Adam, quod peccatum Originale ab Adam in Posteros ejus transfundatur, demonstratur ex Scriptura. p. 4. n. 1. tot. cap. I. hanc transfusionem plures negant Hæretici. *ibid.* n. 1. ex hac probatur necessitas circumcisionis parvulorum, & Baptismi. p. 4. n. 1. & seq. solvuntur variæ objectiones. *ibid.* eadem transfusio probatur ex SS. PP. & conciliis cum resolutione objectionum p. 12. n. 1. per tot. cap II. id ipsum probatur ex hujus vitæ miseriis p. 19. n. 1. per tot. cap. III. an Adamo non peccante mori debuissemus? p. 19. n. 1. & seq. an peccatum originale sit ipsum peccatum Adami personale? p. 28. n. 7. an voluntas nostra fuerit inclusa in voluntate Adami? p. 34. n. 1. & seq. an Adam fuerit caput morale? p. 34. n. 1. & seq. an si Adam non peccâsset, bene verò Cain, homines contraxissent peccatum originale? p. 42. n. 20. quid si solus Adam peccâsset. *ibid.* an & hic indigebat gratia actuali. p. 88. n. 9 an habuerit gratiam efficacem. p. 103. n. 28. & p. 116. n 24. & seq. an hæc ei necessaria fuerit. *ibid.* an per culpam Adæ extinctum sit liberum arbitrium. p. 127. n. 4. & p 170. n. 1. tot. cap II. & III. qualis libertas fuerit in Adamo. p. 177. n. 14. post lapsum Adæ quoque necessaria est libertas indifferentiæ ad meritum, & demeritum. p. 179 n. 18. & seq. ac p. 184. n. 8.

Adjutorium: præter habitualem gratiam necessarium est ad actus supernaturales præmovens aliquod actuale adjutorium. p. 87. n. 7. & seq quid sit adjutorium *quo*. p. 95. n. 5. quid sit adjutorium *sine quo*. p. 107. n. 7. & p. 116. n 24. v. *gratia.* quomodo Jansenius explicet adjutorium *sine quo*, & adjutorium *quo*. p. 215. n. 13. quomodo S. Augustinus. p. 215. n. 14. an detur in statu naturæ lapsæ adjutorium *quo*, & *sine quo non*. p. 218. n. 19. & seq.

Adjuvo. an gratia adjuvans distinguatur à Subsequente. p 94. n. 4.

Admonitio v. *hortatio.*

Adrumetinus. Monachi Adrumetini inciderunt in errorem Semipelagianorum. p. 139. n. 2.

Adultus quomodo adulti ad gratiam Sanctificantem disponantur p. 312. n. 1. tot. cap IV.

Albenses negant albenses peccatum Originale transire ad posteros Adæ. p. 4. n. 1.

S. Ambrosius. an Commentaria ipsi inscripta sint supposititia. p. 109. n 12.

Amor: v. *Dilectio.*

Angelus. quod Angeli diversa officia sint consecuti ob propria merita, docet Origenes p. 65. n. 3. & seq. an habuerint gratiam efficacem. p. 103. n. 28. ac p. 116. n. 24. & seq. an Angeli habeant veram libertatem. p. 178. n. 17. & p. 282. n. 8.

Anima. transmigrationem animarum admittentes reijciunt matrimonia. p. 15. n. 9. per carnem & concupiscentiam transit peccatum originale in animam. p. 34. n. 1 & seq. quòd anima reprobetur propter scelera commissa antequam fuerit unita corpori, docet Origenes. p. 65. n. 4 non dantur duæ animæ in homine. p. 174. n. 9.

Antecedens. v. *Voluntas*

Apocryphus. potest esse liber triplici sensu. p. 145. n. 1.

Apostasia. juxta Lutheranos per solam Apostasiam amittitur gratia sanctificans. p 337 n. .

Appellatio: an licita sit à sententia Papæ ad futurum Concilium. p. 233. n. 7. & 8

Arausicanus. quando celebrata fuerit Synodus arausicana. p. 141. n. 8. proscripsit Semipelagianos *ibid.*

Arbitrium. Pelagius docuit, suppositâ doctrina legis ad servanda præcepta sufficere liberum arbitrium sine gratia. p. 80. n. 1. & seq. an indifferentia liberi arbitrii sit annumeranda erroribus Pelagii. p. 85. n. 13. liberum arbitrium nil boni operatur sine gratia efficaci. p. 95. n. 6. an gratiæ efficacia dependeat à consensu liberi arbitrii nostri. p. 105. n. 2. & seq. liberum arbitrium non tollitur per gratiam efficacem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 117

117. n. 27. item p. 125. n. 1. & seq. pariter p. 142. n. 2 & seq. an hoc sit extinctum per culpam Adæ p. 127. n 4. & p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. Manichæos & Pelagianos liberum negantes arbitrium refutat S. Augustinus. p. 173. n. 8. idem negant Calvinus, & Jansenius, & qualiter differant à Manichæis. p. 174. n. 10. indifferentia liberi arbitrij necessaria est ad meritum, & demeritum etiam in statu naturæ lapsæ. p. 179. n. 18. & seq. indifferentia liberi arbitrii non est merè passiva. p. 180. n. 23. negantes indifferentiam activam liberi arbitrii sunt Jansenistæ. p. 199. n. 1. an liberum arbitrium possit dissentire gratiæ efficaci. p. 215. n. 13. & seq. an etiam sufficienti. *ibid.* ad meritum & demeritum requiritur libertas arbitrii. p. 220. n. 24. 25. & 26. an angeli & dæmones habeant liberum arbitrium. p. 282. n. 8. an sufficiat liberum arbitrium sine gratia sufficiente ad meritum, & demeritum. *ibid.* & seq.

Armenius: negat peccatum originale transiisse ad posteros Adæ. p. 4. n. 1.

Arminianus: qualiter deperditum iidem docuerint liberum arbitrium. p. 187. n. 14. & seq.

Arnobius Junior an docuerit hæresin Semipelagianorum. p. 140. n. 5.

S. Augustinus: quomodo huius sententia de peccato originali differat ab errore Lutheranorum, & Calvinistarum. p. 32. n. 18. ennumerantur ejus opera contra Pelagium edita. p. 78. n. 4. vocat gratiam efficacem adjutorium *quo*. p. 95. n. 5. ejus sententia de gratia efficaci non est obnoxia errori Jansenij. p. 99. n. 17. & p. 121. n. 3. incidit ab initio in errorem Semipelagianorum. p. 139. n. 2. dein refutavit hanc hæresin. p. 140. n. 6. refutat Manichæos, & Pelagianos negantes liberum arbitrium. p. 173 n. 8. & seq. tot. cap. II. & III. hujus doctrina non est affinis propositionibus Jansenii damnatis. p. 203. n. 8. 9. & 10. quinque propositiones Jansenii non sunt traditæ à S. Augustino, sed potius contrarium docuit. p. 209. n. 1. tot. cap. III. qualiter explicet adjutorium *quo*, *sine quo*, & *sine quo non*. p. 215. n. 14. non docuit, non posse amitti gratiam sanctificantem. p. 339. n. 4. & seq.

Auxilium: v. *Adjutorium*.

B.

Bajus docuit, non tantùm peccatum originale, sed & alia transire in posteros. p. 43. n. 1. idem asserit, hominem peccare in motibus indeliberatis. p. 178. n. 16. Vita, & gesta Baji. p. 200. n. 1. & seq. quinam errores illius. p. 201. n. 3. constitutiones, & censuræ in eum latæ non sunt subreptitiæ. p. 205. n. 1. & seq. fuit reprobatus ab Academia Parisiensi. p. 205. n. 2. est damnatus à Pio V. *ibid.* n. 3. à Gregorio. XIII. & Urbano VIII. *ibid.* & quidem in sensu à Bajo, & sequacibus ejus intento. p. 206. n. 4. & seq. v. *Jansenius*. in causa Baij non datur appellatio à sententia Papæ ad futurum concilium. p. 233. n. 8. judicium Ecclesiæ damnantis Bajum, & ejus doctrinam, est infallibile. p. 231. n. 1. & seq. tot. cap. V. & VI. docens omnia Peccatoris opera esse peccata, refutatur. p. 244. n. 1. & seq. quomodo in materia de necessitate gratiæ ad opus morale differant Bajus, & Doctores Catholici. p. 250. n. 2. ejus propositiones de gratia explicantur. p. 254. n. 14. & 15. & p. 262. n. 18. & seq.

Baptismus etiam parvulis est necessarius ob peccatum originale, p. 4. n. 1. & seq. quinam effectus Baptismi. p. 16. n. 10. & 11. quid post Baptismum remaneat de peccato originali. p. 32. n. 17. de pœnis Parvulorum sine Baptismo decedentium. p. 46. n. 1. tot. cap. VIII. & IX. an votum Baptismi à Parentibus habitum prosit infantibus. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12. an sine Baptismo decedentes debeant comparere in Judicio. p 51. n. 12. Pelagius voluit, ut ad consequendum gratiam Sanctificantem filij Baptismum recipiant. p. 85. n. 2. an parvuli sine Baptismo decedentes habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 3. & p. 286. n. 18. & seq. Baptismus verè delet peccata, & non tantum tegit. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an & qualis ad eum requiratur dispositio. p. 312. n. 1. & seq. an gratia in eo accepta possit amitti. p. 337. n. 1.

Baptizatus: etiam filii Baptizatorum contrahunt peccatum originale. p. 24. n. 1. per tot. cap. IV. an non Baptizati debeant comparere in Judicio. p. 51. n. 1. & seq.

Beatitudo: Infantes sine Baptismo decedentes non potiuntur supernaturali beatitudine p. 46. n. 1. & seq. nec naturali. p. 49. n. 6. & seq. Beatitudo æterna quo sensu sit præmium condignum. p. 332. n. 4. & seq.

Beatus: v. *Sanctus*.

Beguinus negat peccatum originale transire ad posteros Adæ. p. 4. n 1.

Beza Theodorus successit Calvino. p. 169. n. 4.

Bonus: ad fidem necessaria sunt bona opera. p. 312 n. 1. & seq. tot cap IV. V. & VI. bona opera non sunt sordes, & peccata p. 321. n. 1. & seq. quas conditiones requirant hæretici ad opus bonum meritorium. p. 323. n. 9 & seq. qualiter opus bonum debeat undequaque esse perfectum. p. 323. n. 9. & 10. qualiter indebitum. p. 324. n. 11. qualiter sit à nobis. p. 325. n. 12. 13. & 14. an opus sit à nobis, quod sine gratia facere non possumus. *ibid.* qualis sit proportio inter opus, & mercedem. p. 326. n. 15. an per opera bona Deus recipiat emolumentum, vel honorem. p. 326. n. 16. quas conditiones requirant Catholici ad opus bonum p. 327. n. 17. & seq. qualiter opus sit bonum. p 327. n. 18 qualiter liberum. p. 327. n. 19. qualiter sit factum gratiæ prævenientis auxilio, seu supernaturale. p. 328. n. 20. qualiter requiratur status viæ. p. 328. n. 21.

Bucerus negat filios Baptizatorum contrahere peccatum originale. p. 24. n. 1. tot. cap. IV.

C.

Cœlestinus damnavit Semipelagianos. p. 141. n. 7.

Cœlestius negat peccatum originale transire ad posteras Adam. p. 4. n. 1. historia de ejus gestis, & factis. p. 70. n. 2. & seq. ac p. 73. n. 1. 2. & 3. an fuerit Monachus. p. 74. n. 3.

Cœlum: Regnum Cælorum à Pelagianis malè distinguitur à vita æterna. p. 10 n. 18. p. 48. n. 4. an detur locus medius cœlum inter & infernum pro parvulis sine Baptismo decedentibus. p. 46. n. 1. & seq.

Cain: an homines contraxissent peccatum originale, si Adamo non peccante peccâsset Cain. p. 42. n. 20.

Calvinus negat peccatum originale contrahi à filiis Baptizatorum. p. 24. n. 1. tot. cap. IV. hujus error de peccato originali: p. 32. n. 18. propugnat per culpam Adæ extinctum liberum Ar-

bitrium. p. 127. n. 4. ejus vita, & errores describuntur. p. 169. n. 4. & 5. contra hunc propugnatur facultas liberi arbitrij etiam post Lapsum Adæ. p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. negat libertatem indifferentiæ seu à necessitate, & admittit solam libertatem à coactione. p. 171. n. 2. quomodo conveniat cum Jansenio, & Manichæo. p. 174. n. 10. fecit per Blasphemiam Deum causam peccatorum. p. 192. n. 2. & seq. tot. cap. IV. & V. docuit, quòd peccatum sit, quidquid fit sine gratia habituali, refutatur. p. 244 n. 1. & seq. Calvinus constituit gratiam sanctificantem in imputatione Justitiæ Christi. p. 304. n. 1. & seq. errat dicendò, per gratiam sanctificantem tegi solùm peccata, & non deleri. p. 309. n. 1. tot. cap. III. contra hunc defenditur, quod adulti necessario debeant præmittere dispositionem ad fidem. p. 312. n. 1. & seq. contra eum probatur, omnia opera nostra non esse sordes, & peccata. p. 321. n. 1. & seq. quid tenuerit de natura meriti. p. 322 n. 6. & 7. docuit, justificatos in Baptismo non posse amittere gratiam sanctificantem. p. 337. n. 1.

Caput: an Adam fuerit morale caput nostrum? p. 34. n. 1. & seq.

Caro: per hanc transit peccatum originale in animam. p. 34. n 1. & seq. v *concupiscentia*.

Carpocrates negavit peccatum originale transire ad posteros Adam. p. 4. n. 1.

Cassianus Julius damnavit matrimonia ut mala. p. 15. n. 9. admisit transmigrationem animarum. *ibid.* fuit dux Semipelagianorum. p. 139. n. 2. & p. 145. n. 2. & seq.

Catharinus: ejus definitio peccati originalis rejicitur. p. 28. n. 7. & seq. de pœnis ejusdem peccati quid sentiat. p. 46. n. 1. & seq.

Catholicus: peccatum originale etiam contrahunt filii Catholicorum. p. 24. n. 1. per tot. cap. IV. quomodo in materia de necessitate gratiæ ad opus moraliter bonum differant Doctores Catholici à novatoribus. p. 250. n. 2. quas conditiones requirant Catholici ad opus meritorium. p. 327. n. 17.

Causa: quænam causa effectrix peccati. an voluntas, concupiscentia, Deus &c. p. 192. n. 1. tot. cap. IV. & V.

Censura v. *Constitutio*.

Certitudo: nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia Sanctificante. p. 342. n. 13. an homo possit habere certitudinem spei. *ibid.* quinam habuerint certitudinem istam ex fide per Revelationem. p. 343. n. 16.

Chalcedonensis Concilii judicium circa damnationem trium capitulorum. p. 238. n. 7.

Charitas: qualem Charitatem admiserit Pelagius. p. 81. n. 4. & 5. v. *dilectio*, gratia sanctificans est charitas per Spiritum S. diffusa in cordibus nostris. p. 300. n. 4. an hæc distinguatur à gratia habituali. p. 301 n. 7. & seq. an charitas sit persona Spiritus S. p. 303. n. 10. Charitas Dei in adultis est dispositio ad justificationem. p. 314. n. 6. requiritur charitas habitualis ad opus de condigno meritorium. p. 329. n. 22.

Christus; cur non contraxerit peccatum originale. p. 35. n. 4. ejus divinitatem negat Paulus Samosatensis. p. 64. n. 1. & seq. quòd promeruerit unionem hypostaticam, docet Origenes. p. 65. n. 3. & 4. Christi gratia mentem illuminat, & vol untatem adiuvat per inspirationem sanctæ dilectionis p. 80. n. 1. & seq. Christi gratia ad initium fidei necessaria est. p. 157. n. 1. tot. cap. IV. Christus pro omnibus omninò hominibus est mortuus. p. 222. n. 30. usque ad cap. IV. an Christus pro aliquibus sit mortuus titulo speciali. p. 225. n. 1. cur Christus non sit pro omnibus eodem modo mortuus. p. 225. n. 2. quomodo redemptio à Christo facta se extendat ad omnes homines. p. 226. n. 3. & p. 227. n. 4. & seq. usque ad cap. V. quomodo pro omnibus orârit. *ibid.* quomodo potuerit mereri, cùm non potuerit peccare. p. 282. n. 8. justificatio nostra non sit per extrinsecam imputationem justitiæ Christi p. 300. n. 2. & p. 304. n. 1. & seq.

S. Chrysostomus docuit contra Pelagianos, peccatum originale ad Adæ posteros descendisse. p. 13. n. 3. & p. 16. n. 10. & 11. ubi etiam enumerantur effectus Baptismi. *ibid.* an docuerit hæresin Semipelagianam. p. 140. n. 5 vindicatur ab hac nota. p. 141. n. 1. & seq. tot. cap. II. potius hanc hæresin oppugnat. *ibid.*

Circumcisio etiam parvulis fuit necessaria ob peccatum originale. p. 4. n. 1. & seq. an sine ea decedentes fuerint damnati. p. 62. n. 13.

Civilis: homines habent facultatem liberi arbitrii in civilibus, & moralibus etiam post adæ lapsum. p. 170. n. 1. tot cap. II. & III.

Clericus Joannes an neget peccatum originale transire ad posteros Adam. p. 4. n. 1.

Coactio: quid sit libertas à coactione. an hæc æquè adversetur voluntati, ac adversatur necessitas. p. 171. n. 2. libertatem à coactione admittunt Lutherus & Calvinus, non autem libertatem indifferentiæ seu à necessitate *ibid.* & propterea tenent sententiam Jansenii damnatam. p. 220. n. 24. 25. & 26.

Concilium: transfusio peccati Originalis in posteros Adæ probatur ex conciliis cum solutione objectionum. p. 12. n. 1. per tot. cap. II. an licita sit appellatio à sententia Papæ ad futurum Concilium. p. 233. n. 7. & 8. de judicio concilii chalcedonensis circa damnationem trium capitulorum. p. 238. n. 7.

Concupiscentia nostra an sit peccatum originale. p. 26. n. 1. & seq. quid sit *in*, & *cum* peccato. p. 29. n. 9. in peccato originali est pœna peccati, pecatum, & causa peccati. p. 33. n. 19. seminatrix concupiscentia transfudit peccatum originale in posteros. p. 34. n. 1. & seq. vincitur per gratiam efficacem. p. 96. n. 8 & seq. est causa efficax peccati. p. 192. n. 1. tot cap. IV. & V.

Condignus: meritum *de condigno* v. *meritum*.

Congruus: quid sit gratia congrua. p. 95. n. 5. & p. 105. n. 3. & seq tot. cap. IX. item p. 250. n. 3. & seq. an per opera naturalia possit homo promereri gratiam supernaturalem de congruo. p. 131. n. 1. & seq. v. *meritum*.

Conjugium: v. *Matrimonium*.

Consensus: an gratia efficax dependeat à consensu liberi arbitrii nostri. p. 105. n. 2. & seq tot. cap. IX.

Consequens: v. *Voluntas*.

Constitutio adversus Baium factæ constitutiones non sunt subreptitiæ. p. 205. n. 1. tot cap. II.

Contingentia: quid sit libertas contingentiæ. p. 170. n. 1.

Contradictio: an ad perfectam libertatem requiratur libertas contradictionis. p. 180. n. 21.

Contrarietas: an ad perfectam libertatem requiratur libertas contrarietatis. p. 180. n. 21. & 22.

Cooperor: an gratia cooperans distinguatur à subsequente. p. 94. n. 3.

Corpus: an anima reprobetur ob scelera commissa ante unionem cum corpore. p. 65. n. 4.

Correctio v. *Hortatio*.

Criticus : in quibus se fundet. & ad quæ attendat. p. 237. n. 4.
Culpa : quodnam sit discrimen inter culpam originalem, & actualem p. 44. n. 5 an peccata ex defectu gratiæ sufficientis commissa imputentur ad culpam. p. 294 n. 38. & seq.
Cumulus : an gratia efficax consistat in cumulo gratiarum. p. 106. n. 5. tot. cap. IX.
Cupiditas : v. *concupiscentia.*

D.

Dæmon : an habeat veram libertatem. p. 178. n. 17. & p. 282. n. 8. est causa effectrix peccati. p. 192. n. 1. & seq. & quomodo. *ibid.* pro hoc Christus non est mortuus. p. 230. n. 15.
Damnatus : an pro damnatis Christus sit mortuus. p. 230. n. 15. quodnam sit discrimen inter damnatos & viatores ob peccatum gratiâ privatos. p. 297. n. 49.
Damnum : Pœna damni est gravissima. p. 46. n. 1. & seq.
Decalogus : ostenditur gratiæ actualis necessitas ad servanda præcepta Decalogi. 257. n. 1. tot. cap. IV.
Definitio Papæ circa facta dogmatica est firmissima. p. 231 n. 1. tot. cap. V. & VI.
Delectatio : v. *Dilectio.*
Demeritum : libertas indifferentiæ est necessaria ad meritum vel demeritum etiam post lapsum Adæ. p. 179. n. 18. & seq. ac p. 184. n. 8. sufficere ad demeritum libertatem à coactione docuit Jansenius. p. 220. n. 24. 25. & 26.
Desero : Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur. p. 210. n. 3.
Despero : nunquam debet homo desperare. p. 279. n. 1.
Deus : inter regnum Dei, & beatitudinem ac vitam æternam non datur distinctio. p. 48. n. 4. & p. 10. n. 18. cur uni det gratiam efficacem, & non alteri. p. 115. n. 22. quomodo intelligendum illud; *facienti, quod est in se Deus non denegat gratiam.* p. 130. n. 1 tot. cap. XII. Dei gratia ad initium fidei necessaria est. p. 157. n. 1. tot. cap. IV. an habeat veram libertatem. p. 178. n. 17. an Deus sit causa effectrix peccati. p. 192. n. 1. tot. cap. IV. & V. Dei præcepta esse servatu impossibilia est propositio Jansenii. p. 210. n. 2. cui contrariatur S. Augustinus. *ibid.* n. 3. & seq. Deus neminem deserit, nisi prius deseratur. *ibid.* an interiori gratiæ Dei possit resisti in statu naturæ lapsæ. p. 215. n. 13. de voluntate Dei antecedente & consequente. p. 217. n. 19. & p. 227. n. 4. & seq. qualiter opera ut sint bona, ad Deum sint referenda. p. 250. n. 1. tot. cap. III. non potest Deus diligi super omnia sine gratia. p. 259. n. 4. & seq. quid sit diligere Deum, *ut oportet.* p. 261. n. 9. an Deus possit diligi super omnia sine gratia in statu naturæ puræ. p. 262. n. 13. Deus omnibus præparavit gratiam sufficientem. p. 281. n. 5 an hanc Dei gratiam omnes actu recipiant. p. 281. n. 6. & seq non Deus sed peccator est causa, si ipsi subtrahitur gratia. p. 290. n. 27. & seq. an Deus hominem justificans verè illi remittat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an possit remittere peccata sine gratia. p. 311. n. 9. Dei dilectionem debet præmittere adultus justificationi suæ. p. 314. n. 6. qualis detur Deum inter & hominem justitia. p. 323. n. 10. & seq. & p. 326. n. 15. an opus sit à nobis, quod sine gratia facere non possumus. p. 325. n. 12 13. & 14. an Deus per bona opera nostra recipiat emolumentum, vel honorem. p. 326. n. 16.
Dilectio : Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. p. 80. n. 1. & seq. qualem dilectionem ad miserit Pelagius. p. 81 n. 4. & 5. gratia actualis magis consistit in dilectione, quàm illuminatione. p. 89 n. 1. & seq. quid sit, & quàm necessaria sit delectatio, seu dilectio victrix p. 95. n. 5. & seq. per hanc superantur concupiscentiæ malæ. *ibid.* habet suos gradus, ita, ut modo sit efficax, modo sufficiens. p. 95. n. 5 & p. 98. n. 2 & seq. est autem efficax, vel sufficiens ex beneplacito divino. p. 99. n. 16. non tamen necessitat voluntatem nostram ad operandum. p. 99. n. 17. & seq. quomodo timor domini sit gratia, cùm omnis gratia sit dilectio. p. 100. n. 20. an Angeli, & Adam habuerint hanc dilectionem victricem. p. 103. n. 28. v. *gratia* nequit sine gratia haberi dilectio Dei super omnia. p. 259. n. 4 & seq. nec proximi. p. 261. n. 9. & seq. quid sit dilectio Dei, *ut oportet ibid.* an sine gratia dilectio Dei possit haberi in statu naturæ puræ. p. 262. n. 13. v *charitas.*
Diligo : non possumus sine gratia Deum diligere super omnia. p. 250. n. 4 & seq 9. nec proximum. p. 261. n 9. & seq quid sit diligere Deum, *ut oportet. ibid.* an possit Deus diligi sine gratia super omnia in statu naturæ puræ. p 262. n. 13.
Disgratia : an opera in se bona in statu disgratiæ facta sint peccata p. 244. n. 1. & seq.
Dispositio : an homo per solas naturæ vires possit facere dispositiones ad recipiendam gratiam supernaturalem. p. 131. n. 1. & seq. quæ distinctio inter dispositionem & meritum. p. 131. n. 1. & seq. quid dispositio positiva, quid negativa. *ibid.* adulti debent præmittere dispositionem ad fidem. p. 312. n. 1. & seq. de dispositione ad fidem. *ibid.*
Divinitas. Christi divinitatem negat Paulus Samosatensis. p. 64. n 1. & seq.
Doctor. quomodo in materia de necessitate gratiæ ad opus morale differant doctores Catholici à Novatoribus. p. 250. n. 2.
Doctrina. an homo per solum liberum arbitrium suppositâ doctrina legis possit servare præcepta omnia. p. 80. n. 1 & seq.
Dogma. quid sit dogma Catholicum p. 231. n. 1. quæstiones de iis dogmatibus dicuntur quæstiones juris. *ibid.* in his definiendis non potest errare Papa, vel Ecclesia. p. 131. n. 1. & seq. tot. cap. V. & VI.
Dogmaticus. Definitio Papæ circa facta dogmatica est firmissima. p. 231. n 1. tot. cap. V. & VI.
Dominium. quomodo S. Thomas explicet illud p. 177. n. 15.

E.

Ecclesia. in definiendis dogmatibus Catholicis est infallibilis. p. 231. n. 1. & seq. tot. cap. V. & VI. quid dicendum de factis personalibus *ibid.* Judicium Ecclesiæ damnantis Bajum, Jansenium, & Quesnellium, ac horum doctrinam est infallibile. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. an idem procedat in quæstionibus facti. *ibid.*
Effectrix. quænam causa sit effectrix peccati an voluntas, concupiscentia, Deus &c p. 192. n. 1. tot. cap. IV. & V.

Efficax : quid sit gratia efficax. p. 95. n. 5. quanta sit necessitas delectationis victricis, seu gratiæ efficacis. p. 95. n. 5. hanc S. Augustinus vocat adjutorium *quo*. p. 95. n. 5. sine hac nil boni operatur liberum arbitrium. p. 95. n. 6. est delectatio victrix. p. 96. n. 8. & seq. per hanc superantur concupiscentiæ malæ. *ibid.* gratia habet gradus, ita, ut modò sit efficax, modò sufficiens. p. 95. n. 5. & p. 98. n. 12. & seq. & hoc sit secundum beneplacitum Divinum. p. 99. n. 16. an detur gratia ab intrinseco efficax. p. 104. n. 1. & seq. an gratiæ efficacia dependeat à consensu liberi arbitrii. p. 105. n. 2. & seq. in quo consistat gratia efficax in sensu Congruistarum. p. 105. n. 3. & seq. an consistat in cumulo gratiarum. p. 106. n. 5. cur Deus uni det gratiam efficacem, & non alteri. p. 115. n. 22. an Adam & Angeli habuerint gratiam efficacem. p. 103. n. 28. & p. 116. n. 24. & seq. an etiam homini in statu naturæ integræ necessaria sit gratia efficax. p. 116. n. 24. & seq. refertur, & refutatur sententia Molinæ, p. 104. n. 1. tot cap. IX. quæ pericula ejus sententia subierit. p. 121. n. 1. & seq. quo anno hanc sparserit. quibus censuris sit affecta. *ibid.* sententia S. Augustini de gratia efficaci non est obnoxia errori Jansenii. p. 99 n. 17. & p. 121. n. 3. Sententia de gratia ab intrinseco efficaci stabilitur authoritate omnium Scholarum. p. 124. n. 8. 9. & 10. solvuntur objectiones contrariæ. p. 125. n. 1. tot. cap. XI. an gratia efficax tollat libertatem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 117. n. 27. & seq. item p. 125. n. 1. & seq. an gratiæ homo in statu naturæ lapsæ possit resistere. p. 215. n. 13. & seq. ulteriùs explicatur gratia efficax. p. 217. n. 18. & seq. & p. 226. n. 3.

Electio : an facta electione inutiles sint hortationes, & correctiones. p. 138. n. 1. v. *prædestinatio*.

Electus : an prædestinatus numerus Electorum possit augeri, vel minui. p. 138. n. 1. non pro his tantùm Christus est mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus*. cur non omnes sint electi. p. 225. n. 2.

Encratita : hi hæretici matrimonia damnârunt. p. 15. n. 9. admiserunt transmigrationem animarum. *ibid.*

Epigramma : referuntur epigrammata S. Prosperi circa materiam de gratia. p. 241. per tot. lib. XVIII.

Erasmus : an neget peccatum originale transire ad posteros Adam. p. 4. n. 1. ac p. 8. n. 14. & 15.

Eruditus. v. *Criticus*.

Esau : quòd hic sit reprobatus ob scelera ante unionem corporis cum anima, docet Origenes. p. 65. n. 4.

Eva : an posteri contraxissent peccatum originale, si sola Eva peccasset. p. 42. n. 20.

Excæcatus. v. *Obcæcatus*.

Excito : an gratia excitans distinguatur à præveniente. p. 94. n. 4.

Exercitium : an ad perfectam libertatem requiratur libertas Exercitii. p. 180. n. 22.

F.

FAcio: quid sit gratia gratum faciens. p. 94. n. 1.

Factum : definitio Papæ circa facta dogmatica est firmissima. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. quid sit quæstio facti. p. 231. n. 2. quotuplicia sint facta. *ibid.* an Papa, vel Ecclesia sit infallibilis in factis personalibus. an in quæstionibus facti. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI.

Faustus Reiensis fuit Coryphæus Semipelagianorum. p. 139. n. 3. & p. 148. n. 7. & seq.

Fidelis : non tantùm pro fidelibus Christus est mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus* : cuilibet fideli adest gratia orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda mandata p. 284. n. 12. & 13. ut autem acquiratur potentia orationis cum actu conjuncta, requiritur gratia efficax. p. 284. n. 14. & seq. v. *Justus*.

Fides : an fides, & votum à parentibus habitum prosit infantibus. p. 48. n. 5. an initium fidei sit ex nobis. p. 65. n. 3. & seq. & p. 131. n. 3. & seq. ac p. 138. n. 1. & seq. pariter p. 141. n. 2. Christi gratia ad initium fidei necessaria est. p. 157. n. 1. tot cap. IV. in quo sensu fides sit primus effectus gratiæ. p. 160. n. 10. an Semipelagiani non admiserint ullam gratiam necessariam ad initium fidei. p. 161. n. 1. tot. cap. V. & p. 221. n. 27. 28. & 29. quæstiones circa dogmata fidei dicuntur quæstiones Juris. p. 231. n. 1 in his non potest errare Papa, vel Ecclesia. p. 231. n. 1. & seq. tot. cap. V. & VI. an opera in se bona infidelium sint peccata ob defectum fidei. p. 244. n. 1. & seq. an infideli ad non peccandum sit necessaria fides habitualis. p. 247. n. 11. & seq non est de fide, quòd omnes actu recipiant gratiam sufficientem omnibus præparatam. p. 281. n. 6. & seq. contra Calvinum, & Lutherum asseritur necessitas dispositionis faciendæ ab adultis ad fidem suscipiendam. p. 312. n. 1. & seq. fides est prima dispositio ad justificationem. p. 313. n. 4. quæ timore & spe debet esse conjuncta. p. 313. n. 5. non sola fides justificat. p. 314. n. 1. tot. cap. V. & VI. qualis fides sit initium Justificationis nostræ. p. 316. n. 7. ad fidem necessaria sunt bona opera p. 312. n. 1. & seq. ac p. 321. n. 4. & seq. tot. cap. IV. V. & VI. quid sit certitudo fidei. p. 342. n. 13. an homo sine speciali revelatione possit habere certitudinem fidei, quòd sit in gratia sanctificante. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint per revelationem istam certitudinem fidei. p. 343. n. 16.

Fiducia non est prima dispositio ad fidem. p. 313. n. 4.

Filius : etiam filii Baptizatorum contrahunt originale peccatum. p. 24. n. 1. tot. cap. IV. quot modis nomen *Filii* Scriptura sumat. p. 27. n. 5. an filii contrahant peccata parentum. p. 40. n. 18. an filii decedentes sine Baptismo sint salvandi, si parentes loco eorum habuerunt votum suscipiendi illum. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12. v. *Parvulus*.

Frater : ad instantiam Fratrum Minorum Bajus est reprobatus ab Academia Parisiensi. p. 205. n. 2.

G.

GEnnadius fuit Dux Semipelagianorum. p. 139. n. 4. & p. 155. n. 24.

Genus. v. *Infidelis*.

Gerson : ejus sententia, quòd parvuli sine Baptismo salventur, si parentes habeant votum suscipiendi, rejicitur. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12.

Gnosticus : matrimonia ut mala rejecerunt Gnostici. p. 15. n. 9. admisêre transmigrationem animarum. *ibid.*

Gonet : qualiter hujus sententia de gratia differat ab opinione Jansenii. p. 161. n. 1.

Gradus habet gratia, ita ut modo sit efficax, modo sufficiens. p. 95. n. 5. & p. 98. n. 12. & seq.

Gratia : circa hanc hæresin docuit Origenes. p. 64. n. 1. & seq. quòd gratia detur secundùm merita no-

nostra, docuit Origenes. p. 65. n. 3. quas gratias agnoverit, & admiserit Pelagius. p. 72. n. 5. & 6. & p. 80. n. 1. & seq. Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. p 80. n. 1. & seq. Pelagius admittit gratiam remissivam peccati, & quidem internam, non solius extrinsecæ imputationis. p. 85 n. 1. & seq. non autem agnoscit gratiam adjuvantem ad vitanda peccata. *ibid.* idem asserebat, quòd homo acquirat gratiam remissivam peccati secundùm merita. *ibid.*

Gratia actualis quid sit. p. 89. n. 1. tot. cap. VII. actualis gratia etiam requiritur ad actus supernaturales. p. 87. n. 7. & seq. etiam justi indigent gratia actuali. *ibid.* an & Adam eâdem indigebat. p. 88. n. 9. potius consistit in delectatione quàm illuminatione. *ibid.* an gratia Dei consistat in motione quadam. p. 91. n. 6. an gratia sit qualitas. p. 92. n. 7. an gratia actualis sit ipsa voluntas, & beneplacitum Dei. p. 89. n. 1. & seq. quid sit gratia gratis data, & gratia gratum faciens. p. 94. n. 1. quid sit gratia præveniens, & subsequens. p. 94. n. 2. an à præveniente distinguatur operans vel excitans. p. 94. n. 3. & 4. an à subsequente differat cooperans & adjuvans. *ibid.* quid sit gratia congrua. p. 95. n. 5. quid sit gratia sufficiens & efficax. p. 95. n. 5. an omnis gratia sit gratia sufficiens. *ibid.*

Gratia efficax: quanta sit necessitas delectationis victricis seu gratiæ efficacis. p. 95. n. 5. hanc S. Augustinus vocat adjutorium *quo*. p. 95. n. 5. sine gratia efficaci nil boni operatur liberum arbitrium. p. 95. n. 6. eror Jansenii de gratia. *ibid.* gratia efficax est delectatio victrix. p. 96. n 8. & seq. quid sit gratia medicinalis. *ibid.* per gratiam efficacem vincit voluntas concupiscentias malas. p. 96. n. 8. gratia habet gradus, ita ut modo sit efficax, modo sufficiens. p. 95. n. 5. & p. 98 n. 12. & seq. & hoc fit secundùm beneplacitum divinum. p. 99. n. 16 & seq. quomodo timor Domini sit gratia, cùm omnis gratia sit Charitas p. 100. n. 20. an detur gratia ab intrinseco efficax. p. 104. n. 1 & seq. an gratiæ efficacia dependeat à consensu arbitrii nostri. p. 105. n. 2. & seq. in quo consistat gratia efficax in sensu Congruistarum. p. 105. n. 3. & seq. an gratia efficax consistat in cumulo gratiarum. p. 106. n. 5 & seq. cur Deus unidet gratiam efficacem & non alteri. p. 115. n. 22. an Adam & Angeli habuerint gratiam efficacem. p. 103 n. 28. & p. 116. n. 24. & seq. an gratia efficax sit æquè necessaria homini innocenti, ac lapso. p. 116. n. 24 & seq. Molinæ sententia rejicitur, quam tradidit de gratia efficaci. p. 104. n. 1. per tot. cap. IX. & p. 125. n. 1. & seq. quæ pericula ejus sententia subierit p. 121. n. 1. & seq. quo anno eam sparserit, quibus censuris sit affecta. *ibid.* sententia S. Augustini de gratia efficaci non est obnoxia errori Jansenii. p 99. n. 17. & p. 121. n. 3. gratiam ab intrinseco efficacem dari probatur authoritate omnium Scholarum. p. 241. n. 8. 9. & 10. objectiones contrariæ solvuntur. p. 125. n. 1. tot. cap. XI. quomodo intelligendum illud, *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* p. 130. n. 1. tot. cap. XII an homo per opera naturalia possit promereri gratiam supernaturalem de congruo p. 131. n. 1. & seq. an per eadem homo se possit disponere ad gratiam. *ibid.* an facta prædestinatione per gratiam inutiles sint hortationes, & correctiones. p. 138. n. 1. an gratia efficax tollat libertatem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 117. n. 27. & seq. item p 125. n. 1. & seq. pariter p. 142. n. 2. & 3. ac seq.

Gratiæ necessitas: an initium fidei sit ex nobis sine gratiæ prævenientis auxilio. p. 65. n. 3. & seq. & p. 131 n 3. & seq. item p. 138. n. 1. & seq. pariter 141. n. 2 denique p. 157. n. 1. tot cap. IV. quomodo fides sit primus effectus gratiæ. p. 160. n. 10. an Semipelagiani nullam gratiam interiorem necessariam dixerint ad initium fidei. p. 161. n. 1. tot cap V. & p. 221. n. 27. 28. & 29. quid desuper sentiat Jansenius p. 161 n. 1 idem docuit, impossibile esse servare præcepta divina sine gratia victrice. p. 203. n. 8 an homini justo desit gratia, sine qua aliqua præcepta Dei sunt servatu impossibilia. p. 210. n. 2. & seq. propositio Jansseniana est, gratiæ Dei interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resisti. p. 215. n 13. cui opponitur S. Augustinus. p. 215. n. 14. & seq. gratia efficax amplius explicaur. p. 217. n. 18. & seq. ac p. 216. n. 3. an gratia sufficiens in sensu Thomistarum sit verè sufficiens. p. 219. n. 22. & 23. an veritas quædam naturalis speculativa, vel practica possit cognosci sine gratia supernaturali. p. 241. n. 1. & seq. tot. cap. I. an etiam omnes veritates naturales *collective* Sumptæ p. 243. n. 6. an opera infidelium, & impiorum ex defectu statûs gratiæ sint mera peccata. p. 244. n. 1 & seq. qualis gratia infideli sit necessaria ad non peccandum. p. 247. n. 11. & seq. non datur perfecta virtus sine gratia. p 247. n. 10 nec infidelis sine gratia potest virtutem exercere p. 247. n 11. & seq. an ad opus moraliter bonum requiratur gratia. p. 249. n. 1. tot cap. III quomodo in materia hac differant Doctores Catholici à Novatoribus p. 250. n. 2. quid in eadem sentiat Vasquesius. p. 250. n. 3. gratia congrua explicatur. *ibid.* & seq. ostenditur gratiæ actualis necessitas ad servanda præcepta Decalogi p. 257. n. 1. tot. cap. IV. non possumus Deum diligere super omnia sine gratia. p. 259. n. 4. & seq. nec proximum. p. 261. n. 9. & seq. an sine gratia Deus posset diligi super omnia in statu naturæ puræ. p. 262. 13. propositiones Baij de graria. v. *Bajus*: gratia Christi est necessaria ad vitandum peccatum, & tentationes vincendas. p. 267. n. 1. tot. cap. V. imò etiam ad omnia peccata venialia. p. 296. n. 1. tot. cap. VI. an hoc etiam procedat de B. Virgine. p. 271. n. 4. & de S. Joanne Baptista. *ibid.* n. 5. donum perseverantiæ est gratia specialis. p. 273. n. 1. tot. cap. VII.

Gratia sufficiens: an gratia sufficiens omnibus detur. p. 279. n. 1. tot. cap. VIII. gratia sufficiens omnibus præparatur. p. 281. n 5. quòd eam præparatam omnes recipiant non est de fide. p. 281. n. 6. & seq. ad impurationem peccati non est necessaria actualis inspiratio divinæ gratiæ. p. 282. n. 8. & seq. an homini possit imputari peccatum sine gratia sufficiente. p. 282. n. 8. an meritum. *ibid.* Quid sit gratia orationis, & an omnibus detur. p. 279. n. 2. cuilibet fideli adest gratia orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda mandata. p. 284. n. 12. & 13. non item infideli. *ibid.* nullus habet potentiam orandi conjunctam cum actu sine gratia efficaci. p. 284. n. 14. & seq. gratia sufficiens subin denegatur ob humanum demeritum. p. 285. n. 17. & seq. an parvuli sine Baptismo decedentes habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 3. & p. 286. n. 18. ac seq. an infideles. p. 287. n. 20. & seq. an obdurati. p. 289. n. 24. & seq. non Deus, sed peccator est causa, cur ipsi subtrahatur gratia sufficiens. p. 290. n. 27. & seq. quid sit gratia creata, & increata. p. 292. n. 33. an peccata ex defectu gratiæ sufficientis commissa possint imputari ad culpam. p. 294.

294. n. 38. & seq. quodnam sit discrimen inter viatores, & damnatos à gratia alienos. p. 297. n. 49.

Gratia sanctificans quid sit. p. 299. n. 1. & seq. Pelagius non negavit gratiam sanctificantem, sed eam in sensu Catholico non admisit. p. 85. n. 1. & seq. Pelagius voluit, ut parvuli baptizentur ad obtinendam gratiam sanctificantem. p. 85. n. 2. quomodo conferatur. p. 300. n. 2. & 3. ac seq. per eam nobis communicatur Spiritus S. p. 300. n. 4. & seq. an gratia sanctificans distinguatur à charitate. p. 301. n. 7. & seq. Lutherani docent, eam conferri per solam remissionem peccatorum. p. 304. n. 1. & seq. Calviniſtæ verò eandem constituunt in imputatione justitiæ Christi. *ibid.* justificatur impius per gratiam & charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur & eis inhæret. p. 304. n. 2. & seq. an gratia sanctificans verè deleat, vel solum tegat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an Deus possit remittere peccata sine gratia. p. 311. n. 9. an gratia habitualis, & peccatum possint simul stare. p. 311. n. 10. quomodo adulti ad gratiam sanctificantem disponantur. p. 312. n. 1. tot. cap. IV. gratia sanctificans non obtinetur per solam fidem. p. 314. n. 1. tot. cap. V. hæc gratia facit opera de *condigno* meritoria. p. 323. n. 9. & seq. ac p. 329. n. 22. item p. 330. n. 26. quomodo vita æterna sit merces, & gratia. p. 325. n. 14. an opus sit à nobis, quod sine gratia facere non possumus. p. 325. n. 12. 13. & 14. qualiter opus meritorium sit factum auxilio gratiæ prævenientis. p. 328. n. 20. opera, quæ præcedunt gratiam sanctificantem, sunt meritoria *de congruo* p. 331. n. 1. & seq. opera autem subsequentia sunt meritoria *de condigno*. p. 332. n. 4. & seq. initium gratiæ Sanctificantis non possumus promereri. p. 336. n. 2. & seq. benè verò illius augmentum. *ibid.* perseverantiam in gratia Sanctificante etiam solùm ad tempus *de condigno* non possumus promereri. p. 336. n. 2. uti nec reparationem post lapsum. p. 336. n. 2. minus possumus promereri perseverantiam finalem in gratia Sanctificante. p. 336. n. 3. quare de condigno possimus promereri vitam æternam, & cur non perseverantiam finalem. p. 336. n. 4. an perseverantia finalis nec de congruo possit cadere sub meritum. p. 336. n. 5. justi possunt alijs obtinere de congruo gratiam sanctificantem. p. 337. n. 7. quas proprietates ei tribuant hæretici. 337. n. 1. an ea possit amitti. p. 337. n. 1. & seq. nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia sanctificante. p. 342. n. 13. an homo possit desuper habere certitudinem spei. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint revelationem, quòd sint in gratia sanctificante. p. 343. n. 16. gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis. p. 344. n. 19.

Gregorius XIII. damnavit Bajum. p. 205. n. 3. & seq.

Grunnius an etiam vocetur Rufinus. p. 67. n. 12.

H.

Habitualis gratia quid sit. p. 299. n. 1. & seq. Pelagius non negavit gratiam habitualem, sed eam in sensu catholicorum non admisit. p. 85. n. 1. & seq. Pelagius voluit, ut parvuli Baptizentur ad obtinendam gratiam habitualem. p. 85. n. 2. quomodo conferatur. p. 300. n. 2. & seq. per eam nobis communicatur Spiritus S. p. 300. n. 4. & seq. an gratia habitualis distinguatur à charitate. p. 301. n. 7. & seq. Lutherani docent, eam conferri per solam remissionem peccatorum. p. 304. n. 1. & seq. Calviniſtæ verò eandem constituunt in imputatione Justitiæ Christi. *ibid.* justificatur impius per gratiam & charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur, & eis inhæret. p. 304. n. 2. & seq. an gratia habitualis verè deleat, vel solùm tegat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an gratia habitualis, & peccatum simul stare possint. p. 311. n. 10. quomodo adulti ad gratiam habitualem disponantur. p. 312. n. 1. tot. cap. IV. gratia habitualis non obtinetur per solam fidem. p. 314. n. 1. tot. cap. V. hæc gratia facit opera *de condigno* meritoria. p. 323. n. 9. & seq. ac p. 329. n. 22. item p. 330. n. 26. opera, quæ præcedunt gratiam habitualem, sunt meritoria *de congruo*. p. 331. n. 1. & seq. opera autem subsequentia habent meritum *de condigno*. p. 332. n. 4. & seq. initium gratiæ habitualis non possumus promereri. p. 336. n. 2. & seq. benè verò illius augmentum. *ibid.* perseverantiam in gratia habituali etiam solum ad tempus de condigno non possumus promereri. p. 336. n. 2. uti nec reparationem illius post lapsum. *ibid.* minus possumus promereri perseverantiam finalem in gratia habituali. p. 336. n. 3. quare de condigno possimus promereri vitam æternam. non item perseverentiam finalem. 336. n. 4 an perseverantia finalis nec de congruo possit obtineri. p. 336. n. 5. justi possunt aliis promereri gratiam habitualem. de congruo. p 337. n. 7. potest. amitti p. 337. n. 1. & seq. quas proprietates in ea exigant heterodoxi. p. 337. n. 1. nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia habituali. p. 342. n. 13. an homo possit desuper habere certitudinem spei. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint revelationem, quòd sint in gratia habituali. p 343. n. 16. gratia habitualis non est æqualis in omnibus justis. p. 344. n. 19.

Hæreticus: Novatores hæretici constituunt peccatum originale in concupiscentia ipsa. p. 26. n. 1. & seq. quas conditiones requirant hæretici ad opus meritorium. p. 323. n. 9. & seq. quas proprietates attribuant gratiæ sanctificanti. p. 337. n. 1. & seq.

S. Hilarius Arelatensis an docuerit hæresin Semipelagianorum. p. 140. n. 5. item p. 153. n. 17. & seq.

Homo: An Adamo non peccante homines debuissent mori. p. 19. n. 1. & seq. an homo contraheret originale peccatum, si à Deo conderetur sine virili semine. p. 42. n. 20 quòd homo possit vivere sine omni peccato, docuit origenes. p. 65. n. 3. & 4. an homo reprobetur ob peccata comissa ante unionem cum corpore. p. 65. n. 4. an possit solis naturæ viribus legem servare. p. 80. n. 1. & seq. an homo acquirat gratiam remissivam peccati proportionatè ad merita. p. 85. n. 1. & seq. an etiam homini in statu naturæ integræ necessaria fuerit gratia efficax. p. 116. n. 24 & seq. quomodo intelligendum illud: *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* p. 130. n. 1. tot. cap. XII. an homo viribus, & operibus naturalibus possit promereri gratiam supernaturalem de congruo. p. 131. n. 1. & seq. vel an possit se naturæ viribus ad eam disponere. *ibid.* an initium fidei possit esse ab homine. p. 65. n. 3. & seq. & p. 131. n. 3. & seq. item p. 138. n. 1. & seq. pariter p. 141. n. 2. homo habet facultatem liberi arbitrii tam in civilibus, quàm in moralibus etiam post Adæ lapsum. p. 170. n. 1. tot. cap.

II. & III. non dantur duæ animæ in homine. p. 174. n. 9. an possit peccare in motibus indeliberatis. p. 178. n 16. est propositio Jansenii, quod homo justus non possit servare aliqua præcepta. p. 210. n. 2. contrarium docet S. Augustinus. p. 210. n. 3 & seq. an possit homo in statu naturæ lapsæ resistere gratiæ interiori Dei. p. 215. n. 13. & seq. in homine lapso requiritur ad meritum & demeritum libertas à necessitate. p. 220. n 24. 25. & 26. Jansenius negavit, Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus* an homo possit scrutari aliquam veritatem naturalem speculativam, aut practicam sine gratia supernaturali. p. 241. n. 1. tot. cap. I. an euam omnes veritates naturales *collective* sumptas. p. 243. n. 6. an homo possit facere opus moraliter bonum sine gratia speciali. p. 249. n. 1. tot. cap III. homo non potest sine gratia Deum diligere super omnia p. 259. n. 4. & seq. nec proximum. p. 261. n. 9. & seq. an homo in statu naturæ puræ possit Deum diligere super omnia sine gratia p 262. n. 13. homo per totam vitam sine speciali gratia, non potest vitare omnia peccata venialia. p. 269. n. 1. tot. cap. VI. debet nunquam desperare. 279. n 1. an omnes homines accipiant gratiam sufficientem p. 279. n. 1. tot. cap. VIII. ea omnibus est præparata. p. 281. n. 5. quòd autem omnibus actu detur non est de fide. p. 281. n. 6. & seq. gratia sufficiens subin homini denegatur ob demeritum. p. 285 n. 17. & seq non Deus, sed homo est causa, si ei denegetur gratia sufficiens. p. 290. n. 27. & seq an Deus hominem justificans vere illi remittat peccata. p. 309. n. 1. tot cap. III. qualis detur justitia Deum inter & hominem. p. 323 n. 10. & p. 326. n. 15. an possit spem ponere in bonis operibus suis. p. 335. n. 14. nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia sanctificante. p. 342. n. 13. an homo possit habere certitudinem spei. p. 342. n. 13 & seq. quinam habuerint revelationem de super. p. 343. n. 16.

Honor: an Deus per bona opera nostra recipiat emolumentum vel honorem. p. 326. n. 16.

Honorius Papa: an fuerit damnatus à Synodo Sexta tanquam Monothelita. p. 238. n. 8.

Hortatio: an facta electione per gratiam inutiles sint hortationes, & correctiones. p. 138. n. 1.

Hypostaticus v. *Unio*.

I.

Jansenius: ejus error de gratia P. 95. n. 6. & seq. & p. 99. n. 17. & seq. item p. 102. n. 26. Sententia S. Augustini de gratia efficaci non est obnoxia errori Jansenii. p. 99. n. 17. & p. 121. n. 2 an agnoverit aliquam gratiam necessariam ad initium fidei. p. 161. n. 1. an cum eo consentiant Gonet, & Franciscus Macedo. *ibid* negat libertatem, & quomodo differat à calvino & Manichæis. p. 174. n. 10. docuit hominem posse peccare per motus indeliberatos. p. 178. n. 16. contra eum propugnatur necessitas indifferentiæ liberi arbitrii ad meritum, & demeritum etiam pro statu naturæ lapsæ. p. 179. n. 18. & seq. & p 184. n. 8. & seq. tot. cap. II. & III. docuit circa indifferentiam arbitrii eundem errorem, quem Calvinus. p. 199. n. 1. Theologi negantes indifferentiam activam liberi arbitrii sunt Jansenistæ. *ibid.* quomodo huius propositiones damnatas explicent Theologi Portus Regii. p. 199. n 2. vita Jansenii. p. 201. n. 4. historia de quinque hujus damnatis propositionibus. p. 202. n. 5. quænam sint hæ propositiones. p. 202. n. 6 in quo sensu sint damnatæ. p. 203. n. 7. & 8. quantum distet doctrina SS. Augustini & Thomæ à falso errore Jansenii. *ibid.* & n. 10. male asserit, censuras contra Bajum factas esse adulterinas. p. 205. n. 1. & seq. quinque propositiones revera continentur in libro Jansenii. p. 209 n. 1. & seq. docuit aliqua Dei præcepta esse observatu impossibilia. p. 210. n. 2. cui se opponit S. Augustinus. p. 210. n. 3. de censuris hujus propositionis. p. 211. n. 4. solvuntur objectiones ipsius. p. 211. n. 5. & seq. idem docuit non posse resisti gratiæ Dei interiori in statu naturæ lapsæ. p. 215. n. 13. huic quoque contrarium docet S. Augustinus. *ibid.* n. 14. de censuris hujus sententiæ. p. 216. n. 15. refutantur objecta Jansenii. p. 216. n. 16. quomodo explicet adjutorium *quo*, & adjutorium *sine quo*. p. 215. n. 13. tertia hujus propositio est, quòd in statu naturæ lapsæ ad me- & demeritum non requiratur libertas à necessitate. p. 220. n. 24. contrarium tenet S. Augustinus. *ibid.* n. 25. censura quæ sit lata in hanc sententiam. *ibid.* n. 26. similiter declaratur quarta propositio de necessitate gratiæ ad initium fidei. p. 221. n. 27. 28. & 29. explicatur quinta propositio, quòd Christus non pro omnibus sit mortuus. p. 222. n. 30. contrarium docetur ex S. Augustino. *ibid.* n. 31, 32. & 33. censura quæ sit lata in hanc sententiam p. 223. n. 34. & seq. usque ad cap. IV. quoad ultimam propositionem vide *Christus*. contra eum probatur, definitionem circa facta dogmatica esse firmissimam, si fiat à Papa. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. uti etiam circa facta personalia. p. 232. n. 3. in causa Jansenii non potest appellari à sententia Papæ ad futurum concilium. p. 233 n. 8 Judicium Ecclesiæ damnantis hunc, & ejus doctrinam est infallibile. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. quomodo ejus doctrina differat à sententia quorundam Catholicorum negantium, omnibus æqualiter tribui gratiam sufficientem p. 281. n 4.

Iba: Historia de Iba, & ejus doctrina. p. 238 n. 7.

Ignis: an peccatum originale in altera vita puniatur igne infernali. p. 46. n. 1. & seq.

Illuminatio. v. *Illustratio*

Illustratio: qualem mentis illustrationem Pelagius admiserit, & qualem charitatem. p. 81. n. 4. & 5. qualis illustratio mentis à Christi gratia fiat. p. 80. n. 1. & seq. gratia actualis non tam consistit in illustratione, quàm dilectione p. 89. n. 1. & seq. omnibus à Deo dantur supernæ illustrationes. 281. n. 5.

Illyricus: defendit, quòd peccatum originale sit mala, ac perversa substantia. p. 26. n. 2. & seq.

Impeccantia: hanc possibilem docet Origenes. p. 65. n. 4. item & Pelagiani, cum Manichæis. p. 168. n. 1.

Imperator: etiam Imperatores damnârunt hæresin Pelagii. p. 77. n. 2.

Impetratio: an Sancti nobis impetrent beneficia per modum meriti, vel impetrationis. p. 328. n. 21.

Impius: v. *infidelis* vel *Peccator*.

Imputatio: Pelagius admittit gratiam remissivam peccati & quidem internam, non solius extrinsecæ imputationis. p. 85. n. 1. & seq. ad imputationem peccati non est necessaria actualis inspiratio divinæ gratiæ. p. 282. n. 8. & seq. justificatio nostra non fit per extrinsecam imputationem ju-

justitiæ Christi. p. 300. n. 2. ac p. 304. n. 1. & seq.

Indeliberatus v. *pecco*.

Indifferentia liberi arbitrii an spectet ad errores Pelagii p. 85. n. 13. quid sit libertas indifferentiæ. p. 125. n. 1. & seq. an tollatur hæc per gratiam efficacem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 177. n. 27. & seq. ac p. 125. n. 1. & seq. v. *libertas*. Theologi admittentes solam indifferentiam liberi arbitrii passivam, non item activam in errorem Jansenii incidunt. p. 199. n. 1.

Infallibilis v. *Ecclesia*.

Infans: an infantes sine Baptismo decedentes puniantur igne infernali. p. 46. n. 1. & seq. an salventur per fidem & votum parentum desiderantium pro filiis Baptismum, si opere suscipere non possunt. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12. an infantes decedentes sine Baptismo debeant comparere in Judicio. p. 51. n. 12. v. *Parvulus*.

Infernus: an detur locus tertius inter cœlum, & infernum pro parvulis sine Baptismo decedentibus. p. 46. n. 1. & seq.

Infidelis: quid dicendum de bonis operibus infidelium. p. 160. n. 10. etiam pro his Christus est mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus*. an opera infidelium in se bona sint peccata. p. 244. n. 1. & seq. eorum opera bona sunt à potiori infecta pravo fine. p. 246. n. 7. & seq. aut aliunde deficiunt. p. 247. n. 10. qualis gratia ei sit necessaria ad non peccandum. p. 247. n. 11. & seq. nec infidelis potest bonum quodcunque facere sine gratia p. 247. n. 11. & seq. & p. 264. n. 17. an possit servare mandata Dei sine gratia *ibid.* non habet gratiam orationis, ut posset impetrare auxilium sufficiens ad servanda mandata. p. 284. n. 12. & 13. an infideles habeant gratiam sufficientem. p. 287. n. 20. & seq.

Initium: an initium fidei sit ex nobis. p. 131. n. 3. & seq. & p. 65. n. 1. & seq. item p. 138. n. 1. & seq. pariter p. 141. n. 2. Christi gratia ad initium fidei necessaria est. p. 157. n. 1. tot. cap. IV. an Semipelagiani nullam putârint necessariam. p. 161. n. 1. tot. cap. V. & p. 221. n. 27. 28. & 29.

Inspiratio: Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. p. 80. n. 1. & seq. ad imputationem peccati non est necessaria actualis inspiratio divinæ gratiæ. p. 282. n. 8. & seq.

S. Joannes Baptista: an originale peccatum amiserit in utero materno. p. 61. n. 12. quòd ob merita propria sit sanctificatus in utero, docet Origines. p. 65. n. 3. an ad vitanda omnia peccata venialia opus habuerit gratia speciali. p. 271. n. 5.

S. Joannes Chrysostomus an docuerit hæresin Semipelagianam. p. 140. n. 5. v. *S. Chrysostomus*.

Jovinianus docuit acceptam in Baptismo gratiam non posse amitti. p. 337. n. 1.

Judæus: an peccatum Judæorum in crucifixione commissum fuerit originale. p. 43. n. 1. & seq. etiam pro his Christus est mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus*.

Judicium: an non Baptizati post extremum Judicium sint super terram. p. 46. n. 1. an iidem comparere debebunt in Judicio. *ibid.* tot. cap. VIII. & IX.

Julianus negat peccatum originale transire ad posteros Adæ. p. 4. n. 1. de ejus patria, consanguineis, & gestis. P. 73. n. 4. 5. & 6. an fuerit Episcopus. *ibid.*

Julius Cassianus: v. *Cassianus*.

Jus: Quæstiones circa dogmata fidei dicuntur quæstiones juris. p. 231. n. 1. in his definiendis non potest errare Papa vel Ecclesia. p. 231. n. 1. & seq. tot. cap. V. & VI.

Justificatio: an justificationis meritum sit ex nobis sine gratiæ auxilio. p. 138. n. 1. & seq. & p. 65. n. 1. & seq. item p. 131. n. 3. & seq. habet varias significationes. p. 300. n. 2. datur vera Justificatio. *ibid.* quæ non fit per extrinsecam imputationem justitiæ Christi. *ibid.* sed per justitiam inhærentem p. 300. n. 3. & seq. per hanc nobis communicatur Spiritus S. p. 300. n. 4. & seq. an gratia justificationis distinguatur à Charitate. p. 301. n. 7. & seq. Lutherani docent, eam conferri per solam remissionem peccatorum. p. 304. n. 1. & seq. Calviniste verò eandem constituunt in imputatione Justitiæ Christi. *ibid.* Justificatur impius per gratiam & Charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur, & eis inhæret. p. 304. n. 2. & seq. An Deus hominem justificans verè illi remittat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an gratia justificans, & peccatum possint simul stare. 311. n. 10. quomodo adulti ad justificationem disponantur. p. 312. n. 1. tot. cap. IV. justificatio non obtinetur per solam fidem. p. 314. n. 1. tot. cap. V. quæ fides sit initium nostræ justificationis. p. 316. n. 7. gratia justificans facit opera de *condigno* meritoria. p. 323. n. 9. & seq. ac p. 329. n. 22. item p. 330. n. 26. opera, quæ præcedunt justificationem, sunt meritoria *de congruo*. p. 331. n. 1. & seq. opera autem sequentia sunt meritoria *de condigno*. p. 332. n. 4. & seq. initium gratiæ justificationis non possumus promereri. p. 336. n. 2. benè verò illius augmentum. *ibid.* perseverantiam in gratia justificationis etiam solùm ad tempus de condigno non possumus promereri p. 336. n. 2. uti nec reparationem illius post lapsum. *ibid.* minùs possumus promereri perseverantiam in gratia justificante finalem. p. 336. n. 3. quare de condigno possimus promereri vitam æternam, & cur non perseverantiam finalem. p. 336. n. 4. an perseverantia finalis nec de congruo possit obtineri. p. 336. n. 5. justi possunt aliis promereri gratiam justificationis de congruo. p. 337. n. 7. quas proprietates heterodoxi requirant in justificatione. p. 337. n. 1. potest ammitti. p. 337. n. 1. & seq. nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia justificante. p. 342. n. 13. an homo possit desuper habere certitudinem spei. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint revelationem, quòd sint in gratia habituali. p. 343. n. 16. gratia justificationis non est æqualis in omnibus justis. p. 344. n. 19.

Justitia: an initium justitiæ sit ex nobis sine gratiæ auxilio. p. 138. n. 1. non datur perfecta justitia sine gratia p. 247. n. 10. an justificatio nostra fiat per extrinsecam imputationem justitiæ Christi. p. 300. n. 2. ac p. 304. n. 1. an per justitiam inhærentem. p. 300. n. 3. & seq. qualis detur justitia Deum inter & hominem. p. 323. n. 10. p. 326. n. 15.

Justus: etiam justi indigent gratia actuali. p. 87. n. 7. & seq. an etiam justis desit gratia, ad servanda omnia Dei præcepta, necessaria p. 210. n. 2. & seq. non deseritur à Deo. nisi prior Deum deserat. p. 210. n. 3. nec justus potest vitare omnia peccata venialia sine gratia speciali per totam vitam. p. 269. n. 1. tot. cap. VI cur justus dicatur templum Spiritûs Sancti. cur dicatur Signatus Spiritu Sancto. p. 301. n. 5. & 6. an justi possint

possint aliis promereri gratiam sanctificantem saltem de congruo. p. 337. n. 7 justus potest peccare, & peccando gratiam sanctificantem amittere. p. 338. n. 2. & seq. gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis. p. 344. n. 19.

L.

Lapsus: homo gaudet libero arbitrio etiam post lapsum Adæ. p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. libertas indifferentiæ est necessaria ad meritum & demeritum etiam post lapsum Adæ. p. 179 n. 18. & p. 184. n. 8. v. *Natura*. reparationem post lapsum non possumus de condigno promereri. p. 336. n. 2.

Lex. an homo possit solis naturæ viribus legem servare. p. 80. n. 1. & seq. non fecit Deus legem, quòd dare velit gratiam facienti, quod est in se. p. 133. n. 9. & seq.

Liber aliquis quotupliciter Possit esse apocryphus. p. 146. n. 2.

Liber: opinio de libero arbitrio à Pelagio habita explicatur p. 80. n. 1. & seq. an indifferentia liberi arbitrii spectet inter errores Pelagii. p. 85 n. 13. an gratiæ efficacia dependeat à consensu liberi arbitrii. p. 105. n. 2 & seq. an indifferentia liberi arbitrii tollatur per gratiam efficacem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 117. n. 27. & seq. item. p. 125. n. 1. & seq. pariter p. 142. n 3. & seq. an liberum arbitrium sit extinctum per culpam Adæ. p. 127. n. 4 & p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. qualis differentia inter voluntarium spontaneum, & liberum p. 171. n. 2. indifferentia liberi arbitrii non est merè passiva. p. 180. n. 23. negantes indifferentiam activam sunt Jansenistæ. p. 199. n. 1. v. *arbitrium*. qualiter opus meritorium sit liberum. p. 327. n. 19.

Libertas non tollitur per gratiam efficacem. p. 99. n. 17. & seq. ac p. 117. n. 27. item p. 125. n. 1. & seq. quid sit libertas indifferentiæ. *ibid.* & p. 170. n. 1. quid libertas à necessitate, à peccato, à miseria? quid libertas naturæ? quid libertas contingentiæ. *ibid.* quid sit libertas à coactione, & à necessitate. p. 171. n. 2 libertatem indifferentiæ seu à necessitate negant Lutherus & Calvinus admittentes solam libertatem à coactione. *ibid.* homo lapsus retinuit libertatem indifferentiæ seu à necessitate. p. 170. n. 1 tot. cap. II. & III. v. *arbitrium*. de essentia libertatis est posse agere, & non agere. p. 177. n. 13. de illius essentia non est, posse peccare, *ibid.* & seq. qualis libertas sit in sanctis, & qualis fuerit in Adamo. p. 177. n. 14. an Deus, Angeli, Beati, dæmones habeant veram libertatem. p. 178. n. 17. ac p. 282. n. 8. libertas indifferentiæ requiritur ad meritum, & demeritum etiam post lapsum Adæ. p. 179. n. 18. & seq. an ad perfectam libertatem requiritur libertas contrarietatis, vel contradictionis, vel specificationis, aut exercitii. p. 180. n. 21. & 22. libertas indifferentiæ non se habet merè passivè. p. 180. n. 21. & 22. negantes libertatem indifferentiæ activam favent Jansenio. p. 199. n. 1. ad meritum, & demeritum requiritur in statu naturæ lapsæ libertas à necessitate. p. 220. n. 24. 25. & 26. an ad mer- & demeritum sufficiat sola libertas sine gratia sufficiente. p. 282. n. 8. & seq.

Locus an detur locus medius cœlum inter & infernum pro parvulis sine Baptismo decedentibus. p. 46. n. 1. & seq.

Lovanienses v. *Academia*.

Lutheranus: hi dicunt, peccatum originale esse malam substantiam. p. 26. n. 1. & seq. horum opinio de peccato originali est longè alia, quàm est sententia S. Augustini. p. 32. n. 18. docent per culpam Adæ extinctum liberum arbitrium. p. 127. n. 4. contra hos probatur, in adultis requiri aliquam dispositionem ad fidem. p. 312. n. 1. & seq. contra hos probatur, omnia opera nostra non esse peccata, & fordes. p. 321. n. 1. & seq. Lutherani negant gratiam sanctificantem amitti nisi per apostasiam. p. 337. n. 1.

Lutherus: ejus vita & errores describuntur. p. 168. n. 2. & seq. contra hunc propugnatur facultas liberi arbitrii etiam post lapsum Adæ. p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. negat libertatem indifferentiæ, & admittit libertatem à coactione. p. 171. n. 2. asserit, quòd indifferentia liberi arbitrii se habeat merè passivè. p. 180. n. 3. docet, gratiam sanctificantem consistere in sola remissione peccatorum. pag. 304. n. 1. & seq.

M.

Macedo Franciscus: qualiter ejus sententia de gratia differat ab errore Jansenii. p. 161. n. 1. *Mandatum* v. *Præceptum*.

Manichæus: refutantur in opinione, quòd detur substantia in se mala à principio malo. p. 6. n. 3. conveniunt cum pelagianis in asserenda hominum impeccantia. p. 168. n. 1. refutantur à S. Augustino, dum negant liberum arbitrium. p. 173. n. 8. eosdem adstruentes duas animas in homine oppugnat. *ibid.* n. 9. quomodo omnia adscribant fato. p. 174. n. 10. quomodo conveniant cum Jansenio, & Calvino. p. 174. n. 10.

Marcio: damnavit matrimonia ut mala. p. 15. n. 9. admisit transmigrationem animæ. *ibid.*

S. MARIA. an contraxerit labem originalem. p. 38. n. 13. sine gratia speciali vitare potuit omnia peccata venialia. p. 271. n. 4. an recitârit. orationem dominicam. *ibid.*

Massilienses v. *Semipelagianus*.

Mathematicus: ad disciplinas mathematicas capessendas non requiritur gratia supernaturalis. p. 241. n. 1. tot. cap. I.

Matrimonium ab Encratitis est rejectum ùt proveniens à principio malo. p. 15. n. 9. admiserunt transmigrationem animarum. p. 15. n. 9. matrimonia non esse damnanda probatur. p. 21. n. 9.

Medicinalis gratia quid sit. p. 96. n. 8.

Medius: quomodo Scientiæ mediæ propugnatores explicent gratiam. p. 104. n. 1. & seq. usque ad lib. XV.

Mens: qualem mentis illuminationem admiserit Pelagius. p. 81. n. 4. & 5. Christi gratia mentem illuminat, & voluntatem adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. p. 80. n. 1. & seq.

Merces: quomodo Vita æterna sit gratia, & Merces. p. 325. n. 14. qualis sit proportio inter opus, & mercedem. p. 326. n. 15.

Meritum : quod gratia detur secundum merita nostra, docuit Origenes. p. 65. n. 2. 3. & 4. idem docuit Angelos obtinuisse diversa officia ob propria merita. p. 65 n. 3. & 4 an ob propria merita fuerit sanctificatus in utero Joannes Baptista. *ibid.* an Christus promeritus sit unionem hypostaticam. p. 65. n. 3 & 4. an gratia remissiva peccati detur secundum merita. p. 85 n 1. & seq. an ob merita naturalia detur gratia supernaturalis de congruo. p. 131. n. 1. & seq. quodnam sit discrimen inter dispositionem, & meritum. *ibid.* an ex proprio fidei & voluntatis merito gratia conferatur p. 138. n. 1. & seq. ex præscientia meritorum fieri prædestinationem, docent Semipelagiani. p 138. n. 1. iidem tenent, parvulos eligi ob merita, quæ facerent, si viverent. *ibid.* libertas indifferentiæ requiritur ad meritum, vel demeritum etiam post lapsum Adæ. p. 179. n. 18. & seq. & p. 184. n. 8. ad meritum sufficere libertatem à coactione, docuit Jansenius. p. 220. n. 24 25. & 26. an possimus meritum consequi sine gratia sufficienti. p. 282 n. 8. unde proveniat nomen meriti p. 322. n. 6 & 7. quid sit. *ibid.* quid sit meritum de *Condigno*: & *congruo*. p. 323. n. 8. quas conditiones ad meritum requirant hæretici p. 323. n. 9. & seq. qualiter meritum debeat esse undequaque perfectum. p. 323. n. 9. & 10. qualiter indebitum p. 324. n. 11. qualiter sit à nobis. p. 325. n. 12 13. & 14. an opus sit à nobis, quod sine gratia facere non possumus. *ibid.* qualis sit proportio inter meritum, & mercedem. p. 326. n. 15. an per merita nostra Deus recipiat emolumentum vel honorem. p. 326. n. 16 quas conditiones requirant Catholici ad meritum. p. 327. n. 17. & seq. qualiter opus sit bonum p. 327. n 18. qualiter liberum. p. 327. n. 19. qualiter sit supernaturale seu factum auxilio gratiæ prævenientis. p. 328. n. 20. qualiter requiratur status viæ. p. 328. n. 21. an Sancti nobis impetrent beneficia per modum meriti, vel impetrationis p. 328 n. 21. ad meritum qualis requiratur Charitas. p 329. n. 22. cur ad illud requiratur promissio divina. p. 329. n. 23. & 24. ultimò requiritur gratia habitualis. p. 330. n 26. quid requiratur ad meritum de *congruo*. p. 330. n. 27. opera, quæ præcedunt justificationem, habent meritum de *congruo*. p. 331. n. 1. & seq. opera autem subsequentia habent meritum de *condigno*. p. 332. n. 4. & seq. an homo in merita sua possit spem collocare. p. 335. n. 14. quæ merita possimus facere de *condigno*, & quæ de *congruo*. p. 335. n. 1. & seq. quænam gratiæ cadant sub meritum de condigno, & congruo. p. 336. n. 2. & seq.

Minor : F F.: Minorum operâ Bajum damnavit Academia Parisiensis. p. 205. n. 2.

Miseria: ex hujus vitæ miseriis probatur peccatum originale p. 19. n. 1 tot. cap. III. quid sit libertas à miseria. p. 170. n. 1.

Misericordia: an gratia Dei sit ipsa Misericordia. p. 89. n. 1. & seq.

Molina qualiter explicet gratiam sufficientem, & efficacem. p. 95. n. 5. ejus sententia de gratia efficaci rejicitur. p. 104. n. 1. & seq. tot. cap. IX. item p. 125. n. 1. & seq. tot. cap. XI quæ pericula ejus sententia subierit p. 121. n. 1. & seq. quo anno eam sparserit, quibus censuris sit affecta. *ibid.* ubi etiam refertur concertatio habita de hujus sententia inter Academiam Lovaniensem, & P. P. Societatis Jesu. p. 121. n. 1. & seq. contra eum pugnant omnes Scholæ. p. 124. n. 8. 9. & 10. docuit, Deum fecisse legem, aut pactum quod facienti quod est in se, non velit denegare gratiam. p. 133. n. 9. & seq. ejus sententia de gratia amplius explicatur. p. 216. n. 16. usque ad n. 24. qualiter doceat, Christum pro omnibus esse mortuum. p. 226. n. 3. & seq. usque ad cap. V.

Monachus : Adrumetini Monachi inciderunt in errorem Semipelagianorum. p. 139. n. 2.

Monothelita: an honorius Papa fuerit damnatus à Synodo Sexta ut Monothelita. p. 238 n. 8.

Mopsuestenus : v. *Theodorus.*

Moralis : homo habet facultatem liberi arbitrii in civilibus, & moralibus etiam post lapsum Adæ. p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III.

Morbidus : an peccatum Originale sit vitium ex morbida qualitate contractum. p 26 n. 1. & seq.

Mors : an Adamo non peccante homines mortem subire debuissent. p 19. n 1. & seq.

Motio : an gratia actualis consistat in motione aliqua. p 91. n. 6.

Mulier : cur semen mulieris & viri, & non alia semina dicantur immunda. p. 35. n. 4.

Mundus est causa peccati. p. 192. n. 1. & seq.

N.

Natura : an homo possit solis naturæ viribus legem servare. p. 80. n. 1. & seq. an iisdem possit promereri gratiam supernaturalem de congruo. p. 131. n. 1. & seq. an homo possit se per solas naturæ vires ad gratiam disponere. *ibid.* quid sit libertas naturæ. p. 170. n. 1. an in statu naturæ lapsæ possit resisti gratiæ Dei interiori. p. 215. n. 13. & seq. in eodem ad mer- vel demeritum requiritur libertas à coactione, & necessitate. p. 220. n. 24. 25. & 26. an Deus possit diligi super omnia sine gratia in statu naturæ puræ. p. 262. n. 13.

Naturalis veritas : v. *veritas.*

Necessitas : v. *arbitrium* vel *voluntas.* quid sit libertas à necessitate p. 170. n. 1. v. *libertas*

Novatores Hæretici dicunt, peccatum originale esse ipsam concupiscentiam. p. 26. n. 1. & seq. quomodo in materia de necessitate gratiæ ad opus morale differant Doctores Catholici à Novatoribus. p. 250 n. 2.

Numerus prædestinatus Electorum an possit augeri. & minui. p. 138. n. 1.

Nuptiæ v. *Matrimonium.*

O.

Obcæcatus : an non tantùm obcæcatis, sed etiam justis desit gratia necessaria ad servanda præcepta Dei. p. 210. n 2 & seq. an habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 2. & p. 281. n. 4. 6. & seq. item p. 289. n. 24. & seq.

Obduratus: v. *Obcæcatus.*

Odium peccati est conditio necessaria ad justificationem adulti. p. 314. n. 6.

Officium : Angelos diversa obtinuisse officia ob propria merita, docuit Origenes. p. 65. n. 3. & 4.

Operor : an gratia operans sit eadem cum præveniente. p. 94. n. 3. quid sit potentia remota, remotissima, & proxima ad operandum requisita. p. 213. n. 8.

Opus : an homo possit per opera naturalia promereri gratiam supernaturalem de congruo. p. 131. n. 1. & seq. an per eadem se possit ad gratiam disponere. p. 131. n. 1. & seq. v. *meritum.* quid dicendum

dum de bonis operibus infidelium. p. 160. n. 10. non omnia opera infidelium sunt peccata. p. 244. n. 1. & seq. eorum opera bona sunt à potiori infecta pravo fine. p. 246 n 7. & seq. aut aliunde deficiunt. p. 247. n. 10. nec infidelis, aut impius potest bonum quodcunque facere sine gratia p. 247. n 11. & seq. an ad opus moraliter bonum requiratur gratia divina. p. 249 n 1. cap. III. quomodo in hac quæstione differant Doctores Catholici, & Quænellius ac Bajus. p. 250. n. 1 & 2. quid in eadem sentiat Vasquesius. p. 250. n. 3. an quodlibet opus, ut sit bonum, debeat referri ad Deum. p. 250. n. 1. & seq. tot. cap. III. ad fidem necessaria sunt bona opera · p. 312. n. 1. & seq. tot. cap. IV. V. & VI. contra Lutherum, & Calvinum probatur omnia opera nostra non esse sordes, & peccata. p. 321. n. 1. & seq. quas conditiones ad opus meritorium requirant hæretici p. 323. n. 9. & seq. qualiter opus bonum debeat esse undequaque perfectum. p. 323. n. 9. & 10. qualiter indebitum. p. 324. n. 11. qualiter sit à nobis p. 325. n. 12. 13. & 14. an opus sit à nobis, quod sine gratia Dei facere non possumus. *ibid.* qualis sit proportio inter opus, & mercedem. p. 326 n. 15 an per opera bona Deus recipiat emolumentum, vel honorem p. 326. n. 16. quas conditiones requirant Catholici ad opus bonum. p. 327. n. 17. & seq. qualiter opus sit bonum. p. 327. n. 18. qualiter liberum. p. 327. n. 19. qualiter sit supernaturale, seu factum gratiæ prævenientis auxilio. p 328. n. 20. qualiter requiratur status viæ. p. 328. n. 21 ex quali charitate debeat procedere. p. 329. n. 22. qualiter requiratur promissio divina. p. 329 n. 23. & 24. ultimò requiritur gratia habitualis. p 330. n. 26. quid requiratur ad opus meritorium *de congruo*. p. 330. n. 27. opera, quæ præcedunt justificationem nostram, sunt meritoria *de congruo*. p. 331. n. 1. & seq. opera autem subsequentia sunt meritoria *de condigno*. p. 332. n. 4. & seq. an homo possit spem ponere in bonis operibus suis. p. 335. n. 14.

Oratio Dominica an fuerit recitata à B. Virgine Maria. p. 271. n 4. quomodo in oratione dominica petatur donum perseverantiæ. p 275. n. 6. quid sit gratia orationis, & an omnibus detur p. 279. n. 2. cuilibet fideli, non item infideli adest gratia Orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda præcepta. p. 284 n. 12. & 13. nullus habet potentiam orationis conjunctam cum actu sine gratia efficaci. p. 284. n. 14. & seq.

Origenes : an sit auctor hæresis Pelagianæ. p. 64. n. 1. & seq. circa gratiam docuit hæreticam sententiam. *ibid.* docuit varios errores. *ibid.* negavit peccatum originale. p. 4. n. 1. & p. 64. n. 1. & seq.

Originale : quòd peccatum Originale ab Adam in posteros ejus transfundatur, demonstratur ex S. Scriptura. p. 4. n. 1. tot. cap. I. hanc transfusionem plures negant Hæretici. p. 4. n. 1. ob hoc parvulis fuit necessaria circumcisio, prout modo est Baptismus. *ibid.* solvuntur plures objectiones *ibid.* eadem transfusio probatur ex SS. Patribus & Conciliis cum refutatione objectionum. p. 12. n. 1. per tot. cap II. id ipsum probatur ex hujus vitæ miseriis. p. 19. n. 1. tot. cap. III. Originale peccatum qualiter sit posteris voluntarium. p. 22. n. 12. & seq. Originale peccatum etiam contrahitur à filiis Baptizatorum. p. 24. n. 1. tot. cap. IV. quid sit originale peccatum. p 26. n. 1. tot. cap. V. an sit mala ac perversa substantia. p. 26. n. 2. & seq. fortitur varia nomina in Scripturis. p. 27. n. 4. an peccatum originale sit ipsum peccatum Adami personale. p 28. n. 7 est peccatum habituale. p. 29. n. 9. de materia & forma peccati originalis. *ibid.* & seq. quid post Baptismum remaneat de peccato Originali. p. 32. n. 17. in peccato originali concupiscentia est pœna peccati, peccatum, & causa peccati. p. 33. n. 19. quomodo peccatum originale sit derivatum in posteros. p. 34. n. 1. tot. cap. VI. cur Christus illud non contraxerit. p. 35 n. 4. Originale peccatum non transiit in posteros ob aliquod pactum. p. 37. n. 10. an B. Virgo hoc peccatum contraxerit. p. 38. n. 13. an posteri præter peccatum originale contrahant etiam peccata parentum. p. 40 n. 18. an peccatum originale homines contraxissent, si Adam non peccâsset, benè verò Cain. p. 42. n. 20. an haberet hoc peccatum homo sine virili semine à Deo productus. p. 42. n. 20. an posteri contraxissent illud, si solus Adam, vel sola Eva peccâsset p. 42. n. 20. an peccatum Judæorum fuerit originale. p. 43. n. 1. & seq. quodnam sit discrimen inter peccatum originale & actuale. p. 44. n. 5. de pœnis in altera vita peccato originali correspondentibus. p. 46. n. 1. tot. cap. VIII & IX. an deleatur per votum à parentibus habitum de Baptismo à prolibus suscipiendo. p. 48. n. 5 & p. 61. n. 12. an cum hoc decedentes debeant comparere in Judicio. p. 51. n. 12. an S. Joannes Baptista fuerit ab Originali macula purgatus in utero materno. p. 61. n. 12. Origenes negavit peccatum originale. p. 4. n. 1. & p. 64. n. 1. & seq. & cur. p. 72. n. 4.

P.

Pactum : an originale peccatum transierit in posteros vi alicujus pacti. p. 37. n. 10. an Deus fecerit pactum dandi gratiam homini facienti, quod est in se. p. 131. n. 9.

Pamphilus an fuerit Pelagianus. p. 66. n. 6.

Papa : Definitio Papæ circa dogmatica facta est firmissima. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. an etiam circa facta personalia. *ibid.* an licita appellatio à Papæ sententia ad futurum concilium. p. 233 n. 7. & 8 hujus judicium damnantis Bajum, Jansenium, & Quenellium, ac horum doctrinam est infallibile. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. an idem etiam procedat in quæstionibus facti. *ibid.*

Parens : an filii contrahant peccata Parentum. p. 40. n. 18. an filii sine Baptismo decedentes salventur, si parentes habuerunt votum suscipiendi Baptismum. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12.

Parisiensis Academia v. *Academia*.

Parvulus : circumcisio fuit parvulis necessaria, sicut modo Baptismus ob transfusionem peccati originalis. p. 4. n. 1. & seq. quænam pœnæ eos exspectent, si sine Baptismo discedant. p 46. n. 1. & seq. an iis utile sit, si parentes habuerunt votum de Baptismo suscipiendo. p. 48. n. 5. & p. 61. n. 12. an debeant comparere in Judicio. p. 51. n. 12. an parvuli sine circumcisione decedentes sint damnati. p. 62. n. 13. eos eligi ob opera, quæ facturi essent, si viverent, docent Semipelagiani. p. 138. n. 1. etiam pro parvulis Christus est mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. & p. 227 n. 5. v. *Christus*. an parvuli in utero materno decedentes habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 3. & p. 286. n. 18. & seq. an in his requiratur dispositio ad fidem. p. 312. n. 1. & seq.

Pascha-

Paschasius Quenellius. v. *Quenellius.*
SS. Patres : probatur ex iisdem transfusio peccati originalis in posteros Adæ cum solutione objectionum. p. 12. n. 1. per tot. cap. II.
S. Paulus non docet solam fidem justificare. p. 314. n. 1. & seq.
Paulus Samosatensis. an sit auctor hæresis Pelagianæ. p. 64. n 1. & seq. negat Christi divinitatem. *ibid.*
Peccator : an omnia Peccatoris opera sint peccata. p. 244. n. 1. & seq. à potiori ejus virtutes sunt infectæ malo fine. p. 246. n. 7. & seq. aut saltem aliunde deficiunt. p. 247. n 10. qualis gratia ei sit necessaria ad non peccandum. p. 247. n. 11. & seq. nec peccator potest sine gratia bonum quodcunque facere. p. 247. n. 11. & seq. non Deus, sed peccator est causa, si ei subtrahitur gratia sufficiens p. 290. n. 27. & seq. justificatur peccator per gratiam, & charitatem, quæ per Spiritum S. diffunditur in cordibus, & eis inhæret. p. 304. n. 2. & seq. an Deus peccatorem justificans verè illi remittat peccata. p. 309. n. 1. tot cap III.
Peccatum omne includit materiale, & formale. p. 29. n 9. quale discrimen inter peccatum actuale, & habituale. *ibid* an posteri obligentur noxa originali, & peccatis parentum. p. 40. n. 18. an peccatum Judæorum crucifigentium Dominum fuerit originale. p. 43. n. 1. & seq. quodnam sit discrimen inter peccatum actuale, & originale. p. 44. n. 5. quòd homo possit vivere sine omni peccato, docuit Origenes. p. 65. n. 3. & 4. an anima reprobetur ob peccata commissa ante unionem cum corpore p. 65. n. 4. Pelagius admittit gratiam remissivam peccati, & quidem internam, non solius extrinsecæ imputationis. p. 85. n. 1. & seq. non autem agnovit gratiam adjuvantem ad vitanda peccata. *ibid.* idem asserebat, quòd homo acquirat gratiam remissivam peccati secundùm merita. *ibid.* quid sit libertas à peccato. p. 170 n. 1. quænam causæ sint? an voluntas, concupiscentia, Deus &c. p 192. n. 1 & seq. tot cap. IV. & V. peccatum est nihil, seu defectus. p. 194. n. 7. & seq. ad peccatum requiritur libertas arbitrii. p. 220. n. 24. 25 & 26. non omnia opera infidelium sunt peccata. p. 244. n. 1. & seq. gratia fœlvatoris est nobis necessaria ad vitandum peccatum. p. 267. n. 1 tot. cap. V. imò etiam ad omnia peccata venialia vitanda. p 269. n. 1. tot. cap. VI. an hoc etiam procedat de B Virgine. p. 271. n. 4. & de S. Joanne Baptista. *ibid.* n. 5. ad imputationem peccati non est necessaria actualis divinæ gratiæ inspiratio. p. 282. n. 8. & seq. nec collatio gratiæ sufficientis *ibid* an peccata ex defectu gratiæ sufficientis commissa imputentur ad culpam. p. 294. n. 38. & seq. quodnam sit discrimen inter damnatos & viatores per peccatum à gratia alienos. p. 297. n. 49. gratia sanctificans non consistit in sola remissione peccatorum. p. 304. n. 1. & seq. an Deus hominem justificans verè illi remittat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an Deus possit remittere peccata sine gratia. p. 311. n. 9. an gratia sanctificans & peccatum possint simul stare. p. 311. n. 10. odium peccati est conditio necessaria ad justificationem adulti. p. 314. n. 6. omnia opera nostra non sunt peccata & sordes. p. 321. n. 1. & seq.

Peccatum originale probatur ex S. Scriptura, quòd peccatum originale ab Adam in posteros ejus transfundatur. p. 4. n. 1. tot. cap. I. hanc transfusionem plures negant Hæretici. p. 4. n. 1. ob hoc parvulis est necessarius Baptismus, ut olim fuit circumcisio. *ibid.* solvuntur objectiones plures. *ibid.* eadem transfusio probatur ex SS. Patribus, & Conciliis cum responsione ad objectiones. p. 12. n. 1. per tot. cap. II. hoc. ipsum probatur ex hujus vitæ miseriis. p. 19. n. 1. tot. cap. III. qualiter peccatum originale sit posteris voluntarium. p. 22. n. 12. & seq. originale peccatum etiam contrahitur à filiis Christianorum p 24. n. 1. tot. cap. IV. quid sit peccatum originale. p. 26. n. 1. tot cap. V. an peccatum originale sit mala, & perversa substantia. p. 26. n. 2. & seq. an vitium ex morbida qualitate contractum. p 26 n. 1. & seq. cur peccatum originale vocetur. *figmentum cordis malum*: *Vetus homo*: *Semen serpentis, caro*: *Adam terrenus &c* p 27 n. 4. peccatum originale non est ipsum peccatum Adami personale. p. 28. n. 7. & seq peccatum originale est peccatum habituale. p. 29. n. 9 de materia, & forma peccati Originalis. *ibid.* & seq. quid post Baptismum remaneat de peccato originali. p. 32. n. 17. concupiscentia in peccato originali est pœna peccati, peccatum, & causa peccati. p. 33. n. 19. quomodo peccatum originale sit derivatum in posteros. p. 34 n. 1. tot. cap. VI. cur Christus illud non contraxerit. p 35. n. 4. peccatum originale non transiit in posteros ob pactum aliquod. p. 37. n. 10. an B. Virgo contraxerit hoc peccatum. p. 38. n. 13. an posteri præter peccatum originale contrahant etiam peccata parentum p. 40. n. 18. an posteri contraxissent peccatum originale, si Adam non peccâsset, sed Cain. p. 42. n. 10. an haberet hoc peccatum homo sine virili semine Productus. p. 42. n 20 an posteri contraxissent illud, si solus Adam, aut sola Eva peccâsset. *ibid.* an peccatum Judæorum fuerit originale. p. 43. n. 1. & seq. quodnam sit discrimen inter peccatum originale & actuale. p. 44. n .5 de pœnis in altera vita peccato originali correspondentibus. p. 46. n. 1. tot. cap. VIII. & IX. an deleatur per votum recipiendi Baptismum à parentibus habitum. p. 48. n. 5. & p. 6 . n. 12. an S. Joannes Baptista ab hoc fuerit liberatus in utero materno. p. 61. n. 12. an cum peccato hoc decedentes debeant comparere in Judicio. p. 51. n. 12. Origenes negat hoc peccatum p. 4 n. 1. & p. 64. n. 1. & seq. & cur. p. 72. n. 4.
Pecco : an sit de essentia libertatis, posse peccare p. 177. n. 13. & seq an homo peccet per motus indeliberatos. p. 178. n. 16. qualis gratia sit necessaria infideli, aut impio ad non peccandum. p. 247. n. 11. & seq. justus potest peccare, & peccando perdit gratiam sanctificantem. p. 338. n. 2. & seq.

Pelagius negat peccati originalis transfusionem in posteros Adæ. p. 4. n. 1. & n. 12. item p. 9. n. 17. ac p 64. n. 1. & seq. & cur. p. 72. n. 4. el consentit Manichæus. p 168 n 1. Pelagius malè distinguit vitam æternam à Regno cælorum. p. 10. n. 18. ejus objectiones contra transfusionem dictam solvuntur. *ibid.* & seq. adversus hunc peccatum originale probatur ex antiquis S. S. Patribus. p. 12. n. 1. & seq. præcipuè ex S. Chrysostomo, qui per injuriam dicitur Pelagio adhæsisse. p. 13. n. 3. & p. 16. n. 10 & 11. contra Pelagium probatur peccatum originale ex hujus vitæ miseriis cum solutione objectionum ipsius p. 19. n. 1 tot. cap III. ejus sententia de pœnis peccati originalis in altera vita. p 46. n 1. per tot. cap. VIII. & IX. à quo hujus hæresis habeat originem. p. 64. n. 1. & seq. an Pamphilus Pelagio fuerit addictus p. 66. n. 6. de ejus patria. p. 70. n. 1 an fuerit Monachus. p. 70. n. 2. an Abbas, aut Episcopus. *ibid.* de ejus gestis, & scriptis. p. 70. n. 3. de ejus falsis dogmatibus p. 71.

71. n. 4. quas gratias admiserit. p. 72. n. 5. de statibus illius hæresis. p. 73. n 6. de Cœlestio, Juliano Pelagianis. p. 73. n. 1. & seq. ejus hæresis multipliciter rejecta & damnata est. p. 77. n. 1. & seq. in primo statu suæ hæresis docet hominem posse solis naturæ viribus legem servare. p 80. n. 1. & seq. negat, perseverantiam esse donum speciale. p. 274. n. 3. docuit acceptam in Baptismo gratiam non posse amitti. p. 337. n. 1. docuit, suppositâ doctrina legis ad servanda præcepta sufficere liberum arbitrium. p. 80. n. 1 & seq. admisit gratiam ad facilius, sed non ad simpliciter posse. p 81. n. 4. idem admisit gratiam internæ illuminationis. p. 81. n. 5. negat dari Christi Gratiam adjuvantem voluntatem per inspirationem sanctæ dilectionis. p 80. n. 1. & seq. an indifferentia liberii arbitrii sit error Pelagii. p. 85. n. 13. agnovit gratiam habitualem, sed non in sensu recto. p. 85. n 1. & seq. voluit, ut filii ad consequendum gratiam sanctificantem baptizentur. p. 85. n. 2. admittit gratiam remissivam peccati, & quidem internam, non solius extrinsecæ imputationis. *ibid.* agnovit minimè gratiam adjuvantem ad vitanda peccata. p 87. n. 1. & seq. idem asserebat, quòd gratia remissiva peccati detur secundùm merita p 85 n 1. & seq quid sit gratia actualis, quam Pelagius negat. p 89. n. 1. & seq. cum Pelagianis conveniunt Manichæi in asserenda hominum impeccantia. p 163. n. 1 & Pelagianos, & Manichæos negantes liberum arbitrium refutat S. Augustinus. p. 173. n. 8. & seq. tot. cap. II. & III.

Perfectio est duplex. p. 272. n. 7.

Perseverantia: an donum perseverantiæ æquè necessarium sit homini in statu naturæ innocentis, ac lapsæ. p. 116. n 24 & seq. an sit donum speciale facta priùs prædestinatione p. 138. n. 1. cur Deus non omnibus det perseverantiam. p. 225. n. 2. & p. 275. n. 9 & seq. quid sit. p. 273. n. 1. quid ad eam requiratur. p. 274. n. 2. Pelagiani, & Semipelagiani negant esse donum speciale. p. 274. n. 3. probatur esse donum specialissimum. p. 274. n 4. & seq. quomodo ea petatur in oratione dominica. p. 275. n. 6. perseverantiam in gratia habituali etiam solùm ad tempus non possumus de condigno promereri. p. 336. n. 2. minùs perseverantiam finalem. p. 336. n 3. cur possimus de condigno promereri vitam æternam, non item gratiam finalem. p. 336 n. 4. an perseverentia finalis nec de congruo possit obtineri. p. 336. n. 5.

Personalis v. *Papa.*

S. Petrus Apost. de ejus lapsu. p. 213. n. 7. & 8.

Phereponus: ejus objectiones circa peccatum originale ad posteros Adæ transfusum solvuntur. p. 4 n. 1. & seq. idem refutatur circa explicationem gratiæ efficacis. p. 187. n. 15. & seq.

Philosophia: ad capessendas disciplinas Philosophiæ non requiritur gratia supernaturalis. p. 241. n. 1. tot. cap. I.

Pighius: ejus opinio circa definitionem peccati originalis rejicitur. p. 28. n. 7 & seq. ejus opinio de pœnis originali peccato correspondentibus in altera vita. p. 46. n. 1. & seq.

Pius: v. *Justus.*

Pius V. damnavit Bajum. p. 205. n. 3. & seq.

Pœna: de pœnis Parvulorum sine Baptismo decedentium. p. 46. n. 1. & seq.

Portus: v. *Theologus.*

Posteri: peccatum originale in Posteros transiisse, probatur ex S. Scriptura. p. 4. n. 1. tot. cap. I. hanc transitionem plures negant Hæretici. *ibid.* n. 1. probatur ob hanc transfusionem necessitas circumcisionis, & modò Baptismi p. 4. n. 1. solvuntur plures objectiones. *ibid.* eadem transfusio probatur ex SS. Patribus, & Conciliis cum solutione objectionum. p 12. n. 1. tot cap II illa ipsa probatur ex hujus vitæ miseriis. p. 19 n. 1. tot. cap III. qualiter peccatum originale sit posteris voluntarium. p. 22. n. 12. & seq. quomodo peccatum originale sit transfusum in posteros. p. 34. n 1. tot. cap VI. v. *originale* an posteri obligentur noxa originali, & peccatis parentum. p. 40. n. 18. posteri Adæ etiam post lapsum illius gaudent libero arbitrio. p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III.

Potentia: quid sit potentia remotissima, remota, & proxima. p. 213. n. 8.

Practicus: quid veritas practica. v. *veritas.*

Præceptum: an homo per solum liberum arbitrium possit servare omnia præcepta. p. 80. n. 1. & seq. an impossibile servare præcepta divina sine gratia victrice p. 203. n 8. Dei præcepta esse observatu impossibilia, est propositio Jansenii p. 210. n. 2. cui contradicit S. Augustinus. *ibid* n 2. & seq. ostenditur gratiæ necessitas ad servanda præcepta decalogi. p 257 n. 1. tot cap. IV. cuilibet fideli adest gratia orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda præcepta. p. 284. n. 12. & 13. non item infideli. *ibid.*

Prædestinatio: eam fieri ex meritorum præscientia, docent Semipelagiani. p. 138. n. 1. an ea facta inutiles sint correctiones, & hortationes. *ibid.* facta hac prædestinatione docent Semipelagiani donum perseverantiæ non esse speciale Dei donum. p. 138. n. 1. an per eam Deus fiat causa efficiens peccati. p. 194. n. 7. & seq. cap IV. & V. v. *prædetermino*

Prædetermino: an detur gratia victrix & prædeterminans. p. 104. n. 1 & seq. tot cap. IX. v. *gratia* an præde erminatus numerus Electorum possit augeri, vel minui. p. 138. n. 1. gratia determinans amplius explicatur. p. 216. n. 16 & seq. usque ad n. 24. an Christus pro solis prædeterminatis sit mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus.* cur non omnes sint prædeterminati. p. 225. n. 2.

Præscientia v. *prædestinatio.*
Prævenio : quid sit gratia præveniens. p. 94. n. 2. an sit distincta ab Operante, vel excitante. p. 94. n. 3. & 4. de hujus gratiæ necessitate. p. 104. n. 1. & seq. est gratia præveniens necessaria ad initium fidei. p. 157. n. 1. tot. cap. IV.
Principium : non datur principium bonum & malum. p. 56. n. 6.
Promissio Divina requiritur ad opus meritorium. p. 329. n. 23. & 24. v. *pactum*
Propagatio : per propagationem seminalem transfunditur peccatum originale in posteros. p. 35. n. 4.
Propositio v. *Jansenius.* vel *Bajus.*
B. Prosper oppugnavit hæresin Semipelagianorum. p. 140. n. 6. quæ opera contra eam ediderit. an fuerit Episcopus. *ibid.* referuntur ejus Epigrammata circa materiam de gratia. p. 241. n. 1. per tot. lib. XVIII.
Proximus : an possimus diligere proximum sine gratia. p. 261. n. 9. & seq.
Puer v. *Parvulus.*
Purus v. *Natura.*

Q.

Quæstio : quæstiones circa dogmata fidei, dicuntur quæstiones Juris. p. 231. n. 1. in his non potest errare Papa, vel Ecclesia. *ibid.* & seq. tot. cap. V. & VI. quid dicendum de quæstionibus facti. *ibid.*
Qualitas : an peccatum originale sit vitium ex morbida qualitate contractum. p. 26. n. 1. & seq. an gratia sit qualitas. p. 92. n. 7.
Quenellius : hujus vita describitur. p. 204. n. 9. ejus errores. p. 204. n. 9. & 10. in causa Quenellii non potest appellari à sententia Papæ ad concilia. p. 233 n 8. judicium Ecclesiæ damnantis Quenellium, ac ejus doctrinam est infallibile. p. 231. n. 1. tot. cap. V. & VI. quantum ejus doctrina de necessitate gratiæ ad opus morale distet à doctrina Catholicorum Doctorum. p. 250. n. 2.

R.

Recentiores : an hi admittant gratiam ab intrinseco efficacem. p. 124. n. 9.
Redemptio : Jansenius dixit, redemptionem omnium hominum non esse factam à Christo Domino. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus.*
Regius : v. *Theologus.*
Regnum Cœlorum an distinguatur à vita æterna. p. 10. n. 18. & p. 48. n. 4.
Reiensis Faustus fuit Dux Semipelagianorum. p. 139. n. 3.
Remedium : omnibus præparavit Deus remedia Salutis. p. 281. n. 5. an omnes quoque reipsa eadem præparata recipiant. p. 281. n. 6. & seq.
Remissio : gratia sanctificans non consistit in sola remissione peccatorum. p. 304 n. 1. & seq. an per gratiam sanctificantem fiat vera remissio peccatorum. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an Deus possit remissionem peccatorum concedere sine gratia. p. 311. n. 9.
Reparatio gratiæ sanctificantis post lapsum non potest de condigno obtineri. p. 336. n. 2.
Reprobo : an anima reprobetur ob scelera commissa ante unionem cum corpore. p. 65. n. 4.
Reprobus : an Christus etiam pro reprobis sit mortuus. p. 222. n. 30. & seq. usque ad cap. IV. v. *Christus.*
Revelatio : nullus homo sine speciali revelatione habet certitudinem fidei de propria charitate & justitia. p. 342. n. 13 an homo possit habere certitudinem spei. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint revelationem, quòd sint in gratia sanctificante. p. 343. n. 16.
Rufinus an fuerit auctor Pelagianorum. p. 65. n. 2. & seq. & qualis is fuerit Rufinus, an Aquilejensis, an Palæstinus, vel Syrus. p. 66. n. 9. an etiam vocetur Grunnius. p. 67. n. 12.

S.

Salus : Remedia Salutis à Deo omnibus sunt præparata. p. 281. n. 5. an ea præparata omnes recipiant. p. 281. n. 6. & seq. bona opera sunt ad salutem necessaria. p. 321. n. 4. & seq.
Salvus : cur non omnes salvi fiant. p. 225. n. 2.
Samosatensis v. *Paulus.*
Sanctifico : quid sit gratia sanctificans. p. 299. n. 1. & seq. Pelagius non negavit gratiam sanctificantem, sed eam in sensu Catholicorum non admisit. p. 85. n. 1. & seq. Pelagius voluit, ut parvuli baptizentur ad obtinendam gratiam sanctificantem. p. 85. n. 2. justificatio varias habet significationes. p. 300. n. 2.. datur vera sanctificatio. *ibid.* quæ non sit per extrinsecam imputationem Justitiæ Christi. *ibid.* quomodo hæc fiat. p. 300 n. 3. & seq. per gratiam Sanctificantem communicatur nobis Spiritus S. p. 300. n. 4. & seq. an gratia sanctificans distinguatur à Charitate. p. 301. n. 7. & seq. Lutherani docent, eam conferri per solam remissionem peccatorum. p. 304. n. 1. Calvinistæ verò eandem constituunt in imputatione justitiæ Christi. *ibid.* Justificatur impius per gratiam & charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur, & eis inhæret. p. 304. n. 2. & seq. an gratia sanctificans verè deleat, vel solùm tegat peccata. p. 309. n. 1. tot. cap. III. an gratia sanctificans & peccatum possint simul stare. p. 311. n. 10. quomodo adulti ad gratiam sanctificantem disponantur. p. 312. n. 1. tot. cap. IV. gratia sanctificans non obtinetur per solam fidem. p. 314. n. 1. tot. cap. V. hæc gratia facit opera *de condigno* meritoria, p. 323. n. 9. & seq. ac p. 329. n. 22. item p. 330. n. 26. opera, quæ præcedunt gratiam sanctificantem, sunt meritoria *de congruo.* p. 331. n. 1. & seq. opera autem subsequentia sunt meritoria *de condigno.* p. 332. n. 4 & seq. initium gratiæ sanctificantis non possumus promereri. p. 336. n. 2. & seq. benè verò illius augmentum. *ibid.* perseverantiam in gratia sanctificante etiam solùm ad tempus non possumus de condigno promereri. p. 336. n. 2. uti nec reparationem illius post lapsum. *ibid.* minùs possumus promereri perseverantiam finalem in gratia sanctificante. p. 336. n. 3. quare de condigno possimus promereri vitam æternam, non item perseverantiam finalem. p. 336. n. 4. an perseverantia finalis nec de congruo possit obtineri. p. 336. n. 5. justi possunt aliis promereri gratiam sanctificantem de congruo. p. 337. n. 7. gratia sanctificans potest amitti. p.

337. n. 1. & seq. quas proprietates ei tribuant hæretici. p. 337. n. 1. nullus homo sine Speciali revelatione habet certitudinem fidei, quòd sit in gratia sanctificante p. 342. n. 13 an homo possit desuper habere certitudinem spei. p. 342. n. 13. & seq. quinam habuerint revelationem, quòd sint in gratia habituali. p. 343. n. 16. gratia habitualis non est æqualis in omnibus justis. p. 344. n. 19.

Sanctus : qualis libertas sit in Sanctis. p. 177. n. 14. & p. 178. n. 17. v. *Electus* an obtineant nobis Sancti beneficia per modum impetrationis, vel meriti. p. 328. n 21.

Saturninus rejecit matrimonia ùt mala. p. 15. n. 9. admisit transmigrationem animarum. *ibid.*

Scelus: v. *peccatum.*

Scientia : quomodo Scientiæ mediæ propugnatores explicent gratiam. p. 104. n. 1. & seq. usque ad lib. XV.

Scotus an admittat gratiam ab intrinseco efficacem. p. 124. n. 10. docet, quòd Spiritus S. procedat liberè p. 186. n. 13.

Scriptura : probatur ex utroque testamento transfusio peccati originalis ad posteros Adam. p. 4. n. 1. & seq. ubi plures objectiones, & responsiones Hæreticorum refutantur *ibid.* varia nomina tribuit peccato originali. p. 27. n. 4. quot modis nomen filii sumatur in Scripturis. p. 27. n. 5. quomodo intelligendus locus Scripturæ : *Justus septies cadet &c.* p. 269. n 3.

Semen : cur semen hominis præ reliquis seminibus dicatur immundum. p. 35. n. 4. an homo sine virili semine productus haberet peccatum originale. p. 42. n. 20.

Semipelagianus : in quo horum hæresis consistat. p. 138. n. 1. & seq. de eorum origine. p. 139. n. 2. qui hanc hæresin docuerint p. 139. n. 2. & p. 140. n. 5. an fuerint tales S. Joannes Chrysostomus p. 40. n. 5. & seq. an Valerianus Cenensis? an Arnobius Junior. *ibid.* contra eos scripsêre S. Augustinus. B. Prosper Cælestinus Papa. p. 140. n. 6. & 7. item & alii *ibid.* fuit damnata à Synodo Arausicana p. 141. n. 8. S. Chrysostomus vindicatur à nota Semipelagianismi. p. 141. n. 1. & seq. tot. cap. II. falsa horum dogmata refutantur ex libris S Chrysostomi *ibid* eorum Dux fuit Cassianus. p. 139. n. 2. item p. 145. n. 2. uti & Faustus Reiensis. p. 139. n. 3. item p. 148. n. 7. & seq. horum errore imbutus fuit Vincentius Lirinensis p. 140. n 5. & seq ac p. 149. n. 9. & seq an etiam S. Hilarius Arelatensis. p. 140 n. 5. & seq. item p. 153 n. 17. & seq. an & his faveat Gennadius. p. 139 n. 4. & p. 155. n. 24. contra hos probatur, quòd ad initium fidei necessaria sit gratia Christi. p. 157. n 1. tot cap. IV. an nullam agnoverint gratiam necessariam ad initium fidei p. 161. n. 1. tot cap. V. & p. 221. n. 27. 28. & 29. negant donum perseverantiæ esse donum speciale. p 274. n. 3.

Sensus : an infantes sine Baptismo decedentes plectantur pœna sensûs. p. 50. n. 11

Sfondratus quid sentiat de pœnis Parvulorum sine Baptismo decedentium. p. 46. n. 1. & seq.

Societas : refertur concertatio habita inter academiam Lovaniensem, & P. P. Societatis Jesu circa sententiam Molinæ p. 121. n. 1. & seq.

Socinianus : negant hi hæretici peccatum originale transire ad posteros Adam. p 4. n. 1.

Specificatio : an ad perfectam libertatem requiratur libertas specificationis. p 180. n. 22.

Spes : ut fides sit dispositio ad justificationem, debet esse spe, & timore conjuncta. p. 313. n. 5. quid sit certitudo spei. p. 342. n. 13. an homo possit sine revelatione speciali habere certitudinem spei, quòd sit in gratia sanctificante. p. 342. n. 13. & seq.

Spiritus S. an procedat liberè, vel naturaliter. p. 186. n. 13. gratia sanctificans est Spiritus S. in nobis inhabitans. p. 300. n. 4. & seq. an charitas sit persona Spiritûs S. p. 303. n. 10. justificatur impius per gratiam, & charitatem, quæ in cordibus per Spiritum S. diffunditur, & eis inhæret. p. 304. n. 1. & seq.

Spontaneus : qualis differentia inter voluntarium, liberum, & spontaneum. p. 171. n. 2.

Status : qualiter ad opus meritorium requiratur status viæ. p. 328. n. 21.

Subreptitius : an constitutiones, & censuræ in Bajum factæ sint subreptitiæ. p. 205 n. 1 & seq.

Subsequor : quid sit gratia subsequens. p 94. n. 2. an sit distincta à cooperante, vel adjuvante p. 94. n. 3. & 4

Substantia : an peccatum originale sit mala, & perversa substantia. p. 26. n. 2. & seq. non datur substantia mala à principio malo summo producta. p. 56. n. 6

Sufficio : quid sit gratia sufficiens p. 95. n. 5 gratia, quæ in uno est sufficiens, potest in altero esse efficax. p. 95. n 5. & seq. & p. 98 n. 12. & seq. & hoc fit secundùm beneplacitum divinum. p. 99. n. 16. explicatur ulteriùs gratia sufficiens. p. 215. n 13. & seq. ac p. 226. n 3. an gratia sufficiens in sensu thomistarum sit verè sufficiens. p. 219. n. 22. & 23 an eadem detur omnibus. p 279. n. 1. tot. cap. VIII omnibus à Deo præparatur. p. 281. n. 5. quòd omnes eam præparatam recipiant, non est de fide. p. 281. n. 6 & seq. an homini possit imputari peccatum factum sine gratia sufficiente. 282. n 8. & seq an meritum. *ibid.* cuilibet fideli adest gratia Orationis, ut possit impetrare auxilium sufficiens ad servanda præcepta. p 284. n. 12. & 13. non item infideli. *ibid* gratia sufficiens subin denegatur ob humanum demeritum. p. 285. n. 17. & seq. an parvuli sine Baptismo decedentes habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 3. & p. 286 n. 18 & seq. an infideles. p. 287. n. 20. & seq an obdurati. p. 289. n. 24. & seq. non Deus, sed Peccator est causa, cur ipsi subtrahatur gratia sufficiens. p. 290. n. 27. & seq. an peccata ex defectu gratiæ sufficientis commissa possint imputari ad culpam. p. 294. n. 38. & seq. v. *gratia.*

Supernaturalis : quid requiratur ad actus supernaturales. p. 87. n. 7. & seq. qualiter opus meritorium sit supernaturale. p. 328. n. 20.

Synodus Arausicana damnavit Semipelagianos. p. 141. n. 8. quando celebrata fuerit. *ibid.*

T.

Tatianus damnavit matrimonia ut mala. p. 15. n. 9. admisit transmigrationem animarum. *ibid.*

Tego : an per pœnitentiam peccata remittantur, vel solum tegantur. p. 309 n. 1. tot. cap. III.

Tentatio : Gratia Salvatoris est necessaria ad vincendas tentationes. p. 267. n. 1. tot. cap. V.

Testamentum : v. *Scriptura*

Theodorus Beza negat peccatum originale contrahi à filiis Baptizatorum p. 24. n. 1. tot. cap. IV. successit calvino. p. 169. n. 4.

Theodorus Mopsuestenus negat, quod peccatum Originale transierit ad posteros Adam. p. 4. n. 1. fuit

auctor Pelagianorum. p. 69. n. 18. historia de eo p. 238. n. 7.

Theologus : Theologi Portus Regii negando indifferentiam liberi arbitrii activam produnt se Jansenianos. p. 199. n. 1. quomodo explicent iidem propositiones Jansenii. p. 199. n. 2.

S. Thomas admittit gratiam ab intrinseco efficacem. p. 124. n. 8. quomodo explicet dominium. p. 177. n. 15. an ex ejus sententia de prædeterminatione Deus sit auctor & causa peccati p 194. n. 7. & seq. cap. IV. & V quantum differat dogma S. Thomæ à falsa Sententia Jansenii. p. 203. n. 7 & 8. ac 10.

Thomista : an gratia sufficiens in sensu Thomistarum sit verè sufficiens. p. 219 n. 22. & 23. quomodo in horum sententia Christus pro omnibus sit mortuus. p. 227. n. 4. & seq. usque ad cap. V.

Timor Domini quomodo possit esse gratia, si omnis gratia est charitas. p. 100. n. 20. ut fides sit dispositio ad justificationem, debet esse spe, & timore conjuncta. p. 313. n. 5.

Transfusio peccati originalis v. *Originale.*

Transmigratio animarum. v. *Anima.*

Tridentinum refutat Calvinum & Lutherum docentes, per culpam Adæ extinctum liberum arbitrium, p. 127. n. 4.

V.

Valentinus rejecit matrimonia ut mala. p. 15. n 9. admisit transmigrationem animarum *ibid.*

Valerianus Cenetensis docuit hæresin Semipelagianorum. p. 140. n. 5.

Vasquesius: quid sentiat de necessitate gratiæ ad opus morale p. 250. n. 3. quomodo explicet gratiam congruam. *ibid.*

Veniale : non possumus vitare omnia peccata venialia sine gratia. p 269. n. 1. tot. cap. VI. an hoc etiam procedat de B. Virgine. p. 271. n. 4. & de S. Joanne Baptista. p. 271. n. 5.

Veritas : an homo sine gratia supernaturali possit scrutari veritatem aliquam speculativam, vel practicam. p. 241. n. 1. & seq. tot. cap. I. quid sit veritas naturalis. p. 242. n. 2. quid practica. *ibid.* quid moraliter practica. *ibid.* an possit cognoscere omnes naturales veritates *collectivè* sumptas. p. 243. n. 6.

Via qualiter ad opus meritorium requiratur status viæ. p. 328. n. 21.

Viator : quodnam sit discrimen inter damnatos, & viatores per peccatum gratiâ privatos. p. 297 n. 49.

Victrix : quanta sit necessitas delectationis victricis, seu gratiæ efficacis. p. 95. n. 5. gratia efficax est delectatio victrix. p. 96. n 8. & seq. an hanc habuerint Adam, & Angeli. p. 103. n. 28. an detur gratia victrix. p. 104. n. 1. & seq. tot. cap IX. v. *gratia*

Vigilius Papa. : de ejus Judicio in tria capitula lato. p 238. n. 7.

Vincentius Lirinensis an docuerit hæresin Semipelagianam. p. 140. n. 5. item p. 149. n. 9. & seq.

Vires : an homo naturæ viribus possit de congruo promereri gratiam supernaturalem. p. 131. n. 1. & seq.

Virtus : an virtutes infidelium, & impiorum ex defectu status gratiæ sint mera peccata. p. 244. n. 1. & seq. virtutes infidelium à potiori sunt infectæ pravo fine. p. 246. n. 7. & seq aut saltem aliunde deficiunt. p. 247. n 10. nec infidelis potest sine gratia bonum operari vel virtutem exercere. p. 247. n. 11. & seq. quid sit virtus. p. 252. n. 6. an opus virtutis ordinis naturalis possit fieri sine gratia. p. 250. n. 1. tot. cap. III an quodlibet opus virtutis, ut virtuosum sit, debeat referri in Deum. *ibid.*

Vita: an Regnum Cælorum distinguatur à vita æterna. p. 10. n. 18. & p. 48. n. 4. ex hujus vitæ miseriis probatur dari peccatum originale. p. 19. n. 1. tot. cap. III per totam vitam sine speciali Dei gratia non possumus vitare omnia peccata venialia. p. 269. n. 1 tot. cap. VI. an hoc etiam procedat de B. Virgine. p. 271. n. 4. & de S. Joanne Baptista. *ibid.* n. 5. quomodo vita æterna sit merces, & gratia. p. 325. n. 14. quomodo vita æterna sit præmium de condigno. p. 332. n. 4. & seq. cur possimus de condigno promereri vitam æternam, & cur non perseverantiam finalem. p. 336. n. 4

Vitalis Carthaginensis incidit in errorem Semipelagianorum. p. 139. n. 2.

Vitium : quid sit vitium. p. 251. n. 5. & 6.

Unio : quòd Christus promeruerit unionem hypostaticam, docet Origenes. p. 65. n. 3 & 4. an anima reprobetur ob peccata commissa ante unionem cum corpore. p. 65. n. 4.

Voluntarius : qualis differentia inter voluntarium, liberum, & spontaneum. p. 171. n. 2.

Voluntas : an nostra voluntas fuerit inclusa in voluntate Adæ. p 34. n. 1. & seq. Christi gratia voluntatem nostram adjuvat per inspirationem sanctæ dilectionis. p. 80. n. 1. & seq. an gratia actualis sit ipsa voluntas Dei. p. 89. n. 1. & seq. voluntas per gratiam efficacem vincit cupiditates malas. p. 98. n. 8. & seq voluntas nostra non necessitatur per gratiam efficacem. p. 99. n 17. an voluntas bona, quæ fidem præcedit, sit ex nobis. p. 138 n. 1 & seq ac p. 65. n. 3. & seq. item. p. 131. n. 3. & seq. pariter p. 142. n. 2. & 3. & & seq. quid sit voluntas. p. 171. n 2. an voluntati æqualiter adversentur coactio & necessitas. *ibid.* homo lapsus retinuit liberum voluntatis arbitrium p. 170. n. 1. tot. cap. II. & III. quodlibet peccatum habet causam præcipuam à voluntate. p. 192. n. 1 & seq. quid sit voluntas parva p. 212. n. 7 & 8. & seq. tot. cap. III. de voluntate Dei antecedente & consequente. p. 217. n. 19. & p. 227 n 4. & seq.

Votum : an votum à parentibus locò filiorum habitum de Baptismo recipiendo profit prolibus. p. 48. n. 5. & p 61. n. 12.

Urbanus VIII. damnavit Baium. p. 205. n. 3. & seq.

Uterus : an parvuli in utero materno decedentes habeant gratiam sufficientem. p. 280. n. 3. & p. 286. n. 18. & seq.

W.

Witclefus docens, omnia Peccatoris opera esse peccata refutatur. p. 244. n. 1. & seq.

Z.

Zwinglius negat peccatum originale contrahi à filiis Baptizatorum. p. 24. n. 1. tot. cap. IV.

Finis Tomi Tertii.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P.
BERTI